





A' UNIVERSIDADE DE MADRID

1.

A DE COIMBRA.









UNIVERSIDAD COMPLUTENSE



5319401408

D 25389

~~97 - 5~~

120 - 5 - 24

3 vol

Revisado 1969



A' UNIVERSIDADE DE MADRID

○.

A DE COIMBRA.











UNIVERSIDAD COMPLUTENSE



5319401408

D 25389

~~97 - 5~~

120 - 5 - 24

3 vol

Revisado 1969

Sup. court m. 10

**INSTITUTIONES**  
**JURIS CIVILIS LUSITANI.**





25389

PASCHALIS JOSEPHI MELLII FREIRII,

IN REGIO EQUESTRUM ORDINUM COLLEGIO

OLIM COLLEGAE,

JURIS PATRI APUD CONIMBRICENSEM ACADEMIAM

PROFESSORIS EMERITI,

ACADEM. REG. SCIENT. OLISIPON. SOCI,

CET. CET. CET.

**INSTITUTIONES**

**JURIS CIVILIS LUSITANI**

**CUM PUBLICI TUM PRIVATI.**

**LIBER I.**

**DE JURE PUBLICO.**

*Editio quarta in usum Auditorii Conimbricensis, juxta  
primam ann. 1815., et secundam ann. 1827.*



CONIMBRICAE,  
TYPIS ACADEMICIS.

1845.

*Da veniam scriptis , quorū non gloria nobis  
Causa , sed utilitas officiumque , fuit.*

OVID. Epistolar. ex Pont. III. 9. 55. seq.

*Qujus . . . mentem non perculit ille senator ,  
Interpres legum , quo nec praestantior olim  
Seaevola Serbidius , gravior neque Caius ipse ,  
Nec melior , clarum cui gens dedit Ulpia nomen ?*

.....

*Curia quando parem depletæ munus in urnae  
Adleget , aut simili subsellia celsa prementur ?*

L. ANDR. RESEND. Epist. II. ad Lupum Scintillam Jurisconsultum.

**O** PRINCIPE REGENTE Nosso Senhor, a quem foi presente a Representação, que V. Exc.<sup>a</sup> dirigio á Sua Real Presença em data de 8 de Março proximo passado, com a qual Ha por bem conformar-se, Dispensando no que se achia disposto a respeito dos Livros Juridicos no Liv. 2. Tit. 14. Capp. 1, 10, 11. etc., e no que o mesmo Senhor Foi servido declarar no Alvará de 16 de Janeiro deste presente anno em o §. 5. para este effeito sómente, por assim o exigirem as circumstancias da Reformação actual, e a brevidade do tempo: É servido determinar que se dêm logo á Imprensa os quatro Livros, por V. Exc.<sup>a</sup> propostos, que são: o das Instituições de Direito Civil de Heineccio, emendadas e reformadas por Jo. Pedro Waldeck; o das Instituições de Direito Canonico de Xavier Gmeiner; o das Instituições de Direito Canonico de Domingos Cavallari, Professor de Direito Canonico e Civil; e o das Instituições de Direito Patrio de Paschoal José de Mello; pois que tendo elles merecido a Approvação de S. A. R., É o mesmo Senhor servido, que o primeiro, as Instituições de Waldeck, seja lido no Primeiro Anno Juridico em lugar da Instituta de Justiniano; o segundo, as Instituições de Direito

*Ecclesiastico de Gmeiner, seja destinado para as Lições Elementares do Direito Canonico, que se hão de dar no Segundo Anno Juridico; as Instituições de Cavallari sejam destinadas para o ensino do Direito Canonico no Terceiro e Quarto Anno Juridico; e finalmente as Instituições de Paschoal José de Mello fiquem adoptadas para as Lições Syntheticas do Terceiro e Quarto Anno de Direito Patrio, tudo na conformidade da sua Representação: O que participo a V. Exc.<sup>a</sup> para sua intelligencia, e para que faça apromptar estes Livros sem a menor perda de tempo, a fim de estarem impressos em Outubro proximo futuro.*

*Deus guarde a V. Exc.<sup>a</sup> Paço em 7 de Maio de 1805.*

*Conde de Villa Verde.*

*S.<sup>or</sup> Bispo Conde Ref.<sup>or</sup> R.<sup>or</sup>  
da Universidade de Coimbra.*

*Cumpra-se e registre-se. Lisboa  
13 de Maio de 1805.*

*B.<sup>o</sup> C. de Ref.<sup>or</sup> R.<sup>or</sup>*

---

*Hei outro sim por bem e ordeno que na generalidade do Privilegio, que a referida Academia me supplica, e lhe concedo na sobredita conform-*

*midade para a reimpressão das Obras antigas , ou raras , ou de AA. existentes , fiquem salvas as Obras , que a Universidade de Coimbra mandar imprimir , ou porque sejam concernentes aos estudos das Faculdades , que se ensinão nella , ou porque sendo compostas por Professores della , as mande imprimir a mesma Universidade , como um testemunho público dos progressos e da reputação literaria dos referidos Professores , etc.*

Alvará de 22 de Março de 1781. §. 4.

---



JOANNI

CELSISSIMO

# Brasiliae Principi

LUSITANI IMPERII HEREDI

P. F. A.

Gaschalis Josephus Mellins Freirius

PERENNEM FELICITATEM.

---

**SINGULARIS MARIAE T.** Augustissimae  
Tuae, Patriaeque Parentis clementiae fuit, Cel-  
sissime PRINCEPS, quod opusculum meum;  
Historiam Juris Civilis Lusitani, proximo anno ty-  
pis vulgatum, in fidem titelamque suam adci-  
peret. Quod forte non aliam ob causam Pruden-  
tissima Regina sibi faciendum decrevit, quam ut,  
cum illud, nemini antea tentatum, a me utcum-  
que in finem productum intelligeret, et me, quae  
est incredibilis ejus magnificentia, immortali be-  
neficio erigeret, et ceteros ad melius faciendam  
excitaret.

Tanto igitur ego, tamque praeclaro munere confirmatus, hominum spectatae virtutis, et consummatae doctrinae voluntati morem mihi gerendum statui, qui a me exire contendebant, ut, quae elucubraveram, ejusdem quoque juris Institutiones emitterem. Itaque cum earum librum primum, qui de Jure Publico agit, in lucem tandem edere cogitem, eum tibi, PRINCEPS Clementissime, qua par est, observantia et pietate sisto et consecro, Tuumque in eum Patrocinium impetrare non diffido. Constantiter dico: non diffido. Num Beneficentissimae Matris Tuae vestigiis ingrediendo, ita eximias ejus virtutes aemularis, ut, quem illa, hanc de Patrio Jure benemerendi qualemcumque rationem ineuntem, validissimo praesidio legendum suscepit, Tu eandem tenere pergentem non dedignaturus videaris. Perquam enim optime novisti non solum, si quid quisque civis audet, quod in patriae bonum, aut gloriam redundaturum videatur, licet comatibus eventus non respondeat, eum tamen ab iis, quibus illius curam Deus ipse commisit, favoris aliquid et gratiae non injuriae postulare; sed etiam Filium, olim regnaturum, nihil magis decere, nihilque magis ad populi felicitatem spectare, quam quod Mater, Optima Imperatrix, fovendum, tuendumque duxit, eum id quoque fovere, atque tueri. Adcedit, quod ego Tibi non modo communi Lusitanorum omnium officio, verum etiam proprio meo devinctus teneor. Quare cum Augustissimum Patrem Tuum, egregiae pietatis, beneficentiae, et moderationis, religiosaque memoria colendum Regem, cuius nominationi adaeptum refero, quod Magnum Prioratum Cratensem quasi Episcopali cura administrarem, in me nullis aliis honoribus decorando sequutus sis; non minus Sacratissimam Matrem,



a qua tot aliis quoque ornatus sum, in opusculis  
meis patrocinio juvandis sequaris oportet. Id Tuæ,  
**PRINCEPS**, certissima nostra omnium spes, in-  
dulgentiæ ac humanitatis erit: meum vero, dum  
vivam, Te religiosissime colere, atque Deum Opti-  
mum Maximum precari, ut Te mihi, Lusitanis  
omnibus, universo imperio nostro, et terrarum  
orbi servet ac sospitet.

---



# PASCHALIS JOSEPHUS MELLIUS FREIRIUS

JURIS PATRII IN ACADEMIA CONIMBRICENSI

AUDITORIBUS

S. P. D.

**L**usitani Juris Civilis Historiam specialiter, quam in vestrum omnium gratiam ordinavimus, proxime sequuntur ejusdemmet Institutiones. Nimirum ita ipsa rerum tractandarum ratio exigere videbatur, ut post legum nostrarum notitiam historicam earundem principia traderemus. Publicum autem Jus, cum primum in Civitate locum abeat, primo quoque loco tradendum erat. Magnum sane opus et arduum, quod ante nos ne tentare quidem quisquam ausus fuit, adgressi sumus: non quod tanto oneri pares nos esse credamus (quotus enim quisque erit, qui rem plane noverit, et tantum sibi tribuere audeat?); sed quod suscepti muneris nostri rationem non aliter digne, ut par est, adimpleri posse arbitremur. Jubemur enim ex privata umbra, in qua securi delitesceramus, in publicum prodire, et universum, qua late patet. Jus Lusitanum ex officio interpretari: quod cum fieri haud possit, quin ejusdem Juris elementa tradantur, operis ipsius necessitas satis bonam excusationem adferre videtur. Ad illius autem ordinem quod adtinet, nihil omnino est, quod moneamus; tam simplex is est ac naturalis. De natura primum, et indole legum nostrarum; de Judiciis deinde, et Lusitanis Magistratibus; de asylo- rum jure, et Imperantis circa sacra potestate; de legibus Agrariis, Mercatoriis, Nauticis.

Politicis, cet., et de civium demum nostrorum officis, et jure diximus. Utrouque breviter, sed satis proposito nostro. Non enim aliud intendimus, quam Publici nostri Juris specimen aliquod dare: prolixiores autem erimus, cum ad singulos Regiarum Ordinationum titulos eodem, quo digesti sunt, ordine explicandos adcesserimus. Sed interea, quae vobis omissa, aut neglecta visa fuerit, viva voce supplebimus. Multa quidem nos hic scripsimus passim obvia, quae natura hujus generis descriptionis est, multa non satis nobis explorata, et non nulla fortasse ficta, et inania, quae inter legendum, et scribendum festinante calamo, occurrerunt; ea tamen omnia, quaecumque aut inepta, aut falsa vel ipsi non veritus, vel alii nobis bona fide commonstrant, non inixti revocabimus. Illud tamen gloriamur, quod nostris hominibus eam nos primum viam aperuissemus, quam si ingredi velint, facillime et nostra poterunt corrigere, emendare, supplere, et alia longe meliora producere: quae si adsequuti tandem fuerimus, uberiores nos multo, quam optare bonus quisquam posset, laborum nostrorum fructus percepisse videmur. Vos autem, Auditores, nostra hac qualicumque opella interim fruimini, nostrisque conatibus, et de vobis bene merendi desiderio favete: qui si non plane irriti fuerint, brevi Juris Privati Institutiones eadem methodo adornatas exspectate. Valet.

---

# INDEX TITULORUM

## LIB. I.

### DE JURE PUBLICO.

TIT. I.	DE LEGIBUS.....	pag. 1
TIT. II.	DE JUDICIIS.....	11
TIT. III.	DE JURE GLADII.....	30
TIT. IV.	DE AERARIO ET FISCO.....	36
TIT. V.	DE JURE PRINCIPIS CIRCA SACRA.	45
TIT. VI.	DE ASYLIS.....	103
TIT. VII.	DE LEGIBUS AGRARIIS .....	120
TIT. VIII.	DE COMMERCIO.....	132
TIT. IX.	DE LEGIBUS NAUTICIS. ....	159
TIT. X.	DE JURE POLITIAE. ....	167
TIT. XI.	DE JURE MILITARI.....	193
TIT. XII.	DE OFFICIIS ET JURE CIVIUM..	202

---

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or a series of entries.

---

# INSTITUTIONES

## JURIS CIVILIS LUSITANI

### CUM PUBLICI TUM PRIVATI.

---


## LIBER PRIMUS.

DE JURE PUBLICO.

## TITULUS I.

De Legibus.

*Jus omne vel Publicum, vel Privatum.*



§ I. CUM universum jus, quo Civitas quaeque utitur, vel *publicum* sit, vel *privatum*; easdem Juris Civilis Lusitani positiones esse facile omnes intelligunt. De utroque nos solliciti erimus; sed primum de publico, quod excellentior quidem, atque nobilior juris species est, inquirendum.

*Publicum quid.*

§ II. Jus *Publicum* societatem universam respicit, et Imperantium Civiumque jura determinat. Imperantis summum illud jus est, et quo scilicet continentur omnia, ut civitatem tueri possit et debeat, et ea omnia facere, sine quibus securitas

1.

1

cum interna, tum externa civium, et salus populi, quae suprema Lex est, commode obtineri non possunt.

Finis societatis est securitas civium; itaque Princeps, qui summum imperium habet (quo nomine intelligimus jus actiones subditorum pro arbitrio dirigendi), debet pro sua virili parte civitatem et ab intestinis, et ab externis hostibus liberare, et hanc in rem ea omnia facere, quae necessaria ipse existimaverit, quin unquam ad reddendas gestorum rationes adigi possit. Jura, quae Imperanti competunt ratione Civium, *immanentia*, quae vero erga externos exercentur, non male a non nullis *transeuntia* adpellantur. Quapropter juris Publici nomine vel maxime venit *Externum*, quod ex conventionibus oritur Reges inter nostros, et liberas Gentes habitis, et *Internum*, quod respicit constitutionem, et statum civilem nostrae civitatis: sed nobis hic tantum propositum fuit tractare eam juris Publici partem, quae Imperantis, et subditorum jura particularia determinat et inter se, et intuitu Imperantis, vel Republicae, et ita Institutiones nostras adcommo-  
**Patriis Legibus, in Philippino, quo utimur, Codice, et Extravagantibus contentis. Quare de Regni Legibus Fundamentalibus, ceteris, quae ad statum Publicum, Regni Successionem, et Regimen spectant, nullo modo solliciti erimus, et pauca tantum loquemur, data occasione. Hanc tamen in rem initio operis adnotare sufficiat: I. Reges nostros Majestatem suam, et supremam potestatem a Populo nunquam adeptis; nam Henricus Comes, et Alphonsus I. Portugalliae jam domini erant, et supremi Moderatores multo ante Comitia Lamecensia. II. Primas, et praecipuas Leges Regni Fundamentales in ipsis Comitibus Lamecensibus contineri. III. Leges ibidem relictas de iudiciis, nobilitate, et poenis pro Fundamentalibus non habendas, ut jam alibi diximus (Hist. Jur. Civ. Lusit. §. XL. Not.), sed eas tantum, quae spectant ad Regni Successionem. IV. Legum quoque Fundamentalium nomine venire apud nos Comitia Olisiponensia anno 1674. apud Salsam tom. V. Probat. N. 63., quae Regis Imperatoris tutelam declarant: itemque Comitia anno 1698. ibidem N. 84., quibus derogatum est caput illius Comitiorum Lamecensium, quo cautum erat, quod non sit Rex filius fratris Regis, si non fuerint eum Episcopi, et Procurantes, et nobiles Curiae Regis. Hic etiam re-**



ferri possunt Comitibus anno 1679. apud eundem N. 135., quibus caput aliud eorundem Comitiorum in favorem Principis Isabella, Petri II. filiae, semel derogatum est, vel interpretatum. Multa praeterea de Regni successione deferenda filio tantum majori Regis legitimo, et nepoti ex filio, patruo excluso; de Regum minorum tutela, et curatela, de Regni Regimine, et Administrationis forma invenire licet testamentis Sancii II., Joannis I., II. et III., Literis Alphonsi V. 25. Aprilis. et 12. Maii 1475., 5. Januarii 1476. apud Sosa. tom. II. Probat. N. 20. et 34.; Emmanuelis Regis Declarationibus de Regni Regimine, et Successionis forma anno 1499. apud eundem tom. II. N. 68., et Sebastiani Regis Diplom. 4. Octobr. 1500. in favorem Brigantinae Domus apud eundem tom. IV. N. 161. Haec tamen et alia summæ licet auctoritatis monumenta pro Legibus Fundamentalibus haberi non debent, cum non Populum et Regem, sed hunc tantum Auctorem habeant; neque praeterea quae in eis scripta legimus, deducta fuerunt ex Jure Publico Universali, vel Particulari, sed ex Civili Romano, quod ibidem non semel adlegatur. Leges autem, et antiqui mores Legionensis Regni, Portugallia ab eo tandem segregata, ad Statum nostrum civilem haud spectant. Et haec satis proposito nostro.

### *Leges condendi potestas.*

§ III. Ad hunc nobilissimum totius legitimæ Societatis finem consequendum necessaria in primis est potestas *Legislatoria*. Si enim Principi jus non esset Leges pro arbitrio ferendi, ad quarum normam subditi actiones suas componerent, quo modo, quæso, eosdem dirigere posset, et ad decus utilitatemque Reipublicæ omnia adtemperare? Quare potestas legum condendarum merito præcipuum Majestatis jus habetur, nec unquam a Summo in Rep. Imperante abesse potest.

Jus Publicum, quo in nostra Civitate utimur, præcipue continetur lib. II. Codicis Philippini; idem ordo servatur in Alphonsi V., et Emmanuelis invictissimi Regis Codice: frustra tamen hic leges quisquam methodi, et

qualecumque Juris Publici Systema desiderabit; nam nec res rei, nec titulus titulo respondet, ut vel ex sola illorum collatione constat; quae autem eodem disposita inveniuntur, utique bona sunt, et fortasse meliora, quam justus rerum aestimator in tanta, quae tunc erat juris Publici ignorantia sperare poterat. Illud etiam hic monendum tit. XXVI. in Codice Philipp., Emman. XV., Alphons. XXIV., qui *de juribus Regalibus* inscribitur, primo loco, et ante omnes convenientius collocandum videri; et ita nimirum compilatores, traditis prius in genere Majestatis juribus, facilius, et ordinatius eadem poterant distinctis postea titulis explicare. Idem praeterea titulus mancus est, et imperfectus, nec omnia Majestatis jura complectitur; omittit enim inter alia jus condendarum legum, quod primum, et praecipuum est. Neque hoc mirandum; nam Doctor Ruy Fernandes, illius Architectus, eum digessit, et fere transcripsit ex titulo 56.: *quae sint Regaliae lib. 2. Feudor.*

### *Penes Lusitaniae Reges.*

§. IV. Et ea nimirum ab Regni ipsius incubilibus usi fuerunt Lusitaniae Reges, quos penes dumtaxat erat Legum ferendarum facultas; quas vel suo tantum, vel singulorum, quos deligebant, vel de universi populi consensu, id est, consilio in Comitibus Regni generalibus edicebant, atque hic postremus initio erat legum condendarum modus usitator, qui postea frequentari desiit, cum Tribunalia, et Juridici Conventus esse coeperunt.

Jam alibi (Hist. Jur. Civ. Lus. §. XLIV. Not.) diximus primos Lusitanorum Reges non definitis statisve temporibus, sed pro rei natae occasione Comitibus indixisse, quibus populum universum in Ecclesiasticos, Patricios, et Plebeios tamquam in centurias quasdam divisum sciscitabantur; qui mos, cum plura secum adferret incommoda, frequentari tandem desiit: non nulla tamen posterioribus etiam temporibus, in rebus praesertim gravioris momenti, Comitibus habita fuerunt, veluti sub Joanne I. anno 1385, Joanne IV. 1641., Petro II. 1668. et 1698. Potest vero Princeps, imo et debet in rebus praecipue novis consti-

tuendis subjectos audire, quin aliquid de suprema sua Potestate remittere videatur. In pura autem Monarchia, Regno occupato, nec minima Majestatis particula penes Comitias, vel populum residet, et hæc natura est Principatus, et hoc etiam jure Lusitaniae Reges a Regni initio utuntur; constat enim eosdem de publicis, privatisque rebus, de bello, et pace, de Regni regimine, successione, administratione, et de summorum Principum tutela suo tantum arbitrio disponere, non populi suffragiis, idque publica Regni Instrumenta omni ævo demonstrant, et inter alia probant literae Alphonsi V. anno 1475. 1476., et Emmanuelis Declarationes anno 1499. superius citatae; itemque solennes conventiones in nuptiis Beatricis Infantis inter Joannem Castellae, et Ferdinandum Portugalliae Reges habitae anno 1383. apud Sous. tom. I. Probat. N. 39. circa Regni successionem, et administrationem; ad quarum fere normam postea composita fuerunt Comitias apud Thomarium sub Philippo II anno 1581. Idem probatur ex literis Oduardi Regis Scalabi datis anno 1433 apud eundem Sous. N. 15. pag. 418., quibus Principi Alphonso Tutores nominati fuerunt. Et non solum Reges, sed Regni quoque Administratores hoc jure semper usi fuerunt: nam Joannes Princeps, cui Alphonsus pater in Castellam profecturus Regimen Regni commisit literis Portalegrensi oppido datis 25. April. 1475. apud Sous. tom. II. Probat. ad lib. IV. N. 20., cum ad Castellam ipse anno sequenti profectus est, illud ipsum regimen, quod non jure proprio, sed a patre habebat, Eleonorae uxori, Rege, et populo inconsulto, totum tradidit literis in Civitate, quam Roderici adpellant, scriptis 24. Jan. 1476 apud eundem N. 34. Neque populus majore gaudet potestate, quando sub tutela Rex est, quo pertinent Comitias apud Turres Novas anno 1438.; nam quae ibidem populus de bonis, et negotiis publicis administrandis gerendisve consuluit; Regina, et Petrus Infans, Regni Defensor, adprobarunt nomine impuberis Regis Alphonsi, cujus res agebatur, salvo semper illius jure, et suprema Majestate, et libero exercicio, uti ex Declarationibus, et jurejurando Reginae ipsius, Infantis, et Nobilium constat. Haec cum ita sint, populus in Comitias quaecumque de causa indictis sententiam suam dicebant circa ea, quae proponebantur, sed Regis tantum decisio erat tam in publicis, quam in privatis negotiis. Idem, et quidem majori cum ratione, dicimus de Regni Tribunalibus, quae in Comitiorum locum quodammodo

subrogata videntur, et de ipso supremo Consilio Status, uti expresse scriptum legitur Sebastiani Diploma. 8. Septembris. 1569., et Joannis IV. Decret. 3r. Mart. 1645. apud Sous. tom. III. Præbat. N. 181. pag. 231. Comitibus autem, seu potius hominum congregatio seditiosa Ollisipone habita 27. Jan. 1688., quibus Alphonsus VI. Regno injuria fuit privatus, factum, illudque improbatissimum, non jus probant; et doctrina Monarchomachorum, quæ in eorum vestibulo legitur, si ullo tempore, hostis summe extitit est; multa enim hanc in rem optacula scripta prostant, quæ populorum libertati plus justo favent, nequaquam in Monarchia toleranda. Acta tamen est populi potestas Regno vacante, et hæc spectant Comitibus Contabricsis anno 1385. sub Joanne I. Factus autem Comitibus indicendi, seu populum convocandi status definitisque temporibus Regium jus est, et ex natura summi Imperii proxime descendit.

*Legum diversa genera, et quando obligant.*

§. V. Publicae autem leges vel generales sunt, quæ omnes, et ubique obligant, vel totales, seu censuales certi loci, regionisve: privilegia quoque alicui sine exemplo concessa leges adpellantur; quippe civium nemo eundem poterit in singularis sui juris fructione turbare: easdem ferre, rogare et abrogare solius Regis est, Ord lib. 2. tit. 35. §. 21. et lib. 3. tit. 66. in princ: neque obligant statim ac fuerint in Cancellaria Regni promulgatae; Regia namque in urbe dierum octo, in Provinciis trium mensium vacatio conceditur, Ord lib. 1. tit. 2. §. 10.

In quo autem differant Edicta generalia, quæ dicimus *Cartas patentes de Leis*, a Regiis Diplomatum, *Alvaras*, *Literis Regis patentibus* non obsignatis, *Portarias*, *Decretis*, et Regiis Resolutionibus, nemo inter nos ignorat, et satis constat ex ipsa Ord. lib. 2. tit. 40. 41., *Eminan.* tit. 19. et 20. §. 5., *Alphons.* tit. 25. Initio Reges nostri cum leges dabant, plurali numero loquebantur, et vix vocabula usurpabant *mando* et similia, sed *mandamos*: hodie vero, et jam a Joannis III. tempore in singulari

tantum loquuntur, et ita in pleno Senatu Eboracae habito anno 1524. Rex ipse deliberavit, Cost. *Supplicat. Dom. stil.* pag. 120, cui subsequuntur fuit Reg. Diplom. 16. Jul. eodem anno apud Francisc. Andradam *Chron. Joann. III.* l. B. cap. 48. Sed tamen antiqua in plurali loquendi consuetudo in Philippino postea Codice restituta fuit: ea verò nunquam sepe obtinuit in Legibus Extravagantibus.

### *Illarum Codices.*

§ VI. Hae vero Leges diversis temporibus latae tandem aliquando in unum volumen seu Codicem sub Philippo II. redactae sunt sub titulo *Ordenações, e Leis do Reino de Portugal*. Adcesserunt postea Leges Extravagantes quam plurimae ad nostram usque aetatem, quae utpote posteriores prioribus derogant, si specialem illarum mentionem fecerint, Ord. lib. 2. tit. 44. Emman. 49.

Juris Lusitani nomine vel maxime veniunt Leges Regni Fundamentales; Leges Comitiorum sub Alphonso II. et Successoribus datae; Alphonsi V., et Emmanuelis Codices: Leges Extravagantes ipsius Emmanuelis, Joannis III., et Sebastiani Regis in unum volumen ab Oduardo Nonio Leone digestae, ex quibus potissimum collectus fuit Philippinus, quo utimur, Codex: prodierunt postea leges sub Philippo III. et IV., Joanne IV., Alphonso VI., Petro II. et Joanne V. latae, una cum novissima Ordinationum editio anno 1747., et ad diversos earum titulos utcumque adcommodatae: mirum autem in modum Josephus I., Rex Fid., Patriam Jurisprudentiam locupletavit, Vide nostram Juris Civilis Lusit. Histor. cap. XI.

### *Reverentia legibus debita.*

§ VII. Patrias has leges comiter omnes venerari debent, neque committere, ut eas quisquam injustas adpellare audeat, quamvis Juri Canonico, aut Civili contrariae dicantur, in quo vel maxima boni civis officium consistit, Ord. lib. 1. tit. 48. §. 6. ibi: *Defendemos . . . a todús as pessoas . . .*

*que per palavra , nem per scripto não alleguem , nem requeiraõ contra alguma Ordenação per nós approvada , que se não deve cumprir , nem guardar , nem per ella julgar ; dizendo , que he contra Direito Commum , ou contra Direito Canonico ; em quanto a tal Ordenação não for per nós revogada.*

*Authenticæ interpretationes.*

§. VIII. Lusitani quoque juris nomine veniunt authenticæ interpretationes , cum Rex ipse Legem suam interpretatur , vel ejus nomine Regia Supplicationis Domus , Ord. lib. 1. tit. 4. §. 1. et tit. 5. , §. 5. , Emman. lib. 5. tit. 58. §. 1. Generale Edictum 18. August. 1769 §§ 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Cave tamen , ne cum authentica hac interpretatione confundas doctrialem , res judicatas , et praxim usumque judicandi , quæ nihil est , quod legibus nostris temere admisceamus.

Quod jam alibi monuimus (Hist. Jur. Civ. Lus. §. CXXIV. Not.), hic quoque adnotare placet , doctrinalem interpretationem legibus nostris nequaquam prohiberi ; eam nimirum inter alia jura adprobant Ord. lib. 3. tit. 69. in princ. : *porque não podem todos (os casos) ser declarados em esta Lei , mas procederão os julgadores de semelhante a semelhante ;* et tit. 81. §. ult. : *E isto , que dito he em estes casos aqui especificados , haverá lugar em quæquer outros semelhantes , em que a razão pareça ser igual destes.* Similia fere habentur Ord. lib. 4. tit. 61. §§. 3. 4. et tit. 78. §. 6.

*Consuetudines , et municipalia decreta.*

§. IX. Nihil vero prohibet , quod iis adjungamus non modo receptas , rationabilesque consuetudines , verum etiam quædam veluti *senatus consulta* , seu Civilis Concilii decreta quæ legem quidem faciunt a municipii saltim incolis obseq-

vandam, si modo rite instituantur, nec sint juri scripto contraria, Ord. lib. 1. tit. 66. §§ 28. 29. 30. et 31. (Inst. Lib. II. Tit. II. §. IX.).

*Diuturni mores*, ut Justinianus ait in §. 9. de *Jur. Nat. Gent. et Civ.*, *consensu utentium comprobati, legem imitantur*, et hoc quidem verum omnino est in statu libertatis; in Monarchia autem, si fuerint legibus scriptis contrarii, non valent; quae enim vulgo de tacito consensu Principis adstruuntur, et subtilia nimis sunt, et passim legibus nostris improbantur (Tit. V. §. LV. Not.): consuetudine itaque in subsidium utimur, jure scripto deficiente, et ea demum legis vigorem habet, quae justitia, et aequitate nititur, et a centum retro annis obtinet, §. 14. Generalis Edicti 18. Augusti 1769.: quare in ipsis quoque Regni Ordinationibus hujusmodi consuetudines saepius rejiciuntur, veluti Ord. lib. 1. tit. 62. §. 73., et lib. 2. tit. 45. §. 10. et ult., cet. Collegii autem cujusvis, et confraternitatis statuta in vim tantum pacti obligare possunt, si non sint scriptis legibus contraria. Boeh. *Exercit. XV. ad Pand.* §. 15., Ziegler. *de Jur. Majest.* lib. 1. cap. 4. §. 16.

*Peregrini Juris, et Dioecesium Constitutionum auctoritas.*

§. X. Atque hi proximi quidem sunt et genuini Patrii Juris fontes, ex quibus praeclara nostrarum legum scientia haurienda. Peregrina namque jura, sive Romana, sive Canonica, id est, ex Pontificum Romanorum Epistolis Decretalibus eruta, publicam hodie apud nos auctoritatem non habent post Novellam Constitut. 18. Aug. 1769. §§ 9. et 12. Ejusdem, id est, nullius omnino auctoritatis esse debent Dioecesium Constitutiones non in saeculari modo sed in ipso etiam Ecclesiastico foro, in rebus scilicet civilibus, et externis (Hist. Jur. civ. Lus. §. CVII., Inst. Lib. IV. Tit. VII. §. XXXIII.).

Philippus II., jure Patrio deficiente, in subsidium admisit Jus Canonicum, et Civile, et ipsas etiam, quod

miris, Glossas Accursii, et Bartoli interpretationis, et tanti Jus Canonicum, id est, Decretalium fecit, ut illud Romano praeferre, et pro lege (in iis, quae peccatum continent) obtrudere non dubitarit, Ord. lib. 3. tit. 64. in princip.: sed bene sapienterque Extravag. 18. Aug. 1769. admonemur omnes in civili foro delicti tantum, non peccati cognitionem versari: itaque merito hic titulus, ex quo tot tantaque orta sunt mala, abrogatus hodie est: ex quo illud etiam efficitur, ut non amplius obtineant ordinationes ex eodem titulo natae, hodiernis scilicet moribus, et novae Jurisprudentiae verbis, mentique contrariae, quas suis locis indicabimus. Ad Dioecesium vero Constitutiones quod adinet, earum ego in rebus civilibus et externis auctoritatem, sive a loci tantum, sive a provinciae universis Episcopis in synodo quadam ordinentur, in utroque foro, et saeculari, et ecclesiastico viriliter contemno; non enim ad illarum modum, sed ad legum nostrarum praescriptum Episcopalia quoque judicia erunt omnino instituenda, quippe quae nomine, et de licentia Regis instituuntur. Ad jus autem Romanum referendum est postulatum illud populi in Comitibus ann. 1562. apud D. Emman. Menoetium *Chron. Sebast. Regis* cap. 103.: *Que os Estudos de Coimbra se desfazão, por serem prejudiciaes ao Reino, e a rendu se applique para a guerra; e quera quizer aprender, vá a Salamanca, ou a Paris, e não haverá tanto Letrado sobrejo, nem tantas demandas.* Vid. *Savedra Empr. XXI.*

### *Romani et Patrii juris differentia.*

§. XI. Jam vero ex dictis quomodocumque adparet frustra, et inepte juri nostro adcommo-  
dari, quae Romani de Legibus, et diversis consti-  
tuti juris rationibus tradiderunt; itaque quae *Inst.*  
lib. 1. tit. 2. §§. 4. 5. 7. 8. 9, et *Pandect.* lib. 1.  
titt. 2. et 3. et lib. 5. tit. 9. habentur, vix Patrio  
juri applicari possunt; pertinent enim ad statum  
libertatis, et nullum ferme in Monarchia locum  
habent.



## TITULUS II.

## De Judiciis.

*Potestas Judiciaria.*

§. I. **I**n Civitate aliquis esse debet, quem potest iudicium de imputatione actionum; quod Princeps vel per se exercet, vel per alios: quare ad eum tantum spectat iudices, scribas, tabelliones creare, Ord. lib. 2. tit. 26. §. 1. et iudicia ordinare tam in civilibus causis, Ord. lib. 3. tit. 20. Emanan. 16., Alphons. 20., quam criminatibus, Ord. lib. 5. tit. 104., Emanan. 1., Alphons. 4.

Legum condendarum potestati proxime subedit *iudiciaria*, quae securitatem civium internam, et pacem procurat. Bene itaque Cicero in *Philipp.* XII. 10.: *Cum septus sis legibus et iudiciorum metu, non sunt omnia timenda neque ad omnes insidias praesidia quaerenda: quia scilicet maximum praesidium a iudiciis petendum est.*

*Senatores qui dicantur.*

§. II. **J**udicia in Lusitania singuli Magistratus exercent vel seorsim, quemadmodum iudices Ordinarii, Extranei, Praetores, Provisores, cet.; vel una cum Collegis suis, uti Senatores, id est, *Desembargadores*; quo nomine eos amplissimos viros tantum intelligimus, ex quibus Juridici Conventus, et Palatii Curia constant; namque qui in aliis Conventibus et Tribunalibus adsistunt, Deputati proprie appellantur. In eo autem Juridici Conventus, quos Lusitane *Relações* dicimus, et Tribunalia differunt, quod in illis negotia justitiae, in his vero gratiae tractantur.

*Palatii-Suprema Curia.*

§. III. Palatii Curia prima in Lusitania habetur, et illius Senatores omnium clarissimi. Eorum est naturales filios legitimare, adoptionis, adrogationisve, et donationis literas confirmare, Ord. lib. 1. tit. 3. §. 1.; infames ad honorem, et ad famam restituere, §. 2.; in possessionis causa adpellantes in sua possessione tueri; spoliatos omnes, eos praesertim, qui sunt, interposita jam adpellatione, spoliati, restituere, §. 6.; filios emancipare, et veniam aetatis dare, §. 7.; et delicti quibusdam in criminibus, §§. 8. 9. 10. 11., et §§. 18. 19. 20. 21. 22. 32. illorum Regiminis: concedere Revisiones sententiarum, §§. 32. ad 38.; quod bona majoratus, vel dotalia pro aliis permutentur, §§. 39. 40.; et quod Reus sub fidejussoribus se defendat, §. 24. seq., Ord. lib. 5. tit. 131., cet.

Specialem supremae hujus Curiae mentionem faciunt Emmanuel, et Philippus Reges, uterque suo Codice lib. 1. tit. 3., et Alphonsus tit. 4. Illius auctoritatem, jurisdictionemque legibus multiplicibus latis definiverunt Joannes III. 10. Octobr 1534. et 30. Maii 1553., et Sebastianus postridie Calend. Novembr. 1564., et 20. Jul. 1568. apud Leon. 1. p. tit. 4., quae Regimine Palatii dato 27 Jul. 1582. continentur, quod Philippus II. in suum postea Codicem transtulit, et adposuit in fine libri primi. Ex paucis his, quae dicimus, (omnia enim prosequi instituti nostri ratio non patitur) adparet Senatum hunc quam amplissimum tanta auctoritate pollere, ut in leges ipsas, quae certum quid statuunt, et solennia quaedam praescribunt, imperium quodammodo habeat, in eisque aliquando valeat dispensare; tantum nimirum honoratissime Ordini Lusitaniae Reges tribuere voluerunt. Vide Sous: *Hist. Genealog.* tom. XII. p. 2. lib. XIV. cap. IV. pag. 719. et nostram Jur. Civ. Lus. Hist. §. LXXII.

*Reliqua Tribunalia.*

§. IV. Proximum locum obtinent Curia Regii Patrimonii, seu, ut aiunt, *da Fazenda*, quae de Aerario, et Fisco; Curia Conscientiae, ut adpellant, Ordinumque Militarium, quae de capellis quibusdam, piis causis, et Sacris Regni Militiis; Curia Censoria, quae de rebus literariis; Consilium Transmarinum, quod de rebus nauticis; Consilium Sancti Officii Generale, quod de rebus ad Fidem adtinentibus notionem habent.

Curiam Conscientiae Joannes III. instituit, itemque Consilium Sancti Officii generale, quod Josephus I. Rex Fid. nuperrime honorificentissimo Majestatis titulo decoravit 20. Maii 1769. Idem Regii Patrimonii Consilium, multo quidem antea institutum, generali lege 22. Decembr. 1761. quasi de novo condidit; Transmarini jurisdictionem quod jam antea Philippus III. instituerat 25. Jul. 1604. Regimen exstat in Regni tabulario lib. 2. Legg. ejusdem anni) Joannes IV. creavit 14. Julii 1642. Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 51. N. 7., longe multumque adauxit 16. Jan. 1763.: Curiae vero Censoriae ipse tantum Auctor fuit Nonis Aprilis 1768. Illius autem jurisdictionem, et auctoritatem longe amplificavit Maria I. Domina nostra Regio Diplomate anno 1787, quae immutato nomine hodie vocatur *Real Mesa da Commissão Geral sobre o Exame e Censura dos Livros* (Hist. Jur. Civ. Lus. §. CV.). Consilium Status, quod primo loco nominandum erat, instituit, vel ad meliorem certe formam redegit Sebastianus Rex, eique Regimen dedit 8. Sept. anno 1569. Sous. Tom. 3. *Hist. Gen.* pag. 598. Curiam Trium Ordinum Regni, quam *Junta dos Tres Estados* dicimus, instituit Joannes IV. 18. Jan. 1643.

*Supplicationis domus.*

§. V. Supplicationis domus justitiae negotia, et civium omnium lites in ultima, ut Juristae loquuntur, instantia decidit. Constat ex decem Senatoribus gravaminum, decem, et quinque Extravaganti-



bus, Cancellaria, Indice Cancellariae, duobus Curiae Praetoribus causarum criminalium, et totidem civilium, duobus Regiae Coronae iudicibus, et uno Coronae, altero Regii Patrimonii Procuratore, quatuor Auditoribus appellationum criminalium, unoque justitiae Promotore, Ord. lib. 1. tit. 5 in princ., quo loco (ut hoc obiter moneam) editio novissima 1747. perperam habet *Procurator de justicia*, cum in Philippini Codicis prima scriptum sit *Promotor*. Supplicationem, seu civilium causarum domum Joannes I. vel instituit, vel prius e Scalabitano oppido ad Regiam urbem transtulit. *Guarardus Nonius Leo Chron. Alphonsi I.* pag. 34.

*Portucalensis, Bahiensis, et Fluminis Januarii  
Senatus.*

§. VI. Philippus II. multo quidem postea Portucalensem Senatum instituit anno circiter 1582., Philippus III. Bahiensem ipsis nonis Martii 1609., quem postea Joannes IV. restituit pridie idus Septembris 1652.: novum quoque juridicum Conventum in Civitate, quam dicunt Fluminis Januarii, Rex Ferd. fundavit tertio idus Octobris 1751. Hae vero Curiae ex eisdem fere Senatoribus constant, et communibus Supplicationis domus legibus, (ac ibi namque exemplum sunt institutae) et specialibus non nullis pro locorum diversitate utuntur, quas legere est apud Collect. I. Legum Extravag. anno 1747. ordinatam ad Ord. lib. 1. tit. 5 N. 3. et in Append. N. 8. et 55., et in ipso Philippino Codice lib. 1. tit. 35. ad tit. usque 47. (His Jur. Civ. Lus. §. LXXXVII.).

*Supplicationis domus Rector.*

§. VII. Magistratus vel majores sunt, vel minores. Illos inter primo loco nominari debet domus Supplicationis Rector, seu Supremus Justitiae Moderator. Initio amplissimo huic Senatui Reges tantum ipsi praefuerunt, postea viri nobilitate, et virtute omnium clarissimi, quorum primus fuit, Joanne I. imperante, D. Ferdinandus Guerra. Cugna *Catalog. Episcop. Pant.* p. 2. cap. 26. et *Archiepiscop. Bracar. Hist.* p. 2. cap. 54. *Faria Europ. Port.* tom. II. p. 3. cap. 1. in fin. n. 194. Muneris vero hujus dignitatem, atque amplitudinem satis superque commendat, atque exaggerat utriusque Codicis Alphonsi, et Emmanuelis, nec non et Philippi titulus, primus libro primo in principio, qui de Rectore domus Supplicationis inscribitur. Praeest universo Senatorum Ordini, primum ad mensam locum obtinet; et cum Rex Senatum visitat, ad illius dexteram, eodperto capite, sedet; ditium instrumenta singulis Senatoribus dispartitur, Ord. lib. 1. tit. 1. §. 6.; scribe, quaesitoris, distributoris, tribuni, seu calculatoris, et adparitoris officii vacantibus, cum Rex ab urbe Regia abest, interim nominat, qui eadem exsequantur, §. 25.; litium curatoris, forensis victoris, et praesonis officii liberam habet collationem, §. 26.; et denique quod commune, et praecipuum est, iudices, Senatores, Ministros, Advocatos in officio continere debet; et curare, ut leges, et bonae consuetudines serventur. Videtis Regimen aliud 7. Jun. 1605 datum apud Ord. lib. 1. tit. 1. Collect. 1. N. 14.

*Portucalensis Gubernator.*

§. VIII. Regia tandem civilium causarum domo sub Philippo II. Portucale translata, proximum fere

a Supplicationis domus Rectore locum obtinet Portucalensis Senatus Gubernator; ideoque in iis, quae specialiter non excipiuntur, illius Regimine utitur, Ord. lib. 1. tit. 35. §. ult. Primum vero honoratissimo hoc munere functus fuit Petrus Guedes Henrici Sousae minoris 20. annis nomine, cui illud ab eodem Philippo II. collatum fuerat. Cugna *Catalog. Episcop. Portuens.* p. 2. cap. 39. pag. 340., *Sous. Histor. Genealog.* tom. XII. p. 1. pagg. 256. 511. 515. et 523., *Lim. Geogr.* tom 1. cap. 5. (*Hist. Jur. Civ. Lus.* §. LXXXVII.).

*Domus Supplicationis majores Magistratus.*

§. IX. Inter majores quoque Magistratus connumerandi sunt Cancellarius Regni Maximus, de quo Ord. lib. 1. tit. 2., et domus Supplicationis tit. 4., quorum praecipuum munus est pervidere, cavere nequid ex Palatii, vel Supplicationis Curia emanet scriptis legibus contrarium, Praetores criminales, vel civiles, qui purpuratorum hominum criminales, vel civiles causas cognoscunt, tit. 7. et 8.: Auditores criminales domus Supplicationis, quos penes cognitio est de reliquorum civium delictis in causa adpellationis. tit. 11., Judices Regiae Coronae, tit. 9., et Regii Patrimonii, tit. 10., qui de Juribus Majestatis, Regiae Coronae, Regioque Patrimonio notionem habent; Procuratores Coronae, tit. 12., aut Regii Patrimonii, tit. 13., qui eadem defendunt, ac procurant. Ad Judicem Cancellariae inter alia spectat Judicium de erroribus, falsitatibus, et delictis scribarum, tabellionum, cet., tit. 14.; ad Promotoris justitiae officium nocentium, qui adversarium non habent, criminales adcusationes prosecui, tit. 15. Magistratus hi omnes ex numero Senatorum sunt domus Supplicationis; eadem ferme jurisdictione utuntur, qui

in Portucalensi domo similia munera exercent, et illorum specialis mentio fit Ord. lib. 1. tit. 36. 38. 39. 40. 41. 42. 43.

Majores inter Magistratus numerandi quoque sunt, et quidem primo loco, tres illi sanctionis consilii Administræ, Lusitanæ *Sekretarios e Ministros d'Estado*, a Joanne V. creati Diplom. 28. Jul. 1736. apud Ord. Collect. ult. ad lib. 5. tit. 143. in fin. Alium ordinem, et Administratos alios in publicis, privatisque negotiis apud Regem expediendis statuerat Joannes IV. Regio Diplom. 29. Novembr. 1643. apud Sous. tom. IV. Probat. ad lib. VII. N. 19., et tom. VII. *Hist. Genealog.* pag. 202., et alium Sebastianus Rex Diplom. 8. Septembr. 1569. apud eundem Sous. tom. III. Probat. ad lib. IV. N. 161. Hodie Administer alius ejusdem prosus ordinis pro Negotiis ad rem aëriam spectantibus procurandis creatus fuit Diplom. 15. Decembr. 1788. Qui quidem omnes proxime adcedunt, et parum officio, et auctoritate distant ab antiquo Regis Scriba, et intimo Administro, quem *Escrivão da Puridade* appellabant. Inter alios, qui diversis temporibus memorantur, amplissimo hoc munere officioque sub Alphonso VI. functus fuit Ludovicus Vasconcellus Sousa, Comes III. Castelli Melioris, ut patet ex ejus literis, amoris; existimationisque plenissimis, datis 21. Jul. 1662 apud Sous. tom. V. Probat. N. 46., cujus dignitas, et summa, ut ita dicam, auctoritas satis constat ex illius Regimine, dato ab eodem Alphonso Rege 12. Mart. 1663. ibid. N. 47. p. 7. Ejusdem fere auctoritatis erat officium aliud, seu Dignitas dicta *Privado d'ElRei*, quo nomine olim utebatur Administer, qui negotia apud Regem explicabat. Sous. *Histor. Genealog.* tom. XI. lib. XIII. p. II. cap. I. pag. 597., Brand. *Monarch. Lusit.* P. 5. lib. XVI. cap. II. pag. 4. vers.

*Speciales non nulli certis causis, et personis  
constituti.*

§. X. Ejusdem fere ordinis sunt speciales non nulli magistratus, veluti Judex Misericordiae Sacrae Olisiponensis Sodalitatis, qui de rebus ad eandem spectantibus judicia exercet. Ord. lib. 1. tit. 16., Judex Equestris, qui de Equitum Causis;

Judex Generalis Ordinum Militarium, qui de Sacramentis Regni Militarium; Judex Indiae, et Minae, qui de rebus transmarinis, Ord. lib. 1. tit. 51.; Auditor publicae mercium Olisiponensis domus, tit. 52.; et Duumviri publicarum mercium domorum in universo Regno curatores 26. Maii 1766. creati, qui de mercibus interdictis; Belli Auditores 20. Octobr. 1763. instituti (hodie extincti Diplom. 26. Februar. 1789.), qui de militum; Conimbricensis Academiae Conservator, qui de Academicorum causis cognoscunt, Ord. lib. 3. tit. 12. § ult. Judex Fisci, qui de rebus ad fiscum adinentibus specialem notionem habet ad eum modum, quem singulare Regimen eidem datum 10. Julii 1620. tom. 5. Ord. edit. anno 1747. in fine declarat.

*Judices ordinarii, foranei, aediles, decuriones.*

§ XI. Ordinarii Magistratus dicuntur judices, qui vel Ordinarii in specie adpellantur; vel Extranei, vel Pedanei, seu *da Vintena*, hi namque aliquam etiam jurisdictionem habent, Ord. lib. 1. tit. 65. §§. 73. 74. Extranei, seu foranei, ita dicti, quia aliunde, et foris ab Emmanuelis Regis tempore adsumuntur, eandem fere cum Ordinariis jurisdictionem habent, ab his tamen vel maxime differunt, quod scilicet Extranei a Rege, Ordinarii ab loci incolis ad eum modum, quem praescribit Ord. lib. 1. tit. 67., electi et a Palatii Curia, vel Provinciae Praeside postea confirmati annum dumtaxat imperium: ipsi vero triennium habent. Horum omnium judicum mentio fit Ord. lib. 1. uno eodemque tit. 65. Speciales quoque non nullis in locis criminales judices creantur, et orphanorum, de quibus eadem Ordinatio tit. 88. Et nimirum ad ordinarios hos judices, vel extraneos primaria cura, et regimen loci, cui praesunt, spectat, sique impe-



rium habent, et jurisdictionem civilem, criminalem, voluntariam, contentiosam, politicam; neque majores Magistratus majorem, amplioemve habent cognitionem, licet majore gaudeant auctoritate, jurisdictione, et imperio. Aediles autem; sive minores cujuscumque loci, urbisve, de quibus Ord. lib. 1. tit. 68., sive majores, veluti Aedilis Curiae Maximus, de quo Ord. eodem libro tit. 18., politicam magis, et oeconomicam jurisdictionem exercent, itemque Decuriones, id est, *Vereadores*, de quibus Ord. eodem lib. tit. 66.; popularium enim rationum quodammodo procuratores sunt, et ipsorum iudicum adjutores, consilarii, et substituti: non poterant tamen sententias cum civiles, tum criminales definitivas proferre, Dipl. 5. Septembr. 1774. Hodie jus antiquum in usum revocatum est Decr. 17. Jul. 1778.

*Praetores, et Provisores.*

§. XII. Ordinariis, et foraneis iudicibus tam in urbe, quam in Provincia praesunt Praetores, id est, *Corregedores*, qui inter alia criminales, vel civiles causas in secunda instantia decidunt, de urbanis loquitur Ord. lib. 1. tit. 49., de provincialibus tit. 58.; itemque Provisores, id est, *Provedores*, qui de testamentis in primis, xenodochiis, capellis, confraternitatibus notionem habent; de Olisiponensi specialis mentio fit Ord. lib. 1. tit. 50., de reliquis tit. 62. eodem libro.

*Qui olim in Lusitania Magistratus.*

§. XIII. Atque haec hodie Lusitanorum fere omnium Magistratum nomina, et officia. Olim pauciores numero erant, neque alii ferme inter nos agnoscebantur, quam iudices ordinarii loci, et Praetores: speciales enim Magistratus, qui postea ad-

cesserunt, originem suam debent vel imperii majori amplitudini, vel Juris Civilis Romani, et Canonici in Lusitania introductioni (Hist. Jur. Civ. Lus. §. LXV. LXXIII. Not. Inst. Jur. Civ. Lus. Lib. IV. Tit. VII. §. VII. et seqq.).

Initio ad judices ordinarios loci causae omnes, cujuscumque generis essent, adtinebant, quas ex bono et aequo et secundum forales leges vel ipsi tantum, vel una cum *Ricis*, ut adpellabant, *hominibus*, et bonis viris judicabant: ab iis provocare fas erat, vel ad Regem, omisso medio, vel ad illius Supremum Magistratum; quem vel Praetorem, id est, *Corregedor*, vel *Sobrejuiz*, vel *Adelantado*, vel Rectorem Gubernatoremve nominabant: quae nomina promiscue hic nos accipimus pro uno eodemque magistratu; omnium quippe eadem fere munera erant, jurisdictio et imperium. Hi vero Praetores (similia de reliquis dicta volumus) ad tempora usque Joannis II. cum e numero Jureconsultorum non essent, magis ad vim majorem propulsandam, ad factiones vitandas; ad provinciam a latronibus purgandam, externis hostibus liberandam, et a Regis jus tuendum, quam ad lites judicandas dati erant; ad eosque non nisi in causis gravioris momenti, et veluti extra ordinem provocari mos erat; quae omnia quantum posterioribus legibus immutata sint, facile omnes vident. Introducto paulo antea in Lusitania jure Romano, Jureconsulti forense statim regnum ab Joannis I. praesertim tempore occuparunt, a quo litium numerus adeo in immensum excrevit, ut iis dirimendis novis aliis et Magistratibus, et Curiiis opus esset; itaque effectum est, ut quae antea judex unus, aut Praetor componere consueverant, hodie nec sexcenti sufficerent. Aequalia, quinimo multo majora mala ex Canonici, id est, Decretalium juris introductione orta sunt: privilegia piae causae, exemptiones Ecclesiasticorum, bonorum ecclesiasticorum a saecularium distinctio, et id genus alia paene innumera emerferunt, quibus ut occurrerent Reges nostri, in eam necessitatem sunt redacti, ut speciales Magistratus diversis temporibus crearent, qui jura sua, et bona defenderent, ac procurarent, qui de testamentis, et piis causis, qui de pupillis, orphanis, viduis, capellis, confraternitatibus, qui de rebus nauticis, mercatoriis, bellicis terra marique jura redderent. Hinc ortum habent posteriores Curiae,

Juridique Conventus, et singulares tot Magistratus orphanorum, Regiae Coronae, Regii patrimonii, et criminales a civilibus distincti (Inst. Jur. Crim. Lus. Tit. XII. §. XII. Not.), Militares, ceteri, quorum hodie munera, cui ipsi vix sufficiunt, ad ordinarios loci iudices, et Praetores quondam adtinebant.

*Lusitanorum, et Romanorum Magistratum differentia.*

§. XIV. Lusitani vero Magistratus quantum a Romanis differant, facile intelligent quicumque fuerint in Romani, Patriive Juris lectione vel mediocriter versati. Errant ergo qui ea, quae Romani de origine juris, et omnium Magistratum lib. 1. tit. 2. Pandect., de Senatoribus tit. 9, de officio Consulis tit. 10., Praetorum tit. 14, Praesidis tit. 18. cet. tradiderunt, nostris Magistratibus adcommodant. Sed magis et vehementius errant, qui Romanorum judiciorum ordinem diversum pro diverso Reip. tempore tam in civilibus, quam in criminalibus causis nostris cum judiciis confundunt, ut suo loco (Inst. Lib. IV. Tit. VII. §. VI. dicemus.

*Qui Magistratus gerere possint.*

§. XV. Neque omnibus promiscue apud nos Magistratus gerere concessum est, a publico namque judicandi munere arcentur minores 25. annis, et caelibes, Ord. lib. 1. tit. 80. §. 21., et tit. 94. in princ., et §. 1. Diplom. Philippi III. 27. Aprilis 1607. Collect. 1. ad eandem Ord. N. 1.; peregrini, et advenae, Ord. eodem libro tit. 81.; neque Magistratus honores ambire possunt, nisi qui Conimbricae per octo annos (hodie quinquennium sat erit; non enim ultra protrahuntur Academica studia) Juri Civili, vel Canonico operam dederit, gradum Baccalauri fuerit adeptus, et publicum, ut adpellant,

*Formaturae* examen subierit, Extravag. Joannis III. 13. Jan. 1539. apud Leon. 4. p. tit. 17. l. 13. Joannes V. illud addidit, ut iidem postea uno duobusve annis in foro sese exercerent, et quod eos tantum Palatii Suprema Curia admitteret. quos alma Gomnibricensis Academia Magistratus honoribus publicis, privatisque testimoniis idoneos judicasset, Decret. 31. Agost. 1723. Collect. II. ad Ord. lib. 1. tit. 48. N. 2.

*Et a quibus debeant abstinere.*

§. XVI. Quo autem liberius officio suo vacare possint, debent Magistratus a conviviiis abstinere, neque eis propterea fas est litigantium literis respondere, Regnum Philippi III. Diplom. 23. Novembris 1612. Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 5. N. 2., et Collect. II. N. 17. 18. 19.: pro aliquo procurare, Ord. lib. 3. tit. 28. §. 2.; litigatoribus ullam injuriam inferre, Ord. lib. 3. tit. 19. §. 1/4.; justitiae arcantum prodere, Ord. lib. 5. tit. 9. §. ult.; et multo minus judicium nummarium exercere, Ord. eodem libro, tit. 71., Emman. 56.: certo habitu, et vestitu incedunt, quem declarat Diploma 30. Junii 1652. Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 5. N. 1., certisque insignibus, et virgis utuntur, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 1. Senatoribus interdictum et hospitio aliquem excipere, Ord. lib. 1. tit. 5. §. ult.

*Magistratus a quo puniendi, et quomodo.*

§. XVII. Et quemadmodum solius Regis est Magistratus creare, ita ad eum tantum spectat eosdem punire, demittere, et ignominiosam, causariam, honestamve missionem dare, Ord. lib. 2. tit. 54.; qui si dolo, vel ignorantia judicaverint, modo legibus nostris in expensis damnantur, Ord. lib. 1.

tit. 65. §. 9., modo ab officio in perpetuum, aut ad tempus pro modo, et qualitate delicti submoventur, Ord. lib. 1. tit. 5. §. 4., tit. 80. §. 14., et tit. 100., et lib. 5. tit. 74. Antiquissimae etiamnum leges exstant, quae iudicem, finto officio, ad munus sui reddendas rationes adigunt, Ord. lib. 1. tit. 60., Emman. 41. et 42., Dipl. 8. Febr. 1775., et Judicibus omnibus injungunt, ut de antecessoris sui gestis intra decem dies ex officio inquirent, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 39.

Missio militaris vel ignominiosa est, quae ob delictum decernitur, vel honesta, quae emeritis stipendiis, vel causariis, quae propter valetudinem, et similem causam indulgetur, l. 2. §. 2. D. de his, qui notantur infamia. Remotio, et depositio Magistratus missioni militari ignominiosae respondet, et infamiam, atque ignominiam irrogat: dimissio vero simplex honestae vel causariae, quae veluti gratia quaedam habetur, seu privilegium: itaque Magistratus simpliciter dimissi titulum dignitatis retinent, l. 17. C. de quaestionib., l. ult. D. de decurionib., secus remoti ab officio, et ab imperio turpiter depositi, ll. 2. 9. de senatorib., Boehmer. Exercit. ad Pandect. tom. III. Exercit. 57. de jure Principis circa dimissionem Ministrorum capp. 1. et 2.

### De aedensis.

§. XVIII. Singuli Magistratus singulos ministros, et lictores habent tam in urbe, quam in provinciis, quorum princeps est Lictor Maximus, de quo Ord. lib. 1. tit. 17. Ab eo longe dignitate distant Curiae, tit. 21., et carcerum adparitores, tit. 22., Curiae praesones, tit. 32., scribes Regni Cancelleriae, tit. 19., Supplicationis, tit. 20., Pallatii Senatorum, tit. 24., Senatus loci cujuscumque, tit. 71., Aedilium, tit. 72., Tabelliones, tit. 78. 79. 80., ceteri, quorum specialia munera, et officia nihil est ut referamus: hos omnes creare Regis solius est, Ord. lib. 1. tit. 97. §. 7. in fine, et lib. 2. tit. 26. §. 1., et tit. 45. §. 24. eodem libro.

*Officia non nulla extincta.*

§. XIX. Sicut et extinguere, et penitus abolere: sic Josephus I. Rex Fid. Regiarum rationum Curiam abolevit Edictò 22. Decembr. 1761. tit. 1., Curiae et urbis depositarios publicos 21. Maii 1751. Append. N. 33. vel privatos 13. Januar. 1757. ibidem N. 91., 4. Maii ejusdem anni N. 99., 9. Augusti 1759. N. 131.; adparituram exportationum, id est, *das saccas*, 3. Aug. 1767., et Olisiponensis urbis praefecturam 6. Novembris 1769.

*Quae illorum natura, et indoles.*

§. XX. Officia autem publica, et Reip. munera cujuscumque generis cum personalia sint, et natura sua industriam requirant, quis unquam bonis adnumerare, et hereditaria adpellare ausus erit? Quare ea bene potest Rex pro lubitu auferre, et conferre, Ord. lib. 1. tit. 99., Emman. 76., neque eadem possunt in gratiam alicujus remitti, aut renuntiari, Ord. eodem libro tit. 80. §. 20, et tit. 96., et lib. 2. tit. 46. quae omnia, ut multiplices alias antiquiores leges omittam, de novo firmavit Rex Fid. Generali Constitutione 23. Novembr. 1770 data (Hist. Jur. Civ. Lus. §. LXXI.)

*De Arbitris.*

§. XXI. Arbitri partium compromisso electi, officium judicandi lege publica recipiunt, et iudicis loco habentur, ideoque hic non incommode subiciuntur. Quare debent solennitates iudiciorum observare, Ord. lib. 3. tit. 17. in princ.; non tamen possunt sententiam suam executioni mandare, Ord. eodem libro tit. 16. §. 2., et ab ea omnino adpellare licet, nec pactum, poenave in contra-

rium adposita valet; Ord. eodem libro et tit. in princ. , secus Jure Romano , l. 27. §. 2. l. 32. §. 14. *D. de recept. qui arbitr.* Arbitrorum munus judices quicumque (de privatis nullus dubitat) recipere possunt, Ord. lib. 3. tit. 16. §. 3. Quod quidem Jus Civile negat , l. 9. §. 2. *de recept. qui arbitr.*; concedit Canonicum, cap. 7. et 10. *de arbitr.* Reliqua, quae Ordinatione eod. lib. 3. tit. 16. continentur, ex Jure Romano petita sunt.

Arbitris, quos consensus litigantium facit, jus publicum auctoritatem impertitur. Romae, arbitrio semel recepto, Praetor se interponebat: *non tantum quod studeret lites finire, verum quoniam non deberent decipi, qui eam* (arbitrium) *quasi virum bonum disceptatorem inter se elegerunt*, Ulp. in l. 3. §. 1. *D. de recept. qui arbitr.* In Lusitania arbitrorum usus jam ante juris Romani receptionem inoleverat, et hic initio simplicissimus litium dirimendarum modus; neque vero aliud quam arbitrium erat judicium illud coram *Ricis hominibus*, et bonis honestisque viris olim usitatum. Jure autem Civili et Canonico tam in Aeademia, quam in foro postea recepto, ex utroque digestus fuit Ord. lib. 3. tit. 16., Emman. 81., Alph. 113. Quare quod morte finiatur compromissum, §. 4. ejusdem Ordinationis, ex l. 27. §. 1.; quod non dicant sententiam plures arbitri, quibusdem absentibus, nisi in hunc casum partes antea expresse compromississent, §. 6., ex l. 17. §. ult., l. 27. §. 3.; quod plures arbitri si in re ipsa dissentiant, id, quod major pars judicaverit, praefertur, §. 7., ex l. 17. §. 6., l. 18.; quod pares numero arbitri si inter se haud convenient, possit tertia persona adsumi, §. 8., ex l. 17. §§. 5. et 6. *D. de recept. qui arbitr.* petendum est.

### *De Arbitratoribus.*

§. XXII. De Arbitratoribus Ord. lib. 3. tit. 17. specialis mentio fit: de facto ii tantum cognoscunt, in quo vel maxime ab arbitris differunt, et vel a litigatoribus, vel a loci Senatu eliguntur, eadem Ord. in princ. et §. 1. Adhibentur in partitionem, seti familiae eriscundae judicio, Ord. lib. 1. tit. 88.

§. 5., et ad litem, quae de agitur, aestimandam, Ord. lib. 3. tit. 70. §. 9., et in bonorum venditionibus, et adjudicationibus factis ad praescriptum legis novissimae 9. Julii, et 14. Octobr. 1773., cet. Si dissentiant inter se arbitratores, tertius ex consensu partium, vel a iudice ex officio eligitur, Ord. lib. 3. tit. 17. §. 2. et 4.; hi vero si iniquum iudicium dixerint, partes possunt vel intra decem dies adpellare, Ord. lib. 3. tit. 78. §. 2., vel intra annum officium iudicis implorare, qui illud, re cognita, rescindit, et reducit, Ord. eodem lib. 3. tit. 17. §§. 3. 5. et 6., et lib. 4. tit. 96. §. 19.

In re Romano praxum, et in re ipsa iniquum arbitrium officio iudicis corrigitur, et ad arbitrium boni viri reducitur, quamvis certa nominetur persona, ex sententia Praenuli in ll. 76. 78. 80. D. *pro socio*, Paul. in ll. 77. 79. eod., et Celsi l. 30. *de oper. libertor.* Hoc tamen in iudiciis tantum obtinet bonae fidei, et in legatis, fideicommissis, quae eis comparantur, l. 3. C. *in quibus causis in integr. restit.*: namque in stipulationibus arbitrium unius non reducitur, neque personam egreditur, ll. 43. 44. *de verbor. obligat.*; quod quidem locum etiam habet, certa licet poena adjecta sit, l. 6 D. *de condit. et demonstrat.* Verum haec, et siqua sunt alia hujus generis a Romanis subtiliter excogitata, hodie nullius usus sunt; itaque apud nos iniquum arbitrium a iudice semper emendatur, utut poena adjecta proponatur, Ord. lib. 3. tit. 17. §. 7., et reducitur in omnibus iudiciis, et contractibus, §§. 3. 4. 5. 6. eodem; nec venditionem ipsam excipimus, Ord. lib. 4. tit. 1. §. 1. *vers. E. arbitrando*, quae profecto aequitatem magis servat, quam Novella Justiniani Constitutio in l. ult. C. *de contrah. empt.*, ex qua deducta fuit; eadem namque Justinianus Sabinianorum et Praeuleianorum hac in parte dissidium quidem sustulit, rem tamen ipsam, et negotium plane non absolvit,

### *Poena jus sibi dicentis.*

§ XXIII. Iudiciis vero semel constitutis, nemo sibi jus dicere potest; non enim est singulis cou-



cedendum, quod per Magistratus publice fieri potest, ne occasio sit majoris tumultus faciendi, ut bene ait Paulus in l. 176. *de reg. jur.*; itaque qui hanc facultatem sibi praesumit, inter alias poenas jus omne, siquod fortassis habebat, tam Romanis, quam patriis legibus amittit, l. 13. D. *quod met. caus.*, l. pen. *ad Leg. Jul. de vi privat.*, l. 7. C. *unde vi*, l. 3. *Cod. Theod. eodem*, Ord. lib. 4. tit. 58. in princ. Judicium namque privatum in bene composita civitate permissum est nemini, et haec praecipua inter statum naturalem, et civilem differentia est: et haec nimirum ratione privata vindicta, privata custodia, singularis certaminis provocatio, in aliquem turmatim facta irruptio, cetera, quae suo loco dicemus; crimina apud nos publica quodammodo sunt, et capitalia non nunquam, Ord. lib. 4. tit. 28. 57. 58., et lib. 5. tit. 43. 45. 46. 47. 95.

Haec vera omnia sunt: antiquis tamen Regni legibus et consuetudinibus permissum erat vi et armis propriam ulcisci injuriam. Haec in primis spectat celebris *de Revendicta* lex. Quare unusquisque poterat ad illius modum et suam, et consanguineorum injurias prosequi: quam in rem videantur quoque inter alias Alphonsi III. leges Comibricae datae 17. Mart. aet. 1368., et 11. April. 1385. Jus hoc originem suam debet antiquorum Nationum legibus, de quibus Eustath. *ad Homer.* lib. IX. *Iliad.* vers. 628. seq., et Wisigothiis lib. 3. tit. 4. h. 3. 9.; lib. 6. tit. 5. h. 12. 16. 18., lib. 7. tit. 3. l. 3. Ex hoc fonte manavit Ord. lib. 5. tit. 38., quae vindictam privatam in casu adulterii, et lib. 7. tit. 3. §. 5., quae inimicitiae liberis concedit. Alia exempta peti possunt ex Ord. lib. 3. tit. 89. §. 1., lib. 4. tit. 23. §. 3., tit. 57. §. 1. tit. 76. §. 3. vet. (*Inst. Jur. Crim. Lus. Tit. IV. §. XXXI. Not.*, et Tit. XII. §. I. *Not.*) Ex eodem nata quoque videntur asylum iura, et securitatis litterae: quae omnia melioribus temporibus intrudeta ideosunt, ut vindicta privata hoc quasi colore, et indirecta via quaesita, tandem aliquando in usu, et in honore esse desiissent.

*Aliquando vis privata, et judicium permissum.*

§. XXIV. Non nunquam tamen evenit, ut leges extra ordinem veluti vim privatam, et judicium concedant (Inst. Jur. Crim. Lus. Tit. IV. §. XIII. Not.). Nam I. judex injuriam sibi, ejusve adparitori illatam vindicat, quia magis officio suo et Reipublicae facta esse videtur, Ord. lib. 5. tit. 50. et 51., et lib. 3. tit. 21. §. 26., et tit. 24., l. ult. D. *siquis jus dicenti non obtemper.*, l. 9. de *jurisdict.*, l. 19. de *officio Praesid.* II. Potest quis propria auctoritate novum opus nuntiare per jactum, sive ictum lapilli, Ord. lib. 3. tit. 78. §. 4. deducta ex l. 5. §. 10. D. de *oper. novi nuntiat.* III. Lictor potest domus conductorem jussu dumtaxat domini, mercede non soluta, pignerari, Ord. lib. 4. tit. 23. §. 3. et tit. 57. §. 1. in fine.

Anceps quaestio est Jure Romano, an conductorem pensionem non solventem possit locator propria auctoritate expellere? Adfirmat inter alios Menoch. Remed. 5. Recup. poss. n. 46. subnixus l. 61. in princip. D. *locat.*, l. 54. §. 1. *cod.*, l. 3. *Cod. de locato*; negat Fachin. lib. 1. *Controv.* cap. 95. Ego vero sic existimo locatorem posse colonum sine judice, absque tamen vi armata, expellere, quia per eum scilicet possidet; itaque prohiberi non debet, ut in possessionem rei suae eat, eamve prosequatur: si vero colonus repugnat, et manum armatam ingredienti objicit, judex adeundus, et interdicto *unde vi* utendum est, ll. 12. 14. 18. D. *de vi et de vi armata.* Haec jure Romano; Patrio autem jure dejectio privata est omnino interdicta; illud tantum domus locatori concessum, ut ejus jussu possit licitor conductorem pensionem non solventem pignerari, Ord. lib. 4. tit. 23. §. 3., quod cum singulare jus sit, dubito an jure posset ad reliquas colonos, et agrorum locationes extendi. (Extendi posse videtur: eadem enim juris ratione nititur, quam approbat Lex 18. Aug. 1769.).

*Alii casus enumerantur.*

§. XXV. Ceterum potest etiam creditor ex conventionem in bona debitoris sese inmiscere, eadem pignerari, et illorum possessionem capere, dummodo non obnitatur debitor, neque rixae et tumultus inde sequantur, Ord. lib. 4. tit. 57. in princ., et tit. 58. §§. 2. 3., l. 11. Cod. *de pignorat. act.*, l. 3. Cod. *de pignorib.*, itemque unusquisque potest possessionem, a qua fuit vi dejectus, per vim quoque, sed in continenti, recuperare, Ord. lib. 4. tit. 58. §. 2.; et cautionem dando coram duobus tribusve testibus judiciario praeconi obniti ac repugnare, et bonorum pignorationem, ac venditionem impedire, Ord. lib. 3. tit. 89. §. 1. (Inst. Lib. IV. Tit. XXII. §. X.); debitorem suum de fuga suspectum, vel in fugam se vertentem comprehendere, Ord. lib. 4. tit. 76. §. 3. vers. *Porem*, et lib. 5. tit. 95. §. 3. Possunt etiam grassatores, latrones, vel quicumque rem alienam vendunt, a quocumque comprehendi, Ord. lib. 5. tit. 60. §. 7., Diplom. 20. Octobr. 1763. §. 8.; maritus potest adulterum domi habitum detinere, Ord. lib. 5. tit. 95. §. 2., quinimo et occidere, ead. Ord. tit. 38. in princ. Banitum, id est, publica lege proscriptum cuilibet occidendi potestas est, Ord. lib. 5. tit. 126. §. 8. Denique potest quis propria auctoritate sibi jus dicere ob praesentissimum in mora periculum, quod ad iudicis auxilium confugere non sinit; vel quando iudicium in universum cessat, seu tempore justitii. Grot. *de jure bell. ac pac.* lib. II. cap. 3. §. 2.

Justitium ad Gellii sensum *Noct. Attic.* lib. XX. cap. 1. *juris quasi interstitio quaedam est, et cessatio, ut nihil his diebus jure agi possit.* Aliud voluntarium est, sen indictum, aliud necessarium; utrumque autem vel universale, vel

particulare. Illud olim Romani indicebant tempore luctus publici, Tacit. lib. 1. *Annal.* 16., vel ob publicam laetitiam, Horat. lib. IV. Od. 2.; necessarium ob calamitatem belli, pestis, aut famis contingit. Justitii itaque tempore status naturalis restituitur, et potest quis propria auctoritate sibi jus dicere, quin ullam poenam incurrat; judiciis vero postea reductis, res erit iterum sub examen et incudem revocanda. Ordinatio Regia lib. 3. tit. 18. praeter ferias in honorem Dei, et messium vindictarumque, alias refert §. 1. a Rege extra ordinem non nunquam gravissimas ob causas (quas tamen non declarat) indictas, quibus statuit judicia omnino cessare, et forum litibus orbem esse: verum feriae ejusmodi, quibus iudicium penitus cessaret, et majorum saltem iudicium copia deesset, nunquam apud nos imperatae fuerunt, neque ob causam luctus, laetitiaeve justitium unquam universale indictum. (Inst. Lib. IV. Tit. XIV. §. IV.).

---

## TITULUS III.

### De Jure gladii.

#### *Jus gladii quid.*

§. I. **J**udiciariae potestati quam finitimum est imperium, seu jus gladii, quod etiam potestas appellatur ad animadvertendum in facinorosos homines, illudque imperantem semper comitatur. Cum enim Respublica duabus rebus maxime contineatur, premio, et poena, ut bene ex Solone refert Cicero. 1. *in Brut.* Epist. 15., debet Princeps delictis certas statuere poenas, quas, prout e Republica erit, modo intendere, modo remittere potest.

#### *Jurisdictionis, et quibus competat.*

§. II. Imperio jurisdictionis inest, id est, de re qualibet notio, seu juris dicendi potestas; neque

apud nos alicujus usus est subtilis meri, et mixti imperii, jurisdictionisve differentia, cetera, quae occasione l. 3. D. de jurisdictione. Romani juris Scriptores disputant. Namque iudicibus omnibus, si arbitros excipiamus, jurisdictione, seu mixtum imperium, ut vocant, et demum ea omnia concessa esse videntur, sine quibus illorum jurisdictione, muneris, et auctoritas commode explicari non possunt. Capitales tamen poenas, quae praecipue imperii, seu gladii vocabulo veniunt, non omnes, et singuli Magistratus, sed iudices tantum Regni Convencus imponunt, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 33., Regium Diplom. 20. Octobris 1763. §. 1.

*De Rege iudicia criminalia exercente.*

§. III. Iudicium criminale vel Rex ipse exercet, vel quicumque ejus nomine; prius tamen invidia haud carere videtur; potest enim facile subditorum odium incurrere. A Rege vero qui fuerint extra veluti ordinem ad mortem damnati, non nisi post 20. dies supplicio afficiuntur, Ord. lib. 5. tit. 137. in pr., Alph. 70. Emman. tit. 60. ibi: *Quando nós condenarmos alguma pessoa á morte; ou que lhe cortem algum membro por outro proprio motivo, sem outra ordem, e figura de juizo, por ira, ou sanha, que delle tenhamos, a execucao da tal sentença seja spracada até vinte dias.* (Inst. Jur. Crim. Lus. Tit. XX. §. IV.)

Alphonsus II. in Comitibus Conimbricensibus anno 1211. primus hanc legem tulit apud Brand. *Monarch. Lusit.* 4. p. lib. XIII. cap. 21. Similem fere multo quidem antea anno Dom. 390., Ambrosio fortassis rogante, legem condidit Theodosius M., quae ex parte extat in l. 13. Cod. Theod. de poen., ubi egregie Gothofr., et in l. 20. Cod. Just. eodem. Quaestio est an decorum, et utile sit, Regem non per iudices datos, sed per se ipsum iudicia criminalia, vel civilia exercere; negat Bodin. de Rep. lib. 4. cap. 6.

*Poenarum genera.*

§. IV. Multiplicia sunt poenarum genera, quae suo loco, cum de delictis sermo erit, indicabimus. Summa autem haec est, quod vel capitales sunt, et vitae periculo conjunctae, vel pecuniariae, quae in bonorum jactura consistunt. Poenae quoque talionis, quam Leges ipsae divinae saepius inculcant, mentionem facere videntur Ord. lib. 1. tit. 77 § 3., lib. 2. tit. 1. §. 5., lib. 3. tit. 60. §. 5., et lib. 5. tit. 122. §. 10.

*Earum imponendarum jus.*

§. V. Et quemadmodum Regis solius est leges ferre, judicia ordinare, et Magistratus constituere; ita ad eum tantum spectat poenas delictis cum publicis, tum privatis imponere; neque hanc potestatem quisquam sibi adrogare potest, quacumque fungat dignitate. Excipiuntur parentes, qui in liberos; domini, qui in servos, aut famulos; mariti, qui in uxores aliquam exercent potestatem, eisque certas poenas, et castigationes, sed leves et moderatas infligere possunt, Ord. lib. 5. tit. 36. §. 1., et tit. 95. §. 4.

His omnibus olim leges Romanae dederunt jus vitae, et necis, l. 11. D. de lib. et post., Dionysius Halicarnasaeus lib. II. *Antiquit. Rom.*, Gell. *Noct. Attic.* lib. X. cap. 23. Restricta quidem posterioribus legibus hujusmodi potestas fuit, sed non penitus abolita; unde passim dominici juris, patrii, et maritalis vestigia et Romano, et Patrio jure videmus, quae suis locis adnotabimus.

*Et finis.*

§. VI. Finis poenarum idem ac Societatis, id est, securitas civium; et haec nimirum erit quantitatis poenarum fundamentum. Poenae vero augentur

tur, vel minuuntur septem modis, *causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, et eventu*, quae omnia ordine prosequitur Claudius Saturninus in l. 16. §. 1. et seq. D. *de poen.* Plura hanc in rem egregia habent Grotius *de Jur. bell. ac pac.* lib. II. cap. 20. et Purfendorpius *de Jur. Nat. et Gent.* lib. VIII. cap. 3., quae transcribere otium non est.

*Conventionalis, et judicialis poena.*

§. VII. Poena quoque conventionalis, vel judicialis tam Romanis, §. ult. *Inst. de verbor. obligat.* cum similibus, quam Patriis legibus, Ord. lib. 4. tit. 70. in princ. et §. 1. et 2., toleratur; illa ex contractu oritur, et conventionis species quaedam est; judicialis vero ex ipsa juris necessitate, et auctoritate judiciorum derivatur.

*Hac in re Romani, et Patrii juris differentia.*

§. VIII. Ea tamen differentia jus inter utrumque est, quod jure Romano non inspicitur quanta poena conventioni, seu facto adjecta sit, sed quantumque promissa fuerit, debetur: *Poenam enim cum stipulatur quis, non illud inspicitur, quid intersit; sed quae sit quantitas, quaeque conditio stipulationis*, Ulp. l. 38. §. 17. D. *de verb. obligat.*, §. 19. *Inst. de inut. stipulat.* Contra vero jus nostrum non admittit poenam sive judicialem, sive conventionalem, quae quantitatem excedit et valorem rei, factive promissi, Ord. lib. 4. tit. 70. in princ. et §. 1. et 2.

*Usuratum poena.*

§. IX. Quocirca si contingat, quod usurae summam debiti principalis excedant, vel saltem aequent, puto non nisi ad ejus quantitatem peti posse, utut in contrarium est Pragmaticorum turba

Namque usura conventionalis poena est, quam quisque in singulos annos, debito non soluta, promittit; poena vero nunquam id, quod obligatione continetur, superare potest, sive semel tantum, sive singulis diebus, mensibus, vel annis promittatur, Ord. lib. 4. tit. 70. in princ. *E em isto não fazemos differença entre a pena, que he posta, e promettida por multiplicação de dias, ou mezes, e a que he posta juntamente; porque em todo caso se poderá levar até outro tanto, como o principal, e mais não.*

Idem habetur Ord. Emman. tit. 44., Alphons. tit. 62. eod. lib. 4.; et ibi referuntur antiquae Ordinationes, quibus prohibitum erat, quod usure *creção mais que o cabo*, id est, debitum principale excedant: videsis Collect. antiquar. legg. tom. 1.

*Contractui a jure improbato poena adposita non valet.*

§. X. Pacto autem nullo, turpi, vel a jure quocumque modo improbato temere poena adjicitur, Ord. lib. 4. tit. 70. §. 3. in princ. Inanis igitur est distinctio, et prorsus a germani juris ratione aliena, quam Decretalistsae faciunt inter contractus a jure improbatos, qui utique possunt, vel non jurjurando confirmari, utut ipsa Ord. lib. 4. tit. 70. §. 3. in fine adprobata esse videatur: namque pactum quodcumque nullum, injustum, turpe, et a jure semel quacumque de causa improbatum, validum nunquam fieri potest, jusjurandum licet eidem semel et iterum, et saepius adjectum esse dicatur

Regia ipsa Ord. lib. 4. tit. 70. §. 3. distipete ait quosdam contractus a jure improbatos non posse jurjurando confirmari, veluti pactum de hereditate viventis, et donationem omnium bonorum; quosdam vero posse, veluti siquis de futura hereditate spem habentes, circa



illius additionem, aut repudiationem pariscantur; aut si futurus heres ei, cujus aliquando heres fortassis erit, promittat hereditatem quodcumque delatam non esse aditum. Prioris generis contractus cum jusjurandum non confirmet, poenam haud recipiunt; posterioris non item; itaque poena eisdem adposita committitur. Haec tamen jurisprudentia, si dicendum quod res est, cum partim deducta sit ex Pragmaticorum erroribus, partim ex Decretalium jure, et praesertim ex cap. *Quamvis pactum, de pactis* in 6., hodie vix ac ne vix quidem locum habere debet. Ego vero sic existimo: I. Pactum quaecumque de hereditate viventis, jure Romano inspecto, nullum est, l. ult. Cod. *de pact.* II. Quod nulla id ratione naturali efficitur, sed civili tantum, politica, imo et superstitiosa, quia diri hoc omnis esset, et tristissimi, periculosique eventus: re tamen ipsa nihil omnino prohibet de futura hereditate pasci. III. Hujusmodi pactum hodie valet, vel quia nostris iudicibus non adversatur, vel quia nova testamentaria lege 9. Septembris 1769. §. 1. confirmatur. IV. Quod jusjurandum non posset pactum hoc confirmare, si illud nullum esset, vel a jure improbatum; quia jusjurandum omne accessorium est autus, cui adjicitur, neque per se unquam stare potest, monstrum enim ingens, deforme, horrendum in jure est jusjurandum illud, quod Decretalistsae occasione cap. *Quamvis pactum, de pact.* in 6. et cap. *Debitoribus* 6., *de jurejurando, per se stans* appellavit. Faber *de error. Pragm.* Decad. 41. error 5., et 48. error 3. n. 6., Calder. eodem argumento lib. 2. cap. 7., apud Meern. tom. 3. pag. 571. (Vid. Inst. Lib. III. Tit. V. §. XXXVI et Not.) V. Donatio omnium honorum, si non de jure civili, de quo modo non disputo, saltem novo Patrio jure, et antiquo ante Romani receptionem valida est: vel quia non impedit facultatem testandi; namque qui nihil in bonis habet, lege nulla publica testari prohibetur: vel quia testandi, legandique facultas apud nos magis odio est, quam favore prosequenda; contra vero jure Romano. Itaque quaecumque Ord. lib. 4. tit. 70 §. 3. post verba: *Nam quando o contracto for per diretto riprovado* usque ad finem ejusdem tituli scripta inveniuntur, hodie nullius ferme usus sunt, et auctoritatis. Quod autem jus Canonicum, id est, Decretalium fons sit eorum, quae modo refutavimus, testatur Alphonsus V. sub Codice lib. 4. tit. 62., qui primus praefatam distinctionem invenit. (Vid. Inst. Lib. III. Tit. V. §. XXXVI. Not.)

## TITULUS IV.

## De aerario et fisco.

*Quid Aerarium et Fiscus.*

§. I. **F**iscus Principis, Aerarium populi pecuniam significat; in Monarchia autem hujusmodi distinctio non tam adcurata esse solet, quemadmodum apud Romanos, qui aut in vera Republica, aut sub illius umbra olim vixerunt; itaque, firmato jam principatu, nec ipsi eandem agnoverunt; a temporibus namque Antonini et Caracallae promiscue accipi coeperunt vocabula Aerarium et Fiscus, l. 13. in princ., l. 15. §. pen. D. *de jur. fisc.*, l. 1. §. 9. *al leg. Cornel. de fals.*, l. ult. Cod. *de quadr. praescript.*

Refertur haud incommode hoc titulo jus illud Majestaticum, de vectigalibus scilicet et tributis imperandis, quo sublato, civilis societas nulla est, nec securitas: nam, ut bene ait Tacitus Lib. IV. 74. *Histor.*, *neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt.*

*Bonorum ad Regem adinentium distinctio.*

§. II. Apud nos aliqua distinctio esse potest inter bona Regalia, Regiae Coronae, Fiscalia, et jura Regalia. *Bona Regalia* generaliter ea omnia dicuntur, quae ad Regem quocumque modo spectant, et hoc nomine veniunt fundi, et possessiones omnes Regiae, et jura; quorum species sunt bona *Domantialia*, ut vocant, seu *Fiscalia*, quae nos *Reguengos* dicimus (sed vero *Reguengos* non sunt,

ut patet ex Ord. hic cit.), et proprie ea vocantur, quae Principis sustentationi jam inde a Petri I. tempore adsignata sunt (Inst. Lib. III, Tit. 1. §. IX), Ord. lib. 2. tit. 30.; Emman. 32., Alphons. 46. *Regiae Coronae*, quae Princeps de novo adquisivit sine subditorum culpa, et in suum fiscum, vel populi aerarium intulit. *Jura Regalia*, cum sint incorporalia, ad bona proprie non referuntur; illorum tamen nomine veniunt Bona Patrimonialia Principis, quae huc non pertinent, cum ea habeat tamquam privatus, et in eis jure communi utatur.

Hoc etiam titulo commode refertur publicorum honorum distinctio, quae ab origine repetenda. Initio Lusitani Principes ad exemplum Romanorum praedia a Mauris recuperata vel antiquis possessoribus libere, aut sub certo onere relinquebant, vel novis dabant possessoribus, vel sibi servabant. Illa, si libere et sine onere data erant, dicebantur *allodialia*, *consualia*, *emphyteutica*; vel *jugaleirus*, a censu, et canone, vel jugationis pensione. Hae vero possessiones, quamvis a Rege donatae sint (et hoc notandum est), non veniunt nomine bonorum Regiae Coronae, cum veri illarum possessores domini sint, et eas possint vendere, alienare, et partiri sine Regis licentia, quae omnia naturae, et indoli bonorum Regiae Coronae adversantur; quare in eis locum non habet *Lex Mentalis*, Ord. lib. 2. tit. 33. §. 9., tit. 35. §. 7., et lib. 4. tit. 36. §. 6.; Valase. *Cons.* 120. nn. 5. 6., Cald. *de nominat.* quaest. 22. Praedia, quae Reges sibi servabant, *Reguenga*, vel *Regalenga* proprie dicuntur, eaque non unius generis esse noscuntur, posteaquam Reges ipsi ea in favorem Agriculturae vel possessorum, vel suae commoditatis ergo aliis concessere; itaque *Reguenga* quoque vel sunt *allodialia*, aut *consualia* libere data a Rege, vel sub certo censu, quorum scilicet possessor verus dominus est, vel *emphyteutica*, quorum utllis tantum, vel *usufructuaria*, seu *colonica*, quorum merus tantum possessor, detentor, colonus, vel usufructuarius, dominus autem Rex solus. Omitto vocabula juris Romani *stipendiarii*, vel *tributarii* praedii, et similia, ne obscurus sim, et quia plene rei non conveniunt; videsis tamen Ulp. in *Fragm.* tit. XIX. §. 8. et Theophil. ad §. 40. Inst. *de rer. divis.* Quod autem dentur

*Reguenga*, quae pleno jure possessorum sint (Inst. Lib. II Tit. III. § XXIV.), et quod possint de iis pro libitu disponere, aperte constat ex Ord. lib. 2. tit. 17. verbis: *Naquelles Reguengos, em que os possuidores delles podem livremente vender as herdades, e casaes, que nelles tem, a quem lhes aprouuer, e em que não são obrigados morar: cui consonant Ord. Emman. tit. 7. § ult., Alphons. tit. 13. eodem libro, et Dionysiana Lex Comimbriae data 15. Jun. aet. 1349.*

#### *Fiscalia.*

§. III. Ad Fiscum vero in primis spectare videtur bona vacantia, Ord. lib. 2. tit. 26. §. 17, bona damnatorum, §§. 18. 19. 28. 32., et quae indignis relinquuntur, §§. 19. et 23., pretium rei litigiosae venilitae, aut quocumque modo alienatae, §. 25., Ord. lib. 4. tit. 16., Emman. tit. 45., Alph. 71.

#### *Regiae Coronae.*

§. IV. Regiae Coronae bona dicuntur viae publicae, et flumina perennia, Ord. lib. 2. tit. 26 §. 8., maris, et fluminum portus, §. 9.; insulae adjacentes, §. 10.; domus, qua senatus quocumque loco haberi solet, §. 11.; loca deserta, majores silvae, thesauri, bona jacentia, et quaecumque a singulis occupata non sunt, cetera, quae Graeci ἀδεγαστα vocant, et generalis occupationis nomine veniunt.

Fiscalia bona, et Regiae Coronae hic adicipiuntur magis in vulgi sensu, quam juris. Vocabuli veram notionem superius diximus. Fiscus nomen plerumque in malam partem sumitur, quippe ex delictis subjectorum locupletatur; contra Regiae Coronae in bonam, et ideo alia ex causa quaesita, bona Coronae, non fisci vulgo dicuntur. Haec tamen nihil valent. Illud vero notandum, quod Regalia quaecumque bona, et cujusvis generis ea tantum habenda sunt, quae scripta inveniuntur censuali libro, *dos proprios* inscripto, vel quae verbali incorporatione fisco adplicantur ad eum modum, quem praescribit Ord. lib. 2. tit. 36. §. 22., et tit. 36. Valasc. *Cons.* 167.

*Jura Majestatica.*

§. V. Jura Regalia, seu Majestatica inter alia sunt, tributa cujuscumque generis imperare, Ord. lib. 2. tit. 26. §§. 4. 5. 6. 13. 14. 15.; monetam cudere, Ord. lib. 5. tit. 12. in princ. et §. 4.; metalla quaecumque fodere, lib. 2. tit. 26. §. 16.; leges ferre, Ord. lib. 3. tit. 75. §. 1. in fin.; Magistratus creare, Ord. lib. 2. tit. 26. §. 1.; de substitutorum bonis bello paceque disponere, §. 7. Et, ut verbo dicam, auctoritas omnis in Republica, jurisdictio, et imperium, cetera, quae consulto omittimus; sat enim instituto nostro est haec tantum indicare.

*Regium Aerarium.*

§. VI. Aerarii publica bona ad Rem ipsam publicam tuendam assignata sunt, non ad Imperantium sustentationem. Constat praecipue ex tributis, et vectigalibus, quibus adservandis Rex Fid. Lusitanorum Regum primum arcam publicam, id est, Regium Aerarium Olisipone instituit, quaestorium novum minus creavit, et providentissimas hanc in rem leges dedit 22. Decembris 1761.

*Dominium eminentis.*

§. VII. Tributa autem, et vectigalia imponere Princeps quidem potest fundis, personis, mercibus, rebus fungibilibus, opificiis; et certum illorum modum, et quantitatem, prout e Republica erit, definire. Hoc vero praecipuum Majestatis jus aut ex Imperii, seu summae Potestatis ratione fluit, aut ex dominiij eminentis natura, quod Regia ipsa Ord. agnoscit lib. 3. tit. 71. §. 2. in fin. in verbis: *Em sinal e reconhecimento de universal, e suprenho senhorio.*

Tributa non facile minuenda, et ita Senatus censuit contra Neronem apud Tacitum lib. XIII. *Annal.* cap. 51.; sed vero non temere imperanda, vel augenda, sed ita omnia providenda, ut ratio quaestum, et necessitas erogationum inter se congruant, idem Tacit. cap. 50. (Videndus omnino aureus libellus *Summa Politica* inscriptus, Sereniss. Principi Lusitaniae D. Theodosio scriptus et dicatus a Sebastiano Caes. de Menezes, Couimbricensi Praesulae Comite designato, tit. 3. cap. 7. edit. Anstelod. anno 1650., Savedra *Empr. Polit.* 67.) Initio Reges nostri contenti erant fiscalibus bonis, solitisque vectigalibus, et regiiis iuribus recensitis Ord. lib. 2. tit. 26., quae Imperanti qua tali competere recte existimabant; quare non facile tributa ipsi imperabant; namque omnia fere, quae hodie etiamnum obtinent, sponte a populo oblata fuerunt. Subsidia quoque ab Ecclesiasticis, qui non minus quam Laici, secliso privilegio, tributa solvere tenentur, non semel diversis temporibus fuisse oblata scimus. Et hac potissimum de causa improbatum fuit subsidium illud ecclesiasticum, quod a Pio IV. injussu Regis impetravit Laurentius Pires de Tavora, de quo inter alios Merdoet. *Chron. Sebast.* cap. 27., Fr. Emman. a Sanctis *Histor Sebast.* cap. 13., Didac. Barb. *Mem Sebast.* p. I. lib. 2. cap. 9. pag. 459., et Senator Joannes Alphonsus de Beja ibidem relatus. Haec tamen nostrorum Regum temperantia, et humanitas multum sane laudanda; sed nihil derogare potest supremæ illorum potestati. Eidem, vel potius iuri feudali originem suam debent precariae exactiones dictæ *pedúlos, ou servicos*, quas principio non modo Reges, sed ipsi quoque Magnates imperabant. Brand. *Monarch. Lusit.* p. 6. lib. XVIII. cap. 30. pag. 126. 127.

*Illius effectus non nulli.*

§. VIII. De imperii ipsius, seu, quod idem ferme importat, de universalis eminentisve domini natura est, quod Princeps etiam inter alia quamplurima possit agrorum census, et paestationes definire. Ord. lib. 2. tit. 27.; debitoribus rescripta moratoria concedere, Ord. lib. 3. tit. 37. et 38.; praescriptionum jura introducere, Ord. lib. 4. tit. 79., et id genus sexcenta alia, quae longum esset referre. Apud nos Regii quoque Magistratus etiam

aliquando possunt de civium bonis et facultatibus disponere, et exactiones ad certam summam legibus nostris definitam populo imperare, veluti Palatii Senatores prout habetur eorum Regimine §. 84., Praetores provinciarum, Ord. lib. 1. tit. 58. §. 43., Provisores, tit. 62. §. 77., Decuriones, tit. 66. §. 41. in fine, et tit. 88. §. 11. eodem libro.

• *Tributorum genera.*

§. IX. Porro tributa non unius generis sunt; quaedam enim ordinaria dicuntur, quae ab initio, et jam pridem obtinuerunt; quaedam extraordinaria in re trepida, et ad certos tantum usus constituta. Illorum numero habentur jura importationis, et exportationis mercium hominumque terrarumque, et fluminibus, Ord. lib. 2. tit. 26. §§. 9. 12. 13.; piscationum jura, §. 14., et salinarum, §. 15., Extravag. 15. Februar. 1695., 27. Martii 1696. ad eandem Ord. Collect. I. N. 10. et 11.; agrorum census, et antiquae praestationes, veluti *Jugada Teiga d'Abraham*, *Oitavo*, Ord. lib. 2. tit. 33., Emman. tit. 16. Decuma pecuniaria sententiarum, seu Cancellariae, de qua Ord. lib. 1. tit. 20. §§. 3. 4. 5. 6., Emman. tit. 13., et Regimen Cancellariae datum 16. Januar. 1589. apud Ord. lib. 1. tit. 2. Collect. I. N. 2.; itemque illud vectigalis genus, quod pro officiis omnibus, publicisque muneribus penditur (*novos direitos* adpellant), a quo scilicet, ut hoc in transcursu adnotem, Professores Conimbrienses immunes sunt, prout ex novorum horum jurium Regimine 11. Aprilis 1661. apud eandem Collect. I. N. 7. expresse constat. Certam applicationem habet antiquum tributum, quod pro rerum venditionibus, et permutationibus solvitur, id est, *Sisa*, Ord. lib. 1. tit. 66. §. 49., et tit. 78. §. 14. tertia bonorum civitatis, quae muris reficiendis ad-

plicatur, et a Rege nunquam donata censetur, Ord. lib. 2. tit. 28. §. 2., subsidium militare 26. Septembris 1762, et literarium 10. Novembris 1772. ordinatum; cujus exactioni novae datae sunt instructiones 7. Jul. 1787.

Portorii jura multiplia sunt, nec commode referri possunt. Antonius Manescalius 2. tom. fol. Olisipone 1718. typis vulgavit diversa Regii Patrimonii Regimina, et Cognitorum portorii curiae; sed ea fere omnia revocavit, et novum, illudque providentissimum Regimen dedit Josephus I. 22. Decembris 1761 *Teiga d'Abraham*, ut vocant, mensurae quaedam species est, ab homine *Abraham* fortassis nomine dicta, et illius mentio fit non modo in Ord. lib. 2. tit. 33. §. 22., sed etiam et passim in legibus foralibus oppidorum *Ancião*, *Rabaçal*, *Penela*. Vectigal pro rerum venditionibus solvendum, quod *sisa* appellatur, jam ab Alphonso II. obtinebat; (*Ferdin. Lopes. Chron. Joan. I. 2. p. cap. 203*, *Goes. Chron. Eumana. 1. p. cap. 26.*) illud autem primum in articulos quosdam digessit Alphonsus V., et denique Sebastianus Rex Regimen ordinavit, quo hodie utimur, et pro eo exigendo iudices scribive speciales constituti sunt. Extat in Collectione Manescalii tom. II.; illudque notis illustravit, seu potius obscuravit Lima ad articulos gabellarum, et Regimen incapitationum Olisip. 1759. Tributum vero, quod nos *jugada* dicimus, quia scilicet jugeratum penditur, omnium antiquissimum est; id autem quale sit declarat, Ord. lib. 2. tit. 33. in princ.; *Emman. Ut. 16.*, et ex Romanarum Coloniarum, et adscriptorum juribus fluxisse videtur. Jugationis Ordinationes antiquae referuntur Alphonsi Codice lib. 2. tit. 29., quibus adjungendum Joannis V. Decret. 24. Jan. 1742. Collect. II. ad Ord. lib. 2. tit. 33. N. 1. Diploma 20. April. 1775. §. 63, et generale Edictum 25. Maii 1776. Sed vero hae Ordinationes etiam hodiernae necessariam reformationem postulare videntur; subobscurae enim sunt, et multa habent vocabula jam diu absoleta, et antiquata, quae vix intelligi possunt sine alcutata rerum nostrarum notitia, et intima Lusitanae linguae peritia. Idem de foralibus legibus jam sibi diximus (*Hist. Jur. Civ. §. LXXX. et CXXII. in Not.*). Hoc tributum multo quidem elegantius, quam scriptores nostri, explicavit vir summus Jacob. Gothofr. ad l. 2. C. Theod. *de censib.* Jam vero ea Jurisprudentiae pars oeconomico-



politica dicta, quae scilicet de re aëria, et recta bonorum publicorum administratione tractat, parum est quin omnino a nostris negligatur. Ea autem in primis requirit historicam, et scientificam publicarum exactionum notitiam, et accuratam nostrae civitatis, et civilis constitutionis cognitionem; cui comparandae necessariae vel maxime sunt antiquae leges censuales, antiqua Regni Comitia, populi in eisdem Comitibus postulationes, Regimina specialia quaestoribus, et exactoribus data, cet., quae non sine magno, improboque labore haberi possunt: namque solum in promptu habemus imperfectam Manescau. Collectionem, et novissimam Josephi Roberti, quae Olisip. prodit anno 1785., et parum ab ea distat.

*Magistratus ad aerarium, et fiscum deputati.*

§. X. Et quamvis bonis, Regisque juribus tuendis iudices omnes invigilare debeant, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 16.; specialis tamen cura demandata est Quaestoribus, quos Lusitane proprio vocabulo Arabicae originis *Almoxarifes* dicimus, Ord. lib. 2. tit. 51., Emman. 30., itemque duobus Regiae Coronae iudicibus, Ord. lib. 1. tit. 9., et Regii Patrimonii, tit. 10., et duobus similiter Regii Procuratoribus, tit. 12. 13.; quorum illi magis ad Regis, et Majestatis jura, hi magis ad Regis patrimonium, bonaque tuenda instituti sunt. Specialis etiam Curia Regii Patrimonii, seu, ut aiunt, *da Fazenda*, jam dudum creata est, eique Rex Fid. contentiosam jurisdictionem concessit, cum antea voluntaria tantum frueretur; singulares quoque hanc in rem multiplices leges conditae sunt, quae non modo in antiquo novoque Regii Patrimonii Regimine, sed hinc inde in Ordinationibus habentur, quibus suas longe providentissimas addidit Josephus I. Rex Fid. 22. Decembris 1761., et 21. Februar. 1766. cet. (Hist. Jur. Civ. Lus. §. Cl. Not.).

Apud Romanos sub Regibus, liberaque Republica curam habebant aërii Quaestores; sub Principibus eorum mu-

nus ad Praetorios viros, deinde ad Praefectos aerarii, postea ad Proconsules, Legatos, Praefectos Augustales, Procuratores Fisci, Caesaris, et Rationales delatum fuit, qui omnes inter fiseum quoque, et privatos jus dicebant, l. 7. §. 2., l. 9. D. *de offic. Procons.*, l. 2. §. 32. *de orig. jur.*, ll. 2. 5. Cod. *ubi caus. fiscal.*, Cicero. in *Ver.* III. 7. Ab iis longe distant nostri Quaestores, et Fiscales, Regiae Coronae et Patrimonii iudices, ceteri, qui pecuniis publicis procurandis, administrandis, exigendis sunt praepositi, quorum hodie tanta copia est, ut vix referri possint. Hoc autem quantum cum rei aerae detrimentum conjunctum sit, nemo est qui ignoret, et pro rei dignitate tractant oeconomiae politicae Scriptores, quos inter nostro hoc saeculo eminent celeberrimus Necker libello *de l'administration des finances de France*, M. D. Browne Dignan *Essai sur l'Economie Publique*, cet., quorum scripta, et cogitationes politicae transcripta sunt novo Dict. *Encycloped. Method.* verbo *finances*.

### *Jura fisci singularia.*

§. XI. Aerarii, fiscive bona singularia multa habent, quorum non nulla referre placet. I. Non possunt pignerari, neque ulli obligationi subesse, Ord. lib. 4. tit. 55. II. Cum suo onere perpetuo transeunt ad quemcumque possessorem, Ord. lib. 2. tit. 52. §. 5., et lib. 4. tit. 3. in princ., capp. 156. et 196. Regiminis Regii patrimonii. III. Nullam recipiunt praescriptionem, Ord. lib. 2. tit. 27. §. 3., tit. 28. in fin. princ., tit. 34. §. 10, et tit. 45 §. 56. IV. Qui in fisci nominibus est, non auditur nisi carcere jam detentus, vel datis captivae pignoribus, Ord. lib. 2. tit. 53. in princip., et lib. 4. tit. 76. §. 4. V. In solidum singuli obligantur, et conveniri possunt, Ord. lib. 2. tit. 52. §. 5. VI. Illorum bona immobilia diebus viginti, mobilia octo tantum per praekonem denuntiantur, Ord. eod. libro tit. 53. §. 2. Denique quae de tacito pignore, et hypotheca debitorum fiscalium Romani in l. 1. Cod. *in quibus caus. pign. vel hypoth.*, l. 1. C. *de privil. fisci* tradiderunt, et

generaliter ea ferme omnia, quae in fisci favorem constituta sunt integro titulo Digestorum, et Codicis *de jure fisci*, legibus nostris hodie expresse confirmata videmus, veluti Ord. lib. 2. tit. 52. §§. 4. 5. 6. cum similibus (Inst. Lib. IV. Tit. XXII. §. XIX.). Illud vero nullatenus praetereundum, omnem super Regalia bona, et jura, jurisdictionemve quocumque modo, et quascumque inter personas controversiam motam non nisi ab Rege ipso, vel ejus Administris posse tractari, Ord. lib. 1. tit. 12. §. 5. vers. *E se vir*, et lib. 2. tit. 1. §. 15.

---

## TITULUS V.

### De Jure principis circa sacra.

#### *Imperantium circa sacra potestas.*

§. I. **S**UPREMA Principum potestas ad res quae sacras, ad Ecclesias, et Ecclesiasticorum bona, ad ecclesiastica negotia, et ad ipsas Clericorum, et Episcoporum sacratissimas personas sese extendit: super his rebus omnibus Reges nostri multiplices diversis temporibus leges dederunt; quare nostrum jam est earum praecipuas saltem, et celebriores referre, et aliquantulum pro modulo et ingenio nostro illustrare.

Nemo hodie est, qui regum *circa sacra* potestatem non agnoscat, non quod possit dogmata fidei definire, vel ritus vere ecclesiasticos constituere; sed quod jure possit, et debeat Ecclesiam tueri, ac defendere, illius leges sanctissimas, ac decisiones Regia auctoritate munire, idoneos eidem regundae Pastores procurare, negotiis ecclesiasticis quamplurima addere, vel detrahere, disci-

placet ecclesiasticam in Regno receptam sustinere, novam rejicere, et leges denique Canonico Civiles non solum, rebus et Ecclesiae, et Ecclesiasticorum, sed ipsis etiam Ecclesiasticis tam in civilibus, quam in criminalibus dicere. Non ego hic Regum causam ago partium magis studio, quam ne ipsa et difficultate sua celeberrima; neque christianis Principibus tantum tribuo, quantum recentiores non nulli, et delirantes quidam Philosophi, *Spiritus fortes* idcirco merito vocitati, quos inter caput esserunt Nicolaus Machiavellus, Thomaz Hobbesius, Benedictus Spinoza, etc., tribuere solent: sed profecto nemine denegare audebit, quae ex natura, indole, et fine civilis societatis oriuntur, quae ex scripto Dei verbo, et constanti usu, et traditione Ecclesiae, et ex oecumenicis Conciliis constant, et quae tandem Sancti Patres, et pii, doctique Scriptores Jacobus Benignus Bossuetus, Petrus de Marca, Dupinus, Theodorus Reikink, Nicolaus de Cusa, Joannes de Parisiis, et multi alii locis notissimis, quae transcribere nihil vacat, tradiderunt.

*Regum nostrorum in Ecclesiam, sacrosque canones  
devotio summa, et observantia.*

§. II. Et ut hinc potissimum ordiamur, Lusitanorum Reges ab ipsius Regni incunabulis nihil sibi prius, nihil antiquius duxerunt, quam Religionem sanctam debetamque servare, Ecclesiam, cujus semper obedientissimi filii fuerunt, tueri ac defendere, et sacros ejusdem canones suis legibus, et externa auctoritate munire. Alphonsus hujus nominis I<sup>o</sup> in Comitibus Cantabrigensibus anno 1247, edixit: *Que as sãs leis se jão guardadas, e os direitos da Santa Igreja de Roma, convem a saber, que se forem feitas, ou stabelecidas contra elles, ou contra a Santa Igreja que nõo valhão, nem tenham.* In eandem sententiam leges postea dixerunt Alphonsus III., ejus filius Dionysius, et Emanuel Rex invictissimus libro II. suarum Ordinationum tit. 4. hoc modo praefatur: *Porque principalmente sempre foi nossa tenção, e he com*

a *graça de nossa Senhor Deus, muito honrar sempre a nossa Santa Madre Igreja, e obedecer cumpridamente a seus mandamentos, assi como filho obediente.* Similia fere leguntur Philipp. Cod. eod. lib. tit. 5., et tit. 1. in princ. Majores autem hos suos non imitatur modo, sed longe multumque superat Rex Fid. Josephus I., nihil enim magis in sapientissimis ejus Edictis relacet, quam Religio erga Deum, amor in subditos, et in Sanctam Ecclesiam devotio; a qua nunquam nec in mediis Reipublicae fluctibus vel latum unguem discessit: consule leg. 28. Augusti 1767., 2. Aprilis 1768., 12. Junii 1769. his temporibus latas.

### *Episcopos eligunt Lusitani Reges.*

§. III. In primis itaque Reges nostri ab antiquissimis inde temporibus ad particulares imperii sui Ecclesias regendas Episcopos nominarunt, et hanc nimirum facultatem ab ipsius Regni primordiis exercuerunt, quae hodie nobilior quidem juris patronatus Regii pars habetur.

Vario fuit pro ratione temporum disciplina circa electiones Episcoporum, quam recensere instituti nostri non est; videsis Thomass. *de vet. et nov. eccles. disciplin.* p. 2. lib. 2. cap. 1. et seqq., Espen. *Jus Eccles. Univers.* p. 1. tit. 13. capp. 1. 2. 3. et 4. Illud vero adfirmo, Lusitanae Reges statim initio imperii Ecclesias gubernandis Episcopos praefecisse, et Summo Pontifici, ut ab eo confirmarentur, designasse. Venerabilis Alphonsus Henricus, statim ac Lamecum a Maurorum potestate vindicavit, D. Mendum filius Episcopum nominavit; idem Eborae praefecit D. Paim; Deo ejusd. *Chronic.* pag. 41. Similia de Gothorum, et Legionis a Pelagio Regibus referuntur, Alphonsus VI. Castellae dictus Imperator Giraldum Archiepiscopum Bracarensem elegit de Henrici generis consilio. Alphonsus Portugalliae III. Vincentii electionem in Episcopum Portuensem adprobavit 2. Decembris aer. 1299. Joannes I., vacante Bracacensi Ecclesia, ejus interim curam, et regimen commisit D. Ferdinando Guerrae, Portuensi An-

tistiti, 11. Junii anno 1416. Plura alia exempla omitto; quae demonstrant Reges ipsos vel Episcopos elegisse, vel electiones a Capitulis factas adprobasse; hae vero a tempore saltim Alphonsi V. omnino in usu esse desierunt. Vide Hispanorum l. 1. tit. 6. lib. 1. Recopilat., l. 18. tit. 5. Partit. I., can. *Cum longe* 25. dist. 63., deductum ex can. 6. Concilii Tolet. XII., Berardum ibid. l. p. cap. 17. de Concil. Tolet., Cugnam ad idem can. 25. dist. 63., et *Catal. Episc. Port.* 2. p. cap. 15. pag. 84., Osorium in *praxi de Patronat. Reg.* Resolut. 49., Aug. Barbos. *de jure Eccles.* lib. 1. cap. 8. a n. 75., Georginum Cabed. *de Patronat.* cap. 37., Pereriam *de Man. Reg.* cap. 22. n. 74. et 43. et cap. 63. a n. 2., Marcam *de Concordia* lib. 8. cap. 10., Leit. *Tract. Analyt.* pag. 315. cum seq.

*In haereticos, blasphemos, et superstitiosos leges:*

§. IV. Neque minore studio Ecclesiam ab errore, et vel ipsa haeresis suspicione liberare omni tempore curarunt; itaque quemadmodum Constantinus Arii errores damnavit, Theodosius M. Macedonii, Arcadius Eunomii, Theodosius Nestorii, Martianus Eutychetis, et in Hispania Arii quoque Recaredus anno 586.; sic in Lusitania nostra Alphonsus V. Wiclef, et Joannis Huss, et Josephus I. Sigillistarum schisma prohibuit 12. Junii 1769. Quare haereticos poenis a jure statutis puniri merito jubet Ord. lib. 5. tit. 1., eosque quilibet Magistratus Regis comprehendere potest, Praetori licet Curiae criminali signanter hanc facultatem concedat Ord. lib. 1. tit. 7. §. 8. Similiter in Deum, vel Sanctos contumeliosos et pecuniariam, et exsilii poenam statuit Ord. lib. 5. tit. 2., et bene Magistratibus injungit §. 3., ut quotannis hac de re ex officio inquireant. Veneficia pariter, incantationes, et superstitiones modo sub flagellationis, exsilii, modo sub ipsa amissionis vitae poena prohibet Ord. lib. 5. tit. 3., Euman. tit., 33., eademque in fanaticos homines graviter animadvertit §. ult.

In primò Regni Codicē (ut alios omittam), qui Alphonsum II. auctorem habet, inter alias poenas hereticis impositas illud fuit etiam parentibus permittum, ut filium hac ex causa possent exheredare, et inde ortum habuit Ord. lib. 4. tit. 88. §. 17.; et tit. 89. §. 7. Judaeis quoque ac Mauris Alphonsus prohibuit, ne filios, qui a sua infami secta discederent, ex haeredes scriberent, eisque concessit, ut possent in legitimam, vivis adhuc parentibus, succedere, ut Emmanuel invictissimus adfirmat Codicē suo lib. 2. tit. 42. pr.

*Iis puniendis qualis Ecclesiae potestas.*

§. V. Primariam tamen ac praecipuam Ecclesiae ad haereticos damnandos auctoritatem lubentissime agnoscit Ord. lib. 5. tit. 1. in princ., Emman. tit. 2. eod. lib. Verum cum ab illius potestate utpote spirituali alienae sint res omnes externae, veluti mulctae indictio, publica custodia, deportationis, relegationis; et similis poena, adparitores, cet., quae coactionem continent; et publice alioquin intersit novatores hos homines, pestem Religioni pariter ac civitati nefariam eadem opera molientes, severioribus poenis coerceri; recte illud quidem ac sapientissime fuit a Regibus nostris constitutum; ut, postquam Ecclesia Dogma definiret, doctrinae errorem declararet, et censuris aliisque canonicis poenis in haereticos animadverteret, eos statim civili Magistratui severioribus gravioribusque poenis puniendos traderet, Ord. dict. lib. 5. tit. 1. in princ., Emman. tit. 2. in princ.

Hanc Ecclesiae, et Imperii summam in haereticis puniendis potestatem; et justos utriusque limites statuit aëreum Josephi I. Edictum 12. Junii 1769. ibi: *sendo os Dogmatistas . . . sujeitòs à jurisdicção de ambos os dois Poderes Eclesiastico, e Temporal, para os extirparem cada um delles dentro nos seus respectivos, e competentes limites: a saber a Igreja declarando o erro da Doutrina, e castigando com as penas canonicas os*  
I.

*sobreditos Sectarios: e os Principes seculares fazendo-os punir com as penas temporaes, e coacções externas, como violadores. . . Magistratus autem saeculares, quibus de crimine hoc convicti poenis temporalibus adficiendi traduntur, eos jure suo bene possunt interrogare, et probationes, quae in actis continentur, sententiam, cetera, quae in facto consistunt, examinare (Inst. Jur. Crim. Tit. II. §. X. Not.): non enim video cur Ecclesiastici iudicis pronuntiationem, clausis oculis, ut aiunt Farinac. de haeres. quaest. 186. n. 162., Carlev. de jud. tit. I. disput. 2. n. 772., Aug. Barbos. in cap. Ut Inquisitionis 18. de haeret. in 6., exsequi teneantur. Neque profecto iudex de his, quae sibi non constant, deliberare ullo modo potest, quo pertinet formula Romanorum iudiciorum: Non liquet. Adcedit exemplum, et praxis Auxilii Brachii saecularis, quod solum, viso processu, conceditur, Ord. lib. 2. tit. 8. §. 1.*

*Rex tantum Apostatas punit.*

§. VI. In Apostatas autem, qui scilicet ex Christianis Judaei, vel Mauri efficiuntur, graviter leges nostrae animadvertunt; neque hanc facultatem Ecclesiae concedunt; nullus quippe hic doctrinae error est, quem ab Ecclesia declarari necesse sit, Ord. lib. 5. tit. 1. §. 4. ubi: *Porem se algum Christão leigo, quer antes fosse Judeo ou Mouro, quer nascesse Christão, se tornar Judeo ou Mouro, ou a outra secta, e assi lhe for provado, nós tomaremos conhecimento delle, e lhe daremos a pena segundo direito. Porque a Igreja não tem aqui que conhecer, se erra na fé, ou não.*

Haec Ord., deducta ex Emman. Codice eodem libro tit. 2. §. ult., et ex esp. 1. et 2. Concord. Joann. I., satis convenit principiis Juris Publici universalis, et naturae utriusque supremae Potestatis ecclesiasticae, et saecularis; neque audiendi sunt Pereira de Man. Reg. 2. p. cap. 65. et 3. cap. 74., Barbos. in leg. Titia 34. D. solut. matrim. n. 55., qui nullam ferme in saeculari iudice notionem, jurisdictionemve agnoscunt in haereticos manifestos licet, et Apostatas notorios. Quare dicendum est,



quod iudices Ecclesiastici, hoc est, supremi fidei Quaesitores Apostatas puniunt, in eosque temporalibus poenis animadvertunt qua Magistratus Regii; in canonicis autem poenis infligendis, ceteris, quae ad eorum officium ex Ecclesiae instituto spectant, jure suo utuntur; et ita in praxi servatur, quacum bene convenire videtur praefata Ordinatio hoc modo intelligenda.

*Convivia, vigilia; cet. in Ecclesiis et diebus festis prohibita.*

§. VII. Quia vero sancta sancte tractanda sunt, minora etiam crimina, quae Religionis, Ecclesiaeve sanctitatem offendunt, legibus nostris vindicantur. Quocirca non impune fert Ord. lib. 5. tit. 5., Emman. tit. 33., quod in sanctissimis Ecclesiis quisquam vigiliis, aut convivia agat, gladios nudet, Ord. lib. 5. tit. 40., Emman. 75.; vide celeberrimam Theodosii constitutionem apud Gothofred. l. 4. Cod. Theod. *de his, qui ad Eccles. confug.*; neque quemque ab Ecclesia in iudicium vocari sinit Ord. lib. 3. tit. 9. §. 7.; in festis Ecclesiae diebus forum litibus sit orbem, Ord. lib. 3. tit. 18. in princ., hisque a piscatione cives absteineant, Ord. lib. 5. tit. 88. §. 8.

*Nomocanones alii.*

§. VIII. Plures aliae canonico-civiles leges exstant, quae vel ecclesiasticas omnino confirmant, vel eis non nulla superaddunt, vel abusus et pessimas consuetudines explodunt. Itaque recte iudicium de validitate matrimonii Ecclesiae relinquit, ut par est, Ord. lib. 5. tit. 19. in princ., tit. 25. §. 8., et tit. 38. §. 4., secus de sponsalibus, nihil enim aliud praeter contractus civilis rationem habent. Servos minores decem annis intra mensem unum, majores intra sex menses sacro fonte expiari jubet Ord. lib. 5. tit. 99.; in majoribus eorum consensu

expectandus, ead. Ord. ad cuius mentem Joannes V. filios minores haereticorum ex matrum amplexibus extrahi prohibuit, et iis invitis, baptizari, Extravag. 3. Aug. 1708. apud Nov. Edit. Ord. lib. 5. tit. 99. Collect. I. N. 1. Idem immoderatas Ecclesiasticorum extorsiones in rebus, officiisque divinis pro mortuis oblatiis et decantatis, graviter prohibuit, rationabiles tantum usus admisit, et hanc irrem Regni totius Episcopis Regiam Epistolam scripsit, cujus curam, atque executionem Palatii supremæ Curiae demandavit, Extravag. 8. Maii 1715. Collect. II. ad Ord. lib. 1. tit. 62. N. 2.

Quæ de sponsalibus diximus, optime deducuntur ex novissimo Diplom. 6. Octobr. 1784. Quare sponsalitiâ causa utpote civilis non nisi in saeculari foro tractanda; quod licet expresse cautum non inveniat in dicto Diplom., satis ex eo conjicere licet, et potissimum ex natura hujus contractus: illud vero expresse eodem cavetur, sponsalia per scripturam tantum publicam posse probari. Ad Judæos autem, et Mauros, cet. invitos non baptizandos spectat Regia Joannis I. Epistola Conimbricæ data 17. Jul. aer. 1430. apud Ord. Alphons. lib. 2. tit. 94.: *Que nom façõ tornar nenhum Judeo Christõo contra sua vontade.* Epistola Joannis V. 8. Maii 1715. rem plane non confecit, neque Ecclesiasticorum in funeribus sacris abusus et sumtus immoderatos, pro eo ac oportebat, cohibuit, cum illorum justam taxationem eisdem Ecclesiasticis relinquat, quod ab eis vix sperandum. Digna profecto hæc res est, quæ publica Regni lege definia- tur, de qua inter alios videndus Bohem. *Exercit.* 41. ad Pand. *de jure erigend. coemeter.* cap. II. a n. 12., Bukner. *Dissert. de sepultura gratis concedenda.* Espenius *Jur. Eccles. Univers.* p. 2. sect. 4. tit. 7. cap. 1.

### *Publicas supplicationes determinant Reges.*

§. IX. Sacram, solennemque omnium ordinum instructo agmine procedentium supplicationem Emmanuel, saeculis omnibus memorandus Princeps, decrevit in memoriam sanctissimi corporis

Christi 2. quinta feria post festum Pentecostes; die secunda Julii vesitationis Beatae Mariae Virginis; et Dominica 3. ejusdem mensis Angeli Regni Custodis; ad quas eos tantum teneri voluit, qui eadem civitate vivunt, ab eave non nisi uno milliaro distant, Ord. lib. 1. tit. 78., quam Philipus II. transtulit ad §. 48. tit. 66. eod. lib., et praeterea graviter in eis personatorum hominum turbas, larvas, saltationesque prohibuit: quae omnia jam antea Sebastianus Rex Extravag. 15 Maii 1565. apud Leon. 4. p. tit. 17. l. 20. prohibuerat.

Festum visitationis Beatae Mariae Virginis, et Angeli Custodis a Summo Pontifice impetravit Rex noster Emmanuel die 2. Julii, et Dominica 3. ejusdem mensis, et solemnem his diebus, publicamque supplicationem instituit. Goesius illius *Chron.* 4. p. cap. 86. Similia indicendi Senatui cuilibet, Episcopis, imo et Parochis, jus est, Ord. lib. 1. tit. 66. §. 48., Emman. tit. 78., cogendi tamen non item. Philippus III. Extravag. 20. Junii 1608. Vicariis Episcopi prohibuit, quod in sacris his supplicationibus sese in laicorum regimen ingererent; Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 66. N. 11.

### *Ecclesiae bona tuentur.*

§. X. Non minori cura Ecclesiae bona leges nostrae tuentur. Sancius II. Ecclesiarum, et ecclesiastici patronatus venditionem prohibuit art. 2. secundae denominatae Concordiae, quam cum Stephano Bracarensi Archiepiscopo habuit: rerum divino cultui addictarum venditionem, oppiguerationemve non nisi de Regis licentia concedit Dipl. 6. Jul. 1776., Ord. lib. 2. tit. 24., Emman. tit. 13., et praeterea Regis Magistratibus injungit, ut in singulos annos hac de re ex officio inquirent, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 62. Eos, qui sacras res surripiunt aut in Ecclesia furtum committunt, non minore quam captis poena, aut flagellationis puniendos

esse statuit Ord. lib. 5. tit. 60. §. 4. Ad mortem clamatus pro Ecclesiis reficiendis potest de tertia honorum disponere, Ord. lib. 4. tit. 81. §. ult. Quod in honorum Ecclesiae locationibus nemo sese interponat, easve ullo modo impediatur, prohibet Ord. lib. 2. tit. 23. in princ. et §. 1., Emman. tit. 12., Alphons. 26. Regni Magnates prohibentur in Monasteriis. aut Ecclesiis diversari, et praeter alias poetas cibos, siquibus eis fortasse Religiosae familiae aut lege, aut consuetudine tribuere solent, amittunt, Ord. lib. 2. tit. 21., Emman. tit. 11., art. 9. Concord. Saucii II., 21. et 24. Dionysii, 9. Petri I., 36. Joannis I., 7. Alphonsi V., cap. 1. *de immunit. Eccles.*, l. 8. lib. 1. tit. 2. Recopilat. apud Hispanos. Ecclesiam quoque, et illius bona quam maxime tuetur Rex, dum, mortuo Episcopo, Regio Magistratui injungit, ut inventarium bonorum conficiat; et hoc jure utimur, Cab. 1. p. *decis.* 84., de quo quam inepte dubitent Oliv. *de for. Eccl.* 2. p. quaest. 31. a n. 6., Delben. *de immunit. Eccles.* cap. 8. dubit. 23., et nonnulli alii hujusce ordinis scriptores, facile omnes vident.

*Novis acquisitionibus modum imponunt.*

§. XI. Cum vero Reges non minus Ecclesiae, quam Reipublicae tutores sint, e re quoque sua esse putarunt ecclesiasticis, et piis largitionibus modum imponere. Itaque Lusitanis legibus ab Alphonso II. ad hanc usque diem datis Ecclesia, vel aliud quodcumque collegium prohibetur bona immobilia acquirere, Ord. lib. 2. tit. 18., quaecumque ea sint, allodialia, emphyteutica, majoratus, capellae, vel regalia, et quocumque titulo acquirantur, oneroso, lucrativo, et quacumque causa pia, vel profana, Extravag. Philippi III. 30. Julii 1611., quam hoc modo declaravit Josephus I. sapientissimi-

mo Edicto 4. Jul. 1768., et 12. Maii 1769., et 9. Setembr. eod. ann. 1769. §. 10., de quo diximus Histor. Juris Civ. Lusit. §. LV. in Not.

Amortizationis leges omnes generaliter loquuntur, iisque omnino tenentur Monasteria Regiae Coronae donataria; et Regium Diplom. calend. Jun. 1787. cap. 6., quod contrarium statuere videtur, intelligendum vel in casu speciali, de quo loquitur, in favorem Monialium Carmelitani Olisiponensis Conventus, vel ad mentem, sensumque *legis mentalis*, et his tantum bonis adcommodandum, in quibus lex ipsa, et Regium *Reversionis* jus locum non habet, qualia sunt emphyteutica a Rege data, *Reguenga*, censualia, et possessiones *jagationis* oneri subjectae.

*Quae bona Ecclesiastici non possint acquirere.*

§. XII. Neque omnium honorum adquisitio Ecclesiasticis concessa. Nam I. eis omnino interdictum bona habere, vel acquirere in terris Regum propriis, id est, *Reguengos*, Ord. lib. 2. tit. 16.; II. in terris, quas *jugadeiras* adpellant, Ord. lib. 2. tit. 18. §. 6.; III. bona Regiae Coronae, Ord. lib. 2. tit. 35. §. 10.; IV. majoratus dicta jura, quae ita nuperrime intelligenda esse statuit providentissimum Josephi I. Edicto 9. Setembr. 1769 §. 11. Bene tamen ab Emmanuelis Regis tempore bona alia quaecumque acquirunt, quae tamen non nisi laicis relinquere possunt, Ord. lib. 2. tit. 18. §. 5. (Inst. lib. III. Tit. V. §. XXXI.).

*Et quae negotia gerere prohibeantur.*

§. XIII. Neque civilium negotiorum gestio eisdem omnino permissa. Nam I. in judicio vix procuratores esse possunt, Ord. lib. 3. tit. 28. §. 1., II. usum eis interdicunt armorum Ordinationes lib. 2. tit. 1. §. 26., et lib. 5. tit. 80. §. 11.; III. mercat-

turae, Ord. lib. 4. tit. 16.; IV. agrorum, et quarumcumque possessionum esse conductores prohibentur Petri II. Extravag. quadam 21. Junii 1670. Collect. I. ad Ord. lib. 2. tit. 1. §. 18. N. 2. Denique, ut verbo dicam, Lusitanis legibus, nisi eisdem excipiantur, ipsi pariter ac laici tenentur.

### *De Placito Regio.*

§. XIV. De quibusdam etiam causis, quae mere ecclesiasticae esse videntur, veluti beneficiis, votivis, patronatus, excommunicationis, cet. leges multae exstant. Nani in primis quodcumque e Romana Curia Rescriptum, Decretum, Bulla, Breve emanaverit, publicae non valet executioni mandari, nisi *Regio Placito* obtento, art. 32. Concordiae Petri I., art. 87. Concordiae Joannis I., Extravag. 18. Decembr. 1516. Vide supplicem Regiae Coronae Procuratoris libellum, Reg. Fid. oblatum super Breve *Apostolicum pascendi*. Et hac ratione jure meritoque Rex ipse Fidel. usum, et retentionem prohibuit Bullarum *Animarum saluti* 28. Aug. 1767., *In Coena Domini* 2. Aprilis 1768., et literarum quarundam Apostolicarum introductionem adversus Ducem Parmensem 30. Aprilis eod. ann.

In Codice Alphons. lib. 2. tit. 12. inseribitur: *Das lettras, que vem da Corte de Roma, ou do Grão Mestre, que nom seião publicadas sem carta d'ElRei*, et ibi Joannis I. et Antecessorum leges referuntur, et casus, quibus executionis, et publicationis licentia debet denegari. Hoc tamen Majestatis jus politicis rationibus dimisit Joannes II. Resend. *Chron. cap. 66.* (Hist. Jur. Civ. Lus. §. LIX. Not.).

*Eorum poena, qui beneficium viventis impetrant, vel ad Romanam Curiam provocant.*

§. XV. Omnium autem providentissima ea lex est, quae statuit, quod quamdiu beneficii possessor

vivit, nemo unus illud a Romana Curia quocumque modo impetrare audeat sub proscriptionis poena: eandem incurrunt quicumque ad Romanam Curiam citaverint, vel iudices Apostolicos alterius Regni impetraverint, Ord. lib. 2. tit. 13. § 1., apud Hispanos l. 13. tit. 16. p. 1., Breve Julii III. ad Joannem III. datum 21. Julii. anno 1554.

Providentissimam hanc legem primus tulit Emmanuel 10. Decembr. 1515. apud Leon. 4. p. tit. 12. l. 4. In eam itaque peccant quicumque beneficium viventis impetrant, sive Romae, sive loco alio, et regione commorentur; etiamsi possessor injustus sit; et beneficium vacare videatur per matrimonium licet contractum, vel alio quovis modo, colore, et titulo: neque poenam lege statutam devitabit, quamvis beneficium motu proprio conferatur, illudve a Legatis a latere, vel ab ipsis quoque Regni Episcopis impetraverit. Eodem modo, et eadem lege puniuntur, qui iudices Apostolicos alterius Regni a Sede Apostolica postulaverint; qui ad eandem citaverint, et adpellationis istrumenta deferre ausi fuerint: nulla enim ex hac lege, quam Julius III. adprobavit, apud nos est hujusmodi adpellatio in omni, et quacumque causa civili, criminali, beneficii, mixta, ordinaria, nova, aut insolita. Enimvero ita hanc Emmanuelis legem latissime ad illius mentem interpretabantur supremæ Regni Curiae, et Juriconsulti omnes, qui, eodem, et Joanne III. imperantibus, vixerunt, ut Sebastianus Rex testatur Extravag. 25. Julii 1565. apud eundem Leonem supra l. 5., ibi: *Manda ElRei Nosso Senhor, que daqui em diante não se faça extensão da lei precedente em outros casos fóra do intento, com que o dito Senhor Rei a passou; e dos que nella são expressos contra pessoas Ecclesiasticas, sem embargo do stillo, de que se ategora usou no juizo dos feitos de S. A.; e que se guarde em todo a disposição do Direito, e do Sagrado Concilio Tridentino.* Philippus II. in suo Codice lib. 2. tit. 13. in princ. usque ad vers. *E queremos*, Emmanuelis legem anno 1515. retulit; ab hoc autem versiculo usque ad fin. princ. Sebastiani 1565.; qua prohibitum generaliter erat casus saluberrima Emmanuelis lege omissos extendere. Opandium vero erat, quod iudices Apostolici certi, et fixi pro quacumque causa judicanda a Rege adsignarentur; et hoc ipsum a Pio IV. impetravit Laurentius

Pires de Teyota, Sebastiani apud eum legatus. Barb. illius *Memor.* p. 1. lib. 2. cap. 1. pag. 313. Quae autem Imperanti hac in re, et similibus definiendis potestas sit, nemo unus est, qui hodie ignoret: vide tamen Marci Antonii Azevedii Coutinii, Joannis V. a Secretis, literas Regis jussu scriptas 14. et 15. Jan. 1774. apud Ord. lib. 1. tit. 9. *Collect.* II. NN. 14. 15. 16., *Espen. jus Eccles. Univers.* p. 1. tit. 21. cap. 4. et p. 3. tit. 5. cap. 3.

*Et qui Romae adversus Regni privilegia procurant, vel ab exteris beneficium habent.*

§. XVI. Nec poena minore puniuntur, qui Romae adversus antiqua Regni privilegia, et gratias Regi, Reginaeve concessas procuraverint, Ord. lib. 2. tit. 15., ex Emman. leg. 27. Maii 1516. deprompta, apud Leon. 4. p. tit. 12. l. 3.; qui a peregrinis beneficium habuerint, eosve in causa beneficii defenderint, Ord. lib. 2. tit. 13. §. 1., deducta ex ejusdem Emman. Extravag. 3. Novembr. 1512. ib. l. 1. Eisdem legibus, et praesertim ex alio Emman. Dipl. 18. Februar. 1512. ibid. l. 1. apud Cabed. *de patronat.* cap. 29. exteris, peregrinisve hominibus prohibetur in Regno beneficium obtinere (Tit. XII. §. VII. h. lib.), et beneficia vacantia vi armata occupare, eorumve possessionem absque Ordinarii licentia adipisci, alia Ord. lib. 2. tit. 19., Emman. tit. 9, art. 77. Concordiae sub Joanne I.

Ord. lib. 2. tit. 19. fait deducta non tam ex Concordia Joannis I., quam ex ejus speciali lege ad petitionem Episcoporum Eborae data 14. Febr. aer. 1429. ann. 1391., quae habetur Alphons. Cod. tit. 16. eod. lib.

*De censuris ecclesiasticis in Regis Magistratus.*

§. XVII. Cum vero innumera mala, et perturbationes orientur ex censuris, et literis inhibitoriis, a iudicibus quibuscumque ecclesiasticis in Regios



Magistratus, eorumve adparitores latis; eas idcirco sine Regio Placito publicari vetuit Emmanuel Extravag. 18. Decembr. 1516, apud Leon. 4. p. tit. 12 l. 2.; ex qua desumpta fuit Ord. lib. 2. tit. 14. Vid. artic. 32. Concord. Petri I., et 85. Joannis I. Et hanc nimirum legem eo quoque in casu locum habere existimo, quo Regius Magistratus de causis ad ecclesiasticum adinentibus cognoscit, et privilegia Ecclesiae concessa a Principe invadit.

Josephus I. Regio Diplomate 10. Martii 1764. sibi reservavit judicium de censuris ecclesiasticis adversus Regni Curias, Regios Magistratus, eorumve Adensos latis. Itaque eodem die et anno nullas, et irritas declaravit literas inhibitorias Petri Ludovici Sousae, Aegitaniensis Canonici, qui Praesidem Pinhelensem (*Corregedor da Comarca de Pinhel*) excommunicationis ictu percussit. Ejusdem normae, ac tenoris est Diploma aliud 18. Januarii 1765., cui occasionem dedit recursus, quem ad Regem Paratuenses quidem homines detulerunt (Hist. Jur. Civ. Lus. §. CIV.). Exstat (ut hoc obiter notem) Breve Leonis X. ad Emman. 12. Junii 1518. datum, quod Capellano Regis Maximo judicium de censuris adversus Regis Administratos latis, earum interim effectu suspenso, concessit; quod hodie, cessante ejus causa, nullius usus esse videtur: habetur apud Pereriam *de Man. Reg.* cap. 62. n. 15., et Sous. tom. II. Probat. nn. 50. et 52.

*Saecularis non nunquam de validitate civili excommunicationis cognoscit.*

§. XVIII. De dilatoria excommunicationis exceptione Regius Magistratus notionem habet, sive litigatoribus objiciatur, sive judici, et dies octo ad illius probationem adsignantur: ea autem judici opposita, ejusdem superior, si eodem loco vivit, cognoscit, alioquin arbitri a partibus eliguntur, qui rem, gravamine omni et appellatione remota, judicabunt, Ord. Emman. lib. 3. tit. 38. §. 6. usque ad finem; quae quidem Ordinatio judicium de ci-

vili validitate excommunicationis saeculari non admittit, imo expresse concedit verbis: *Conhecerá della, e dará sobre elo final determinaçam.*

Hanc Emmanuelis Ordinationem Philippus suo Codice retulit lib. 3. tit. 49. §§. 4. et 5.; verum in §. 6. addit: *E sendo duvida, se cada uma das taes excomunhões he valiosa, ou não, remetter-se-ha o conhecimento da tal excepção ao Juiz Ecclesiastico:* atque ita hujusmodi Ord. hoc §. omnino contraria est §. antecedenti 4. et 5., et iis adversatur, quae antea constituta erant; ego vero vix intelligo, quomodo iudices, quibus iudicium de excommunicatione lex concedit, id facere possint, quin super illius civili, et externa validitate pronuntient; cum enim excommunicatio plures habeat effectus civiles, nihil omnino ob stare potest, quod, quantum ad eos adtinet, de illius validitate agatur in saeculari foro, quemadmodum in iudicio Regiae Coronae, quando de facto inflicta proponitur. Otiosa tamen haec quaestio est, cum Ord. dict. lib. 3. tit. 49. §. 6., cui stare debemus, contrarium decidat.

*De Regio patronatu quando Regis a Sacello Maximus cognoscat.*

§. XIX. De jure quoque Regii patronatus, ut spirituale et ecclesiasticum esse videatur, quod scilicet Lusitaniae Regibus ab antiquissimis temporibus competit, vel eorum beneficio Regiae Coronae Donatariis, Regius Magistratus cognoscit: et in primis Regis a Sacello Maximi officium est sacerdotes idoneos ad Ecclesias regendas Regi offerre, ac designare, et lites Donatarios inter et Episcopos, vel ab eis designatos ac institutos, super jure patronatus ortas, in prima instantia decidere.

Reges nostri universae Lusitanae Ecclesiae tutores sunt, et speciali circa singulares multiplices Ecclesias jure patronatus fruuntur, quod vel ex fundatione, donationibus, vel aliis justis titulis, de quibus modo non quaerimus, adquisiverunt. Vide *Espenium P. II. Juris Eccles. tit. 25.*

cap. 1. seq., Thomass. p. 2. *de disciplin. Eccles.* lib. 1. cap. 29. seq., Franc. Florent. p. 2. pag. 78. seq., Boehmer. *Jus Eccles. Protest.* lib. 3. tit. 38. Exstat praeterea Breve Leonis X. ad Emman. 17. Decembr. 1517. datum, quod jura omnia Regii patronatus confirmavit, apud Cabed. *de patronat.* cap. 2. n. 9. Idem Pontifex Capellanum Regis Maximum, et Regiae Coronae Auditorem judicem competentem declaravit super causis juris patronatus inter Reges, et Ordinarios agitalis, ut constat ex ejusdem Leonis literis ad Emmanuelem sexto idus Decembr. 1514., et 26. Jul. 1515. scriptis, apud Cabed. *de patronat.* cap. 43. et cap. 49., et Sous. tom. II. Probat. nn. 48. 49.

*Et quando judex Regiae Coronae.*

§. XX. Si vero de jure patronatus Regii non dubitetur, sed contentio sit I. inter duos Regiae Coronae Donatarios, qui scilicet jus illud praetendant; vel II. inter Donatarios ipsos, et Coronam; vel III. circa vires donationis, alteriusve contractus super patronatu initi; vel IV. si de vi, et quasi possessione quaestio proponatur; vel V. denique si de universitate honorum, in qua patronatus continetur, lis oriatur, non ad Capellanum Regis Maximum, sed ad Regiae Coronae judicem cognitio spectat, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 7., Olisiponensem videlicet, non Portucalensem, Ord. lib. 1. tit. 9. §. 13. et tit. 40. in fin. princ., Extravag. Philippi II. 9. Mart. 1596. apud Cabed. *de patronat.* cap. 49. Vid. art. 6. Concordiae sub Joanne I., et art. 3. Concordiae sub Sebastiano Rege, ex quo quasi ad literam descripta fuit Ord. dict. lib. 2. tit. 1. §. 7. (Hist. Jur. Civ. Lus. §. XCI.)

Hoc jure utimur ex dicta nova, et singulari Ordinatione lib. 2. tit. 1. §. 7., Concordiis, et Bullis. Sed antiquis Regni legibus judex Coronae cognoscebat de juris patronatus causa tam in *possessorio*, quam in *petitorio*, et ita constat ex eodem cap. 3. Concordiae Sebastiani Regis 18. Mart. 1578., et ex Ord. lib. 1. tit. 9. §. 13., et tit. 40., Emman. tit. 7., Alphons. 6. Jus enim

patronatus ex sua natura temporale est, neque cap. 3. de jud., quod contrarium decidit, in Lusitania fuit receptum, ut ex dictis juribus constat, et testatur Ram. ad leg. Jul. et Pap. lib. 3. cap. 59. apud Meerin. *Thesaur. Jur. Rom.* tom. V. pag. 435.

*Super votis Divi Jacobi ubi quis debeat conveniri.*

§. XXI. Super votis, quae vulgo dicuntur *Divi Jacobi* (si fortasse ea unquam emissae fuerunt), laicus non nisi in saeculari foro conveniri potest; neque in secunda instantia, et causa appellationis de eis quisquam notionem habet praeter judicem Regiae Coronae civitatis Portucalensis, Ord. lib. 1. tit. 40. §. ult., deducta ex Extravag. quadam Joannis III. 24. Novembr. 1529. apud Leonem 1. p. tit. 7. l. 1.

Varia sunt, quae vulgares interpretes comminiscuntur in favorem Episcoporum, quorum hanc votorum causam praecipuam esse contendunt, vel quia votiva est, vel quia circa Ecclesiae bona, et jura versatur; sed magno conatu magnas nugae agunt; nam auctoritates, et rationes, quibus innituntur, ex rerum judicatarum praecedentiis, Doctorum numero, Decretalium libris, et Summorum Pontificum extravagantibus constitutionibus petita, in civili foro vel nullius, vel exigui admodum momenti sunt. Multum tamen eos juvat Regium Sebastiani Diploma 28. April. anno 1568. apud Perer. *de Man. Reg.* cap. 13., quod confirmavit, et legis vigorem adtribuit decisioni Senatus Olisiponensis, qui in causa Revisionis anno 1540. pronuntiaverat, ad Ecclesiam tantum similibus votorum iudicium spectare. Facilis tamen responsio est, hanc scilicet Sebastiani legem extravagantem per posteriorem in Ord. lib. 1. tit. 40. §. 2. revocata fuisse. Neque decisio, quam lex hujusmodi confirmavit, Senatus Olisiponensis in favorem Ecclesiae Bracarenensis anno 1540. ullo modo valida esse poterat, quia expresse contraria erat Joannis III. lege dicto anno 1529. Denique (neque hoc praetermittendum existimo) cum hoc tempore Ecclesiam Bracarensem rexisset Henricus Portugalliae Infans, quis tantum tribuet sententiae in ejus favorem latae, vel legi eandem confirmanti, quam Sebastianus tulit primo imperii sui anno, ut non eam magis ab Henrico

Cardinali, quam a Rege illius nepote profectum existimet? Neque praeterea integra fides adhibenda est Caldas Pereriae, qui *receptarum sententiarum* Concilio 43. scribere non dubitavit, celeberrimam hanc causam votivam ad Archiepiscopos tantum Bracarenses spectare; tum quia praefatae Ordinationi lib. 2. tit. 40. §. 2, quae contrarium decidit, non respondet; tum quia rationes, quibus nittitur, nostro hoc tempore, et meliori jurisprudentia restituta, nullius momenti sunt, veluti quod votum hujusmodi, vel quia votum est, vel quia ad Ecclesiam, et illius bona, jura, et patrimonium spectat, non nisi in Ecclesiae judicio tractari debeat, maxime cum ejusdem notionem, judiciumve jam ab antiquissimis temporibus sibi Ecclesia praesumserit; tum denique quia tantum Ecclesiae Bracarensi adtribuit, ut non solum ei concedat mensuras tritici, et vini, quarum mentio facta vulgo esse putatur in testamento Ramiri Regis, sed generaliter quascumque alias omnes, multum licet immoderatas, dummodo in illarum exigendarum quasi possessione Ecclesia fuerit. Quare credendum est Caldas hoc Consilium rogatum scripsisse, illudque in gratiam fortasse Henrici Cardinalis, qui Archiepiscopus fuerat Bracarensis, typis vulgasse, et magis hac in re egregii adsentatoris, quam insignis, sincereque scriptoris partes sustinuisse. Multo sincerior est, et meliora profecto sunt, quae adducit Gabriel Pereira *de Man. Reg.* cap. 13.; sed multum ille torquetur Regia Ordinatione lib. 1. tit. 40. §. 2., cui respondere conatur eodem cap. n. 20.; sed conatur tantum, nec rem ipse quidem absolvit. Tandem cum hac tempestate vel ex Publici Universalis Juris ignorantia, vel ex superstitione quadam religiosa, nova et insolita privilegia praeter rationem antiqui Lusitani juris, ut alibi demonstravimus (*Hist. Jur. Civ. Lus.* §§. LXXXIII. et LXXXIV.), Ecclesiasticis concederentur, mirum profecto videri non debet, quod id temporis e sacrosancto Regis Consilio, et supremo Lusitaniae Senatu hujusmodi publica lex, atque decisio prodisset.

*Ea fortasse emissa nunquam fuerunt.*

§. XXII. Verum, si dicendum quod res est, votum, ut *de unoquoque jugo boum singulae mensurae de meliori fruge ad modum primitiarum, et de vino similiter ad victum Canonicorum in Ecclesia Beati Jacobi commorantium annuatim Ministris*

*ejusdem Ecclesiae in perpetuum persolvantur*, quod Ramiro I. adtribuitur aër. 872., apocryphum est, et saeculo XIII. confictum, quemadmodum ea omnia, quae de Clavigii pugna, de centum virginum tributo, et de adparitione sanctissimi Apostoli memorantur: itaquo jure meritoque hujusmodi privilegii, et votum suppositivum, et falsum declaravit supremum Castellae Concilium sub Philippo IV. anno 1628.

Hujus voti historiam, et falsitatem ex antiquissimis monumentis novissime demonstravit Dux de Arcos in supplici libello, quem Regi Catholico Carolo III. obtulit, Matrili typis vulgato anno 1771.; et mirum est hanc fabulam tanto tempore in Hispania regnasse. Ea vero amandata, corruit sua sponte jus, quod Archiepiscopi Bracarenses praetendunt, quippe quod ex illa derivatur. Verum est, quod Innocentius III. in cap. *Ex parte* 18. *de censib.*, Bonifacius VIII. Bulla tertio Pontificatus sui anno data; Alphonsus III. aër. 1368.; Joannes I. art. 90. suae Concordiae, et Sebastianus anno 1568. votum hujusmodi aliquando existisse supponunt, cum facultatem illud exigendi Archiepiscopo Bracarensi concedant; ast jus hoc fori singulare, quod Regum ab arbitrio dependet, Joannes III. et Philippus II. revocarunt, ut superius diximus; ad votum autem quod adinet, sequuti fuerunt errorem communem, quem minime adprobare videntur, ut ut maxime vellent; nam in iis, quae facti sunt, et ad historiam spectant, nulla est legum, et summorum Principum auctoritas. Illud autem constat ex art. 90. Concord. Joannis I., Archiepiscopum Bracarensē novas et insolitas collectas votorum nomine imperasse, et ad eas exigendas excommunicationibus, interdictis, et ceteris poenis canonicis contra jus fasque in populos non semel animadvertisse. Spurium itaque votum Ramiri Regis est, quod hic tantum suppono, et convenientiori loco fortasse aliquando demonstrabo; non enim hac de re paucis verbis disputare licet: id vero, quamvis genuinum foret, Ramirum tantum, et voventes, non eorum successores in perpetuum obligaret, et Compostellanae tantum, non Bracarensi Ecclesiae, quae privilegio nullo specialia; et titulo nititur, jus tribueret. Denique insolens ego et plane inauditum reputo, quod Lusitania tantum aliquando

aliquando a reliqua Hispania segregata adhuc post octo saecula, et quod excurrit, hujusmodi sive lege, sive voto adstricta esse videatur.

*Episcopi, et clerici Regiae domui addicti in saeculari omnino conveniuntur.*

§. XXIII. Ecclesiastici non semel in saeculari foro comparere coguntur. Nam I. sanctissimi Episcopi coram saeculari iudice possunt conveniri super rebus patrimonialibus, aere alieno, et damnis illatis, et generaliter in causis omnibus civilibus etiam poenalibus, Ord. lib. 2. tit. 1. in princip. et §. 6. in fin., et lib. 1. tit. 8. §. 3., et lib. 3. tit. 6. §. ult. II. Clerici Regiae domui addicti tam in civilibus causis, quam in criminalibus civiliter intentatis, in saeculari respondent, Ord. lib. 2. tit. 4., Dionysiana lex Codice antiquo Regni tom. 1. relata, ibi: *Que he senhor, e ha jurisdicom sobre todos os de sa Casa, como padre sobre os filhos*; art. 51. Concord. Joannis I. in Alphons. Codice lib. 2. tit. 7.

Dionysiana haec lex una cum aliis ad jurisdictionem ecclesiasticam spectantibus Olisipone data fuit mens. Octobr. aer. 1347. Et clerici Regiae domui addicti respondebant coram Curiae Praetore, Ord. Alphons. lib. 3. tit. 15., Emman. lib. 2. tit. 3. §. ult., Philipp. tit. 4. eod. Hodie Regis a Sacello Maximus iudex est Bulla Leonis X. anno 1515. apud Sous. tom. II. Probat. n. 49. pag. 247.

*Ecclesiastici quando in saeculari respondeant in civilibus.*

§. XXIV. Possunt etiam in saeculari foro clerici quicumque conveniri, nec ad ecclesiasticam rejici debent I. super reconventionis causa, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 1., art. 1. secundae Concordiae Alphonsi III. II. Super omnibus causis spoli etiam

spiritualibus et ecclesiasticis intra annum, et diem; lib. 2. tit. 1. §. 2., artt. 59. et 84. Concord. sub Joanne I.; nec interest interdicto *unde vi, recuperandae, vel retinendae* agatur. Possessorium namque causarum ecclesiasticarum temporale est, adeoque iudicis saecularis cognitione reservatum. Espen. P. III. *Jur. Eccles.* tit. 2. cap. 4. n. 39. seq., Duarenus lib. VII. *de Sacris Eccl. Ministr.* cap. 2. III. Cum iudicium ubi incoepit, finiri debeat, laicus in saeculari conventus, quamvis postea in sacris ordinetur, iudicium ibidem coeptum, prosequi debet, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 3., art. 4. Concord. Alphonsi III. IV. Clerici in minoribus tam soluti, quam uxorati in saeculari in omnibus civilibus causis respondent ex contractu, vel quasi descendentibus; secus in criminalibus etiam civiliter intentatis, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 4., Concord. 2. Alphonsi III. art. 5., et 16. 4. Concord. sub Dionysio Rege, et art. 9. Concord. Joann. I.

Julius III. anno 1551. Joanni III. concessit duo: I. quod clerici in minoribus ad iudicem ecclesiasticum aliquorum criminum occasione semel atque iterum remissi, si, prout par erat, non punirentur, saepius non remitterentur: II. quod privilegio fori non gauderent, si beneficium ante commissum delictum per annum non haberent. Pius II. anno 1461. Alphonso V. indulgit, quod clerici in minoribus, vestes ecclesiasticas, coronam et tonsuram clericalem non deferentes, in criminalibus quoque causis in saeculari respondere cogerentur, et possent pro modo delicti capitis etiam poena condemnari. Alias Summorum Pontificum Bullas refert Leo 2. p. tit. 4. l. 5.

*Alii casus enumerantur:*

§. XXV. V. Clericus heres laici super lite cum defuncto inchoata in saeculari convenitur, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 8. art. 9. Concord. Alphonsi III., et 32. Joannis I. (Inst. Lib. IV. Tit. VII. §. XXVI.); laicus



vero heres clerici in proprio tantum foro conveniendus. VI. Clericus debet emptorem super re, quam vendidit, conventum in saeculari defendere, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 11., et lib. 3. tit. 45. §. ult., art. 2. Concord. 2. Alphonsi III. VII. Clerici in minoribus cogi possunt, ut incendiis, et inimicae genti occurrant, ut opem Regis Magistratibus praebeant, et in irruptionibus delinquentes comprehendant, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 12. VIII. Super bonis Regalibus, Regiae Coronae, et patrimonialibus; super juribus Regalibus, redditibus, jurisdictione, illius usu, et abusu, seu administratione; super possessionibus fiscalibus, et pensionibus Regiae Coronae solvendis, Ord. lib. 2. tit. 1. §§. 16. 17. 18., et conveniri possunt in saeculari, quamvis negaverint rem, et jura, de quibus agitur, ad Regem spectare; contra vero laicus, qui non agnoscit dominium Ecclesiae, in suo tantum foro potest conveniri, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 5. IX. Super portorii, decimarum, mercium terra marique invectionis, et exportationis jure, id est, *alfandegas, dizimas, portagens*; super tributo pro venditionibus solvendo, quod *siza* adpellant; super Regiae penuariae jure, id est, *Relego*; et pro interdictarum mercium poenis, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 19., artt. 5. 6. 7. 9. 10. novissimae Concordiae sub Sebastiano Rege. X. Pro mercede, et salariis famulorum, pro mülctis agrariis, ceteris, quorum cognitio ad aediles spectat, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 20., art. 16. Concordiae Petri I., et 86. Joannis I., Extravag. 9. Mart. 1678. ad Ord. lib. 2. tit. 59. Collect. 1. N. 5.

Multas essem, si casus omnes, quibus clericus in saeculari conveniri potest, enumerarem; nam praeter jam citatos, clerici negotiatores, bufones, goliardi, aleatores, qui arma publica portant in via, qui sine habitu clericali incedunt, qui laicorum bona administrant, cet., legibus nostris fori privilegio haud gaudent, artt. 7. 8.

9. 10. 11. Concordiae Alphonsi III. illud tantum moneo, in his articulis Canonici et Civilis juris textus saepius adlegari, praecipue in Concordia praefata Alphonsi III. habita saeculo XIII., ex quo uno utriusque juris in Lusitania usus, introductio, et auctoritas satis ostenditur.

*In saeculari quando in criminalibus respondeant.*

§. XXVI. Crimina Ecclesiasticorum legibus nostris non nunquam vindicantur. Et I. in flagranti per iudices, adparitoresque saeculares comprehendi possunt, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 29., vel quando eis resistunt, vel delictum in eos committunt. II. A Rege puniuntur, et civitate privantur, quando ipsi mitius, quam par est, ab Episcopis tractantur, Ord. lib. 2. tit. 3. III. Provinciarum Praetoribus leges injungunt inter alia, ut turbulentos clericos per Episcopos debitis poenis coerceri faciant, Ord. lib. 1. tit. 58. §. 18.

De Regum in Ecclesiasticis, cujuscunque ordinis sint, puniendos potestate tria haec hodie certi omnino juris sunt. I. Principem in eorum crimina civilia pariter ac laicorum animadvertendi aequale jus habere. II. Episcopos, si de illorum criminibus judicialiter cognoscunt, id tantum jure, et privilegio Regum facere, qui eosdem Episcopos puniendos, ac judicandos tradiderunt. III. Hanc facultatem, quam Episcopis Reges concessere, posse prohibitu abrogare, eamque, cum voluerint, et rectius judicaverint, recipere, atque his majestatis juribus Reges, ac Principes christianos semper usos fuisse, historiae omnium gentium testantur. In Lusitania luculentissimum testimonium exstat sub Emmanuele Rege invictissimo, qui Monachos quosdam immanissimae caedis hortatores strangulari, atque comburi jussit. Osorius *de reb. Emman. Reg. Lusitan. virt. et ausp. gestis* lib. 4. pagg. 152. 153. 154. edit. Orlisipon. 1571. Plura alia exempla omitto, ea quippe nemo inter nos ignorat. Quinimo ipsum jus Canonicum clericos gravioribus in criminibus externae Principum potestati subdit, cap. 1. *de homicid.* in 6., cap. 1. *de apostat.*, ceter. Hanc in rem multum sane laudanda Ord. Alphons. lib. 3. tit. 15. §. 21. in fin., et

§. 27. his verbis: *Se o Juiz da Igreja for negligente em fazer direito do Creliquo, extremadamente nas demandas Reaes, Nós, e Nossos Juizes Leiguos podemos citar o Cleriguo, ou Leiguo, que for da jurdição da Igreja, e soprir tal negligencia, etc.*

*Episcopi Regum a consiliis sunt.*

§. XXVII. Jam vero privilegia fere innumera Reges nostri Ecclesiasticis concesserunt, quorum illud praecipuum est, et certe insignius, quod Regni, et Provinciarum Episcopi jam ab antiquissimis temporibus Regum a consiliis titulo honorificentissimo decorentur; illud vero ab Alphonso II. vel III. rogarunt, qui primus Episcopis politicis, quae hoc tempore vigeant, rationibus hanc gratiam sive fecit, sive promisit, art. 13. jurisjurandi, quod Parisiis dedit. Nunquam tamen repetitis factionibus impetrare potuerunt, quod non valerent leges, nisi de eorum consilio latae. Vide art. 67. Concord. sub Joanne I.

Praesumptio haec Ecclesiasticorum crimen gravissimum est, et temere deducitur ex art. 13. jurisjurandi, quod Alphons. Parisiis dedit, apud Perer. *De Man. Reg.* lib. 1., et Sous. tom. I. Probat. n. 26. pag. 51. Nam verba, *quod omnibus negotiis contingentibus statum bonum Regni intendam cum consilio Praelatorum*, nihil magis probant, quam Alphonsi difficillimis his temporibus insignem, eximiamque prudentiam, qui licet jusjurandum suum, et quaecumque eo continentur, servare promitteret, caute tamen adjecit: *Salvo jure meo, et Regni Portugalliae.*

*Scribas, adparitores, et publicos carceres habent.*

§. XXVIII. Regum quoque beneficio Episcopi scribas, tabelliones, publicam custodiam, et adparitores habent pro suis nominibus exigendis speciales, Ord. lib. 2. tit. 20., et lib. 3. tit. 90. §. 1.,

qui bene possunt virgas portare, de Palatii tamen Curiae licentia, Extravag. Joannis IV. 28. April. 1647. Collect. I. ad Ord. lib. 2. tit. 9. N. 1. Minime tamen licet scribis Episcoporum, tabellionibus, et notariis scripturas de rebus temporalibus, veluti testamentis, contractibus, et similibus conscribere, Ord. dict. lib. 2. tit. 20. in princip., art. 42. Concordiae Joannis I. (Inst. Lib. IV. Tit. XVIII §. VI.).

Ord. lib. 2. tit. 20. originem suam debet Dionysianae legi, cujus mentio fit artt. 42. e 57. Concordiae Joannis I., quae postea redacta fuit in Ord. Alphons. lib. 2. tit. 18., Emman. tit. 10., et tandem Philipp. dict. tit. 20., sed aliquantulum interpolata. Ea vero si ex fonte, unde orta fuit, interpretanda, adserere non dubitamus officia-  
liam ecclesiasticorum scripta quaecumque sive judicialia, sive extrajudicialia fidem hodie tantum facere in causis mere ecclesiasticis; et spiritualibus, et ita probant verba: *E de outras cousas similhantes meramente ecclesiasticas ou spirituaes.*

*Ecclesiastici tributa ordinaria non solvunt.*

§. XXIX. Deinde clerici cum omnibus vectigalibus, ac tributis pariter ac laici obnoxii sint, secluso Regum privilegio, ad eaque promiscue tenerentur ab Regni ipsius incunabulis, ut constat ex art. 10. secundae Concordiae Regis Dionysii, et ex vetustissimis aliis monumentis; tamen posterioribus legibus plurimae clericis exemptiones, ac privilegia indulta sunt. Quare Emmanuelis Extravag. 1. Aug. 1498. data (apud Leon. 5. 3. 12.) non solvunt venditionis tributum, id est, *siza*, portorium, seu *portagem*, et alia importationis, et exportationis jura, *alfandegas*, *dizimas*, nisi negotiatores sint, vel bona immobilia emant, Ord. lib. 2. tit. 11. §. 1. Ecclesia sita in terris Regum propriis (*Reguengos*), itemque ipsius Ecclesiae spatia (*passaes*), a solito tributo immunis est, Ord. lib. 2. tit. 22.,

Emman. tit. 11. §. 1., Alphons. tit. 19. §. 1., Extravag. Joannis. III. 8. Jul. 1553. apud Leonem 2. p. tit. 2. l. 4.

A jugationis autem tributo neque Ecclesia immunis est, Ord. lib. 2. tit. 33. §. 8., nisi speciali gaudeat privilegio: neque clericus, Ord. lib. 2. tit. 57. §. 1.; onus quippe reale est, Ord. lib. 2. tit. 18. §. 8. Multum tamen obstat Ord. eod. lib. tit. 33. §. 25.; eam tamen ego intelligerem de clerico, qui privilegium habet, et terras colit Ecclesiarum, quae simili gaudent privilegio.

*Privilegium fori Ecclesiastici clericis datum.*

§. XXX. Magni vero faciendum privilegium fori. Itaque clericus in omni causa, quae specialiter non excipitur, non nisi in ecclesiastico foro conveniri potest, Ord. lib. 3. tit. 11, §. 6., sive civilis ea sit, sive criminalis. Unde licet clerici concubina in saeculari puniatur poenis statutis Ord. lib. 5. tit. 30., Emman. tit. 26.; tamen saecularis iudex clericos concubinarios in carcerem detrudere haud potest, neque Religiosos, sed statim ad eorum superiores remittere, Ord. lib. 5. tit. 31., Emman. tit. 27., artt. 71. 72. 73. Concordiae Joannis I.; itaque quando clericos comprehendit, vel quia ei resistunt, delictumve in eum committunt, vel quia in delinquentium turba inveniuntur, vel quia vetita arma portant in via, ad ecclesiasticum vel ex officio, vel rogatus una cum scriptis testimoniis remittit, Ord. lib. 2. tit. 1. §§. 23. 24. 25. 26. 29., et lib. 5. tit. 80. §. 11., art. 14. Concord. Dionys., et 5. Petri I., quod potiori jure etiam obtinet in vetitae venationis, aut piscationis delicto, Ord. lib. 5. tit. 88. §. 16.

Fori tamen privilegium tunc locum habere videtur quando in personam convenitur ex contractu, vel quasi delicto, vel quasi; quippe hoc casu obligatio ex persona,

non ex re ipsa ejusve occasione oritur; quamobrem reali actione clericus conventus in saeculari foro respondere jubetur, Ord. Emman. lib. 3. tit. 10. §. 5., ibi: *E se o possuidor for Clerigo de ordens sacras, ou Beneficiado, será demandado perante o Juiz de seu foro*: iudex enim fori apud nos est ordinarius loci; nam Episcopi forum proprie non habent; et ita in Gallia servatur, testē Fleur. *Inst. Jur. Eccles.* P. III. cap. V. §. I. Philippus tamen Emman. Ordinationem lib. 3. tit. 10. §. 5. adposuit eod. lib. tit. 11. §. 6., sed interpolatam, et loco verborum *perante o juiz de seu foro*, scripsit *perante o seu juiz Ecclesiastico*; et hoc jura utimur. Vide tamen Ord. Alphon. lib. 3. tit. 116.

*Et quae praecedere debent, priusquam ad illud remittantur.*

§. XXXI. Prius vero quam ad Ecclesiae iudicium clerici rejiciantur, debent solvere expensas actorum, et personae, Ord. lib. 3. tit. 67. §. 5., et lib. 1. tit. 24. §. 34., cautionem fidejussionis amittunt, Ord. lib. 5. tit. 131. §. 2., et in causis criminalibus capi prius debent, Ord. lib. 5. tit. 124. §. 13., art. 9. Concord. Joannis I.; debent etiam prius ordinationum suarum literas in saeculari ostendere, clericatus exceptionem proponere, et probare se fori privilegio gaudere, sive in sacris ordinibus, Ord. lib. 2. tit. 2. §. 23., sive in minoribus sint constituti, §. 27. Cognitio clericatus, et falsitatis litterarum ordinationum ad saecularem spectat; itaque clericus, sive laicus, qui posteaquam delictum commisit, ad sacros ordines convolvit, vel beneficium obtinuit, mittendus non est, quin prius in saeculari compareat, et ibidem instrumenta ordinationum ostendat, Extravag. Joannis III. 17. Octobris 1547. apud Leon. 2. p. tit. 4. l. 5., ex qua deducta fuit Ord. lib. 2. tit. 1. §. 21.

A sententia, seu pronuntiatione rejicientis clericum ad ecclesiasticum forum iudex ex officio debet appellare;

Ord. lib. 2. tit. 1. §. 28., et tit. 5. §. 9., et lib. 5. tit. 124. §. 3., ad judicem scilicet Regiae Coronae, ad quem, cum quaestio de jurisdictione emergit, judicium spectat, Ord. eod. lib. 2. tit. 1. §. 15., et lib. 1. tit. 9. §. 11. in princip.

*Laicus, qui vim in clericum commisit, vel ejus rem rapuit, in ecclesiastico convenitur.*

§. XXXII. Non nunquam laicus in judicio ecclesiastico conveniri potest: I. si clerici rem raperit: II. si in eum vim commiserit: alterutrum vero exprimere prius debet, adlegare, et probare; alioquin causa cadit, et praeter expensas actorum tanti, quanti a laico postulabat, condemnandus est, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 5. in princip., art. 58. Concord. sub Joanne I., deduct. ex capp. 5. 8. *de for. compet.*

*Quod ut oportet intelligendum.*

§. XXXIII. Cum vero Regia Ordinatio dumtaxat laicum in ecclesiastico respondere concedat super vi, aut raptu, ibi « *roubo, ou força* » sequitur: I. conveniri non posse pro simplici furto, vel quando res clericorum clam contrectavit: II. quando clericus reivindicationis vel personali ex contractu, vel quasi actione agit: III. quando laicus clerici possessiones, et bona immobilia invadit; in eis enim neque furtum, neque rapina proprie committitur: IV. ut solum possit puniri poenis canonicis; itaque rei ipsius restitutio, poena dupli, vel quadrupli, vel corporalis, cetera, quae in eos, qui res alienas rapiunt, vel invadunt, statuta sunt, ad civile tantum forum adtinent: V. ut neque ipsis poenis canonicis judex ecclesiasticus laicos coercere valeat, nisi prius delicti qualitate probata, veluti rapinae, vis, et sacrilegii, et ad hunc dumtaxat fi-

nem coactionem habet legis Regiae beneficio, et potest laicum adigere, ut coram se respondeat, et compareat. Diu tamen clericus super hac re cogitet; nam si rapinam, et vim non probaverit, poenam eadem lege impositam incurret. Denique Ecclesiasticus, priusquam in laicum animadvertat, se iudicem pronuntiare debet; et ab hac nimirum sententia una tantum appellatio admittitur, vel ad Episcopum, Archiepiscopumve, si ab ecclesiastico vel ad Regem, ejusve senatum, si a laico iudice interponatur, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 5. in fine.

*Et super rebus Ecclesiae.*

§. XXXIV. In iudicio Ecclesiae potest etiam laicus conveniri super rebus, et profanis ejusdem Ecclesiae possessionibus, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 5.; quod ita tamen intelligendum; I. quando res ipsa est in perfecto Ecclesiae dominio: II. quando laicus Ecclesiae dominium agnoscit. Itaque qui negat rem esse in dominium Ecclesiae, statim ad saeculare forum mittendus est, nulla exceptione etiam doli obstante, et licet Ecclesia in continenti rem esse suam probare conetur. Laicus vero, qui Ecclesiae iudicium rejicit, quando illud competens est, et eidem Regis beneficio concessum, praeter rei, de qua agitur, restitutionem, et expensas litis, in simplum condemnatur.

*Et illius emphyteusi.*

§. XXXV. Et super emphyteusi Ecclesiae, quae ejusdem est tam quoad dominium directum, quam quoad utile, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 6. in princ.; hoc tamen Ecclesia probare non tenetur; sat enim est adlegare illud ad Ecclesiam spectare, vel quia titulus emphyteuticus jure Canonico nullus est, vel



quia emphyteuta poenam commissi incurrit, vel quia non fuit impleta conditio contractus, vel denique quia generationes defecerunt. Et quamvis emphyteuta contradicat, et dominium, aut narrationem Ecclesiae neget, non ideo poterit aut illius iudicium fugere, aut emphyteusis renovationem alibi impetrare, Ord. eod. lib. 2. tit. 1. §. 6.

Haec Ordinatio singularis est, ab Emm. Cod. abest, et ad litteram fere transcripta fuit ex art. 2. Concordiae Sebastiani Regis habitae 18. Martii 1578.; plura itaque nova et singularia statuit: I. quod, quando res emphyteutica perfecte non est in dominio Ecclesiae, vel de ejus dominio dubitatur, laicus in Ecclesiastico foro conveniri possit: II. quod recte conveniatur, quamvis non agnoscat Ecclesiae dominium: quod Patriis legibus inauditum antea erat, et eidemmet juri contrarium, quod in §. anteced. 5. ejusdem Ord. lib. 2. tit. 1. statutum fuerat: III. quod validitatem, aut nullitatem tituli emphyteutici ex jure Canonico petit, quod apud nos in civili foro nullius usus est atque auctoritatis. Quare hanc Sebastiani legem, quam Philippus suam effecit Ord. lib. 2. tit. 1. §. 6., ego intelligerem ex §. 5., quod scilicet quasi illius additamentum sit, seu accessio quaedam; ut quemadmodum super rebus aliis quibuscumque laicus conveniri non potest, neque ad ecclesiasticum forum traduci, nisi quando earum dominium ad Ecclesiam pertinere agnoscit, ita super re emphyteutica conveniri tantum possit, quando eandem in perfecto esse ecclesiae dominio ait. Jura enim juribus concordanda, maxime quae eodem loco, libro, et titulo, et quasi immediate, ut ita dicam, subjiciuntur. Adcedit, quod leges, et concordia, quae, Sebastiano regnante, prodierunt, singularia multa continent praeter antiqui Lusitani juris majestatem, quae ad exemplum trahi non debent, ut jam alibi demonstravimus (Histor. Jur. Civ. Lusit. §. CXXV.). Illud vero, antequam hoc loco discedam, adnotare liceat, ea, quae de emphyteusi ecclesiastica hac Ordinatione dicuntur, intelligi debere ad mentem sensumque legis novissimae, 4. Julii 1768., et 12. Maii 1769.

*Et pro injuria clerico verbo , vel re illata:*

§. XXXVI. Clericus pro injuria verbo , vel re sibi illata potest laicum ad ecclesiasticum forum traducere , vel eandem in saeculari judicio prosecui , Ord. lib. 2. tit. 9. §. 3. , deducta ex art. ult. Concordiae sub Sebastiano Rege , quod quidem singulare etiam jus est , et melioribus temporibus incognitum , ut constat ex artt. 20. et 22. quartae Concord. Dionysii , et haustum esse videtur ex cap. 8. *de for. compet.* Eodem art. ult. statutum , ut eadem poena adficerentur , qui Regiis Administris , vel Ecclesiasticis repugnarent , quod jus novum Philippus adposuit ead. Ord. lib. 2. tit. 9. §. ult. , et intelligendum ex tit. 8. , dato , et obtento auxilio Brachii saecularis.

*Clericus in saeculari non auditur , nisi datis fidejussoribus.*

§. XXXVII. Clericus tamen nec ad agendum , nec ad excipiendum in saeculari foro auditur , nisi datis fidejussoribus de judicato solvendo , Ord. lib. 3. tit. 20. §. 6. , et lib. 5. tit. 117. §. 8. , quod jamdudum inter Ecclesiasticos et Joannem I. art. 31. , Petrum I. art. 17. conventum fuerat ; non quod clericus in eodem judicio , ubi actor erat , vel reus pro litis expensis conveniri jure non posset , quemadmodum recte convenitur pro sententia contra eum lata in judicio saeculari , Ord. lib. 2. tit. 7. , Emman. tit. 6. , Alph. 11. ; sed quod Reges nostri , ut auctoritatem servarent judiciorum , et factionibus clericorum occurrerent , qui ad Episcopalem audientiam confugiebant , voluerunt , ut fidejussores tantum laici adficerentur.

*Conductores possessionum Ecclesiae in ecclesiastico conveniuntur.*

§. XXXVIII. Conductores rerum Ecclesiae intra tempus locationis, vel, ea finita, intra biennium recte in ecclesiastico conveniuntur, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 9., deducta ex §. 19. eod. lib. et tit. Codicis Emman., cui Philippus biennium ex Joann. III. Extravag. 15. Jan. 1528. (apud Leon. 2. 2. 1.) addidit a tempore finitae locationis contra antiqui Codicis rationem. Vide art. 21. quartae Concordiae Dionysii Regis, et 46. Joannis I. Verum singulare jus, quod hac Ordinatione continetur, locum non habet: I. quando conductor rem, et redditus Ecclesiae detinet ultra biennium: II. quando locatio est perpetua: III. in syndico, et administratore Ecclesiae; quippe conductor non est, de quo tantum lex loquitur: IV. et potiori jure in ejus herede: V. pro pensione beneficii, et ejus fructibus Parocho, vel Pensionario solvendis: VI. pro alimentis alicui in beneficio reservatis: VII. pro donis Deo oblatis, decimis, primitiis; maxime si laicis earum obligationem non agnoscat, vel de donorum, et decimarum solutione excipiat, vel easdem multum immoderatas esse conqueratur, Ord. lib. 1. tit. 40. §. 2., et lib. 2. tit. 1. §. 5.; pro rebus namque hujusmodi, et similibus laicus conveniri quidem potest; sed in saeculari tantum foro.

Dona, seu res Deo, vel Sanctis oblata, et id genus alia, quae oblationis nomine veniunt, vix uno, alterove casu in obligationem perfectam cadere possunt, maxime post decimas constitutas; si tamen aliquando super his rebus piae, et laudabiles consuetudines introduci possunt, de quo non quaerimus, laicus pro donis hujusmodi non nisi in suo foro cogi potest; quemadmodum pro legatis Ecclesiae relictis, pro exsequiarum celebratione, pro Missarum eleemosynis, ceteris. Scio in contraria ire eundem Pereriam nostrum *de Manu Reg.* cap.

14., et forensium Doctorum, et Decretalistarum turmam ex cap. *Decernimus 2. de iuric.*, cap. *Prohibemus 19.*, cap. *Tua nobis 26. de decim.*, cap. *Ad apostolicum 42. de simon.*; sed cum nullam ego legem Regiam inveniam; quae laicos super his, et similibus rebus in ecclesiastico foro conveniri posse concedat, externas has peregrini juris auctoritates, et Doctorum praejudicia viriliter contemno. Ad decimas vero ecclesiasticas quod adinet, tenendum in Portugallia omnes fere saeculares esse, et laicales, et ad Reges pertinere jam a tempore Henrici Comitis, qui eas vel Ecclesiis particularibus, et Monasteriis dabant, vel Nobilibus ob egregia in bello facinora gesta, vel sibi tandem servabant in commune Ecclesiae, et Reipublicae honorem. Eodem jure Castellae Reges utebantur. Placet non nulla exempla referre. Henricus Comes cum Ecclesiam Sancti Petri de Rates Monasterio *Charitatis* donavit, in donatione, quam Alphonusus filius una cum uxore sua Mafalda firmavit Vimarani ann. 1155., expressam mentionem facit *decimarum de pane, vino, et lino*: Alphonusus I. Ecclesiae Eborensi, et ejus Episcopo Pelagio inter alia donavit *decimam partem suarum quintarum*: Sancius II. Silvensi Ecclesiae, et ejus Episcopo Nicolao decimas fracturum, et pecudum dedit. Alphonusus II. cum Ecclesia Olisiponensi, et Conimbriensi aequè liberali, et munificus fuit. Alphonusus III. ann. 1262. confirmavit donationem decimarum ab alio Alphonso hujus nominis I. factam Ecclesiae Sanctae Mariae d'Alcaçova: Dionysius decimas omnes oppidi de *Arronches* Regiae Coronae jam unitas ab anno 1287. ejusdem oppidi Ecclesiae donavit 28. Jul. ann. 1317. Brand. *Monarch. Lusit.* 6. p. lib. XVIII. cap. 58. et passim, Hieronymus Contador de Argote de *antiquitatib. convent. Bracar.* cap. 9. pag. 446. cum seq., Thomass. *vet. et nov. discipl.* P. III. lib. 1. cap. 44. Has vero decimas a Regibus initio datas, et donatas ecclesiasticas esse, et non civiles, vel ex repetitis postea Praelatorum querelis adparet, vel quia ab eisdem nunquam imperatas fuisse constat: quae nos aliis cogitanda relinquimus; sed omnino consulenda sunt Regia Diplomata 18. Febr. 1778., 23. Mart. 1782., in Cancellaria Ordinum Equestrium servata. Illud vero hic etiam monendum, decimarum jus majores nostros habuisse veluti unitum juri patronatus, et tanquam si foret illius pars, et accessio quaedam; et hac ratione Reges, et nobiles decimas Ecclesiarum, quarum patroni erant, libere dabant, in

eisque quemadmodum in reliquis juribus, et bonis patrimonialibus obtinebat successio testamentaria, et legitima, quod probat inter alia Donationis instrumentum ann. 1170. apud Brand. *Mon. Lus.* 3. p. lib. XI. cap. 20. Haec cum ita sint, quis non videt causam decimalem saeculare esse, et in saeculari foro tractari debere? Et ita expresse decisum hodie in Germania exstat novissima Constitutione sub tit. *de decim. et jur. patronat.* in Cod. Jur. Publice Austriaci.

*Et laici ad Ecclesias reficiendas.*

§. XXXIX. Potest etiam Episcopus laicos ad Ecclesias reficiendas, et ad Ecclesiae Ministros alienos compellere, si ad eorum sustentationem ecclesiastici fructus non suffecerint, Ord. lib. 1. tit. 62. §. 76.: non tamen possunt collectas, et indictiones imperare, sed Regii Provisores ad certam usque pecuniae summam, quam praefacta Ordinatio declarat.

Hujusmodi Ordinatio abest ab Emman. Codice, et desumpta fuit ex Sebastiani Regis Concordiae art. 13., et ex ejusdem lege Extravag. 2. Martii 1568. §. 10., apud Leonem 2. p. tit. 2. l. ult., eique occasionem dedit decretum Concilii Tridentini sess. 21. *de Reformat.* cap. 7., quo loco Episcopis Patres praecipunt, ut ad Ecclesias reficiendas in *patronorum defectum parochianos omnibus remediis oportunis ad praedicta cogant.* Henricus Cardinalis Sebastiani Regis nomine sacrosanctam hanc Synodum non solum in iis, quae ad dogma, et ecclesiasticam disciplinam spectant, prout Christianum Principem decet, sed in rebus mere externis, et civilibus, quae Imperii, non Ecclesiae legibus gubernantur, recepit anno 1564.; eandem postea Regno jam potius approbavit Sebastianus ipse generali Edicto 8. Aprilis 1569. Jam vero quid de hac generali Tridentini in Lusitania receptione sentiendum, jam alibi vidimus (*Hist. Jur. Civ. Lus.* §. LXXXIII. Not.). Quapropter Ord. lib. 1. tit. 62. §. 76. ex genio saeculi, quo lata fuit, intelligenda est; ut quemadmodum Tridentini receptio generalis nullius unquam usus in Lusitania fuit, ita Philippi, seu potius Sebastiani dicta lex, quae ex hac generali approbatione ortum habuit, nullius etiam momenti esse vide-

tur; itaque possunt quidem Episcopi Ecclesiam visitare; Rectorem ad illius ruinas reparandas compellere; parochianos vero admonere semel, et iterum; minime vero eos invitos et repugnantes ad suum forum traducere: bene tamen possunt auxilium Brachii saecularis implorare, et a Rege opem poscere, vel eosdem in saeculari convenire.

*Et pro rebus sacris.*

§. XI. Denique potest laicus in ecclesiastico foro conveniri pro rebus sacris divino cultui specialiter mancipatis, veluti calice, sacris vestimentis, cct.; quamvis res hujusmodi in dominio Ecclesiae esse neget: pro turibulo vero, candelabro, crucibus, pyxide, in qua scilicet tus habetur, nequaquam, nisi dominium Ecclesiae agnoscat, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 10.

*Causarum genera.*

§. XII. Causarum genera laicos ad iudicium maxime Ecclesiasticum rejiciunt; eaeque vel mere civiles, vel mere ecclesiasticae, vel mixtae a Canonistis adpellari solent. Hanc divisionem nos ultro quoque recipimus; forum vero ecclesiasticum in his tantum causis admittimus, quas ex Regum speciali privilegio ad Episcopalem audientiam pertinere constat.

*Causae mere civiles quo colore ad Ecclesiasticum traducuntur.*

§. XIII. Causam mere civilem Episcopi ad suum forum traducunt sub praetextu in primis *precati*, et *jurisjurandi*, cap. *Novit* 13. *de judic.*, et *denegatae justitiae*; et *inopiae litigantium*, quod scilicet ii pauperes, pupilli, minores, vel viduae sint, cap. 26. *de verbor. signific. in fin.*, cap. 10.

*de*

*de for. compt.* Apud nos tamen hi colores, ut multum speciosi esse videantur, publicae nullius auctoritatis sunt.

Constat Episcopos olim litibus quoque decidendis, et dirimendis vacasse de Christianorum Imperatorum consensu, ll. 7. 8. Cod. *de Episcopalis. audient.* easque magis ex bono; et aequo, id est, tanquam arbitros, et bonos viros, quam ex Romani juris formulis, vel publica aliqua auctoritate judicasse: forum namque, notionem; et jurisdictionem civilem nullam habebant: de peccatis vero, et delictis cognoscebant ad effectum tantum poenitentiae infligendae; itaque illorum forum poenitentiale, non contentiosum erat: Saeculo XII. nata fuit distinctio saecularis, et ecclesiastici fori, et Episcopi officiales, forum, et judicia ad Romani juris normam fere instituta habere coeperunt, ad illudque civiles, et politicas contentiones saepius trahebant sub *peccati* in primis praetextu, nixi praecepto Christi Domini de correctione fraterna apud Matthaeum XVIII. 15., quod certe non loquitur de vi coactiva, et ad iudiciorum formam redacta. Quare bene Josephi I. Edicto 18. Augusti 1769. §. 12. cautum fuit, in foro civili; sive saeculari, sive ecclesiastico nullam posse peccati, sed delicti tantum; et criminis cognitionem versari; atque ita peccatum ad forum Ecclesiae internum, et poenitentiale; non extremum, et civile spectare. *Jusjutandum* speciosum alium praetextum (nam minime mutat naturam actus, cui adjicitur; nec causam profanam reddit ecclesiasticam) leges nostrae in omni contractu; et scriptura adhibere prohibuerunt, Ord. lib. 4. tit. 73.; Emman. tit. 3., Alph. 6.: et contemnendus, seu potius rideendus est Oliva *de for. eccles.* p. 2. quaest. 30. n. 18., qui has leges nullas, invalidas, et injustas adpellare non erubuit. Neque personis miserabilibus; fuitoribus, viduis, orphanis, ceteris, leges nostrae concedunt ad Episcoporum auditoria confugere; sed multo satius eis consultum iverunt privilegio, quod eisdem optionem Regii Magistratus concessit, de quo in Ord. lib. 3. tit. 5. §. 3.; l. unic. Cod. *Quando Imperator inter pupillos; vel viduus; vel (alias) miserabiles pertollas cognoscat; et ne exhibeantur.* Neque etiam ab injustitia Regii Magistratus ad ecclesiasticum adpellare permittunt, sed contra ab Episcopi, vel ejus Vicarii injustitia, aut gravamine Regiae Coronae confugium sub-

jectis omnibus laicis pariter ac ecclesiasticis concedunt, Ord. lib. 1. tit. 9. §. 12. Neque judex ecclesiasticus saecularis negligentiam supplere potest, sed e contrario; Ord. Alphons. lib. 3. tit. 15. §§. 21. et 27. verbis jam supra relatis (§. XXVI.).

### *De juramento perhorrescentiae.*

§. XLIII. Neque apud nos in usu est, vel unquam esse debet juramentum, quod adpellant, *perhorrescentiae*, quo quis ad superioris ecclesiastici judicis delationem adseverat se valde timere, ne non ab inferiore iudice aequam, et incorruptam impetret iustitiae administrationem, desinente Lauterbachio *dissert. de juram. perhorr.* §. 6.; cum enim Bonifacius VIII. in cap. *Statutum* II. §. 1. *de rescript.* in 6.; quod huius iurandi sedes est, nihil aliud fere praeter timorem gravaminis requirat, et satis ad illius mentem sit ipsam suspicionis causam non dicam jam probare, sed nedum adlegare; quis huiusmodi iusjurandum et praxim aequo animo feret, quae ex nudo gravaminis timore, et indicta causa, rem ab inferiore iudice ad superiorem devolvit, maxime si is saecularis fuerit, qui, cum Regis nomine jus dicat, nequaquam in re temporali, civili, judiciaria et externa ecclesiasticum superiorem agnoscit? Vid. *gloss. in l. 14. Cod. de jud. voce Recusare*, et in l. 4. *ad Senatusconsultum Trebellianum*, verbo *Nec illud*, quae haec doctrinae causam dedisse videtur.

### *Causae mere ecclesiasticae.*

§. XLIV. Causae mere ecclesiasticae praecipuae habentur: I. juris patronatus, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 7. in princ., cap. 3. *de iudic.* (Regium tamen patronatum excipe, §§. XIX XX.); II. controversiae circa Ecclesiae bona, de quibus diximus §. XXXIV.:



III. et praesertim causa matrimonialis, Ord. lib. 5. tit. 19. in princip., cap. 3. *de ord. cognit.*, cap. 7. *qui filii sint legit.*, cap. 12. *de excessib. praelat.*; cap. 16. *de offic. et potest. jud. deleg.*

Cum jura juribus concordanda sint, ego Ord. lib. 2. tit. 1. §. 7. intelligerem de patronatu ecclesiastico, quem laicus conventus in ecclesiastico foro ultro agnoscit. Quare quae ead. Ord. §. 5. dicta sunt de bonis ecclesiae, ad jus patronatus trahenda. Hanc tamen in rem notandum: I. Quod patronatus, et patronorum jura temporalia sunt, et temporalis etiam juris patronatus causa, Franc. de Roje in *Prolegom.* cap. 29., Rieg. *Inst. Jurisprud. Eccles.* p. 3. §. 721.: II. Quod in dubio jus patronatus potius dicendum saeculare, seu laicum, quam ecclesiasticum; idem de Roje cap. VI., Espen. *Jur. Eccles. Univers.* p. 3. Sect. III. tit. VIII. cap. 2. n. 10.: III. Quod patronatus jus jam a saeculo VII. in Lusitania, et in reliqua Hispania cognitum erat, Concil. Emerit. can. 19., Tolet. IV. can. 33., apud Grat. can. 60. Caus. XVI. quaest. 1., et Concil. Tolet. IX. can. 1., apud eundem can. 31. Caus. XVI. q. 7.: IV. Quod jus patronatus Collegiis, Confraternitatibus, Academiis, Ecclesiisve donatum laicale est, Espen. cap. 2. nn. 28. 29., de Roje in *Prolegom.* cap. 6. n. 20., *Memor. Cler. Gallic.* tom. XII. pag. 59.: V. Lusitaniae Reges, qui omnes fere Regni Ecclesias tam Cathedrales, quam Parochiales vel de novo fundarunt, vel dirutas restituerunt, vel dotarunt, earum esse *patronos* juris Canonici sensu, *advocatos*, et *defensores*: VI. Idem dicendum de Nobilibus, qui plures etiam Ecclesias suis sumtibus fundarunt, erexerunt, vel magnis censibus ditarunt: VII. Et de ipsis quoque Parochianis, qui idem patronatus jus, quod fundationis, vel dotis titulo adquisiverunt, Regibus, et Nobilibus, quorum erant *vassalli*; vel sua sponte, vel fortasse repugnantes dederunt, quae omnia constant non dicam jam ex Regni Chronicis, sed ex ipsa Leonis X. Bulla, quae incipit *Pro parte tua*, Romae data 17. Decembr. 1517., apud Cabed. *de patronat.* cap. 2., et ex iis, quae tradit Leitan. *Tract. Analyt. Demonstr.* II. Haec cum ita sint, illud consequitur, jus patronatus in Lusitania laicum esse: vix enim quisquam Ecclesiam assignabit ab Ecclesiasticis de ecclesiasticis bonis fundatam; et non modo laicum, sed Regium, Ecclesiis licet et

Monasteriis donetur; cum eisdem non competat jure proprio, sed Regis beneficio, et liberalitate. Regii autem patronatus praecipua haec jura sunt: I. Quod in generali bonorum Regiae Coronae donatione sine illius expressa mentione non contineatur, Ord. lib. 2. tit. 35. §. 24.; Extravag. 14. Novembr. 1742. Collect. I. ad Ord. lib. 2. tit. 35. N. 2.: II. Quod Ecclesiae donatum naturam Regii patronatus non amittat, et iisdem prorsus legibus specialibus, quemadmodum reliqua Regiae Coronae bona, gubernetur; et hoc jure jam diu utimur (Inst. Lib. II. Tit. III. §. XLIV.); neque cap. unic. *de jur. patronat.* in 6., quod contrarium statuere videtur, de Regio patronatu intelligi potest, quamdiu steterint leges de bonorum Regiae Coronae successione: III. Quod nullam praescriptionem admittat etiam immemoriam ex Regio Diplomate 17. Novembr. 1617. apud Osor. *de patronat.* Resolut. 30. n. 5. Regulas autem Cancellariae, et reservationes in patronatu laicali locum non habere, translaticium est, nec opus est ut moneamus. In Castella ne in ecclesiastico quidem obtinent, teste Garc. *de benefic.* 5. p. cap. 1. n. 557.

*Matrimonialis quando in saeculari tractetur.*

§. XLV. Causa vero matrimonialis ad saeculare spectat, quando agitur de nudo facto matrimonii, utrum scilicet contractum sit, et ad adsequenda jura, quae ex matrimonio oriuntur, veluti si de legitimis liberorum natalibus, de legitimatione filiorum, de adulterii poena, ceteris, quaeratur, Ord. lib. 5. tit. 25. §. 8., et tit. 38. §. 4.; secus si de vinculo, et validitate matrimonii, Ord. lib. 5. tit. 19. in princip. Sponsalia vero in saeculari tantum judicio probari velim; nec enim video, cur contractus mere civilis, utut proxime adcedat ad matrimonium, secluso Regum privilegio, in judicio ecclesiastico tractetur.

Circa causas matrimoniales summa haec regula est, eas scilicet in foro interno, si de validitate sacramenti agatur, ad judicium Ecclesiae omnino pertinere: verum

quotiescumque de matrimonio ratione contractus quaestio agitur, aut de civili obligatione, veluti alimentorum, dotis, ceterarum, quae ex matrimonio, aut ex illius occasione, aut ex divortio emergit, iudex ecclesiasticus, secluso Regis privilegio, incompetens est, quocumque modo iudice, et de causa cognoscat, sive principaliter, sive incidenter, ut loquuntur. Scholastica namque haec distinctio, quam non nulli scriptores inculcant, et quae aliquando semel et iterum in Regiae Coronae Curia injuria temporum obtinuit, locum hodie habere non debet, et indigna est, cui confutandae operam demus. Illud hic notandum, matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum inita, quamvis prohibeantur et quidem sub gravibus poenis Edict. 19. Jun. et 29. Novembr. 1775., 6. Octobr. 1784., tamen nulla, et irrita ibidem non declarari. Non hic quaero de jure hanc poenam infligendi, de quo inter alios nuperrime scripsit Benedictus Oberhauser Ordinis Sancti Benedicti in *Apologet. hist. crit. divisar. potest.*; sed de facto: itaque nullitatis poena cum citatis Edictis, et Regiis Ordinationibus statuta non sit, temere ex eisdem colligitur, et frivolum est argumentum deductum ex l. *Non dubium* 5. Cod. de legib. Vid. Berard. tom. III. Dissert. IV. in *jus eccles. univers.*

*De causis mixtis, piis praesertim.*

§. XLVI. Causae mixtae, sic dictae vel quia in utroque foro agitari possunt, vel quia in eis locum praeventio habet, multiplices apud nos sunt, et huc vel maxime pertinent causae piae. Potest ergo de iis Episcopus cognoscere, et administratores etiam laicos ad redendas rationes adigere, Ord. lib. 1. tit. 62. §. 39 in fin, et §§. 40. et 42., Emman. lib. 2. tit. 35. §§. 40. in fin., et 41. Singulare tamen est, et ab Emmanuelis Codice alienum, I. quod Philippus ead. Ord. lib. 1. tit. 62. §. 42. quocumque tempore hanc potestatem Episcopis concedat; II. quod in §. 41. tam curiose numerus ineatur piarum causarum; III. quod eod. §. 41. administratores quoque poenis externis, et pecuniariis cogi per Episcopos permittat: quae omnia Philippus

hausit ex art. 14. Concordiae Sebastiani, et potissimum ex generali ejusdem infelicissimi Regis Edicto 2. Martii 1568. §§. 7. 8. et 9. apud Leon. 2. p. tit. 2. l. 13.

Piarum causarum genera varia sunt; potiora tamen habentur, quae utilitatem publicam concernant, veluti hospitalia, xenodochia, et quae ad pontium, viarum, murorum reparationem, et ad Academiarum institutionem, seu sustentationem relinquuntur, et id genus alia, quorum non meminit Ord. lib. 1. tit. 62. §. 41. Hujusmodi piis causis Interpretum turba adtribuit privilegia innumera, veluti fisci, militiae, libertatis, alimentorum, pupillaris aetatis, Reipublicae. Videsis Augustinum Barbosam *de jure Eccles.* lib. 2. cap. 13., et multis aliis in locis, Tiraquellum, et Amostazo, qui integros libros de privilegiis piæ causæ scripserunt. Agnosco ego hanc causam favore dignam esse, hoc est, pleniorum, et benigniorum interpretationem recipere; sed quævis jura singularia piæ causæ adcumulare, interpretationis regulæ minime patiuntur, nisi eidem lege speciali adtribuantur. Equidem præter inania privilegia, ab Interpretibus conficta, non nulla Jure Publico statuta videmus, videlicet quod pia dispositio, et testamentum sine solemnitatibus valeat, cap. *Indicante* 4. et cap. *Relatum* 11. *de testament.*; quod ex testamento imperfecto legata pia debeantur, cap. 10. *eodem*; quod ad piam causam, et pro anima sua filiusfamilias testari possit, et legatum relinquere, cap. 4. *de sepultur.* in 6.; quod ex iis Falcidia non detrahatur, neque Trebellianica, Nov. 131. cap. 12.; quod ex mora illius, vel infirmitate duplum præstetur, dicta Nov. 131. cap. 12., §. 19. *Instit. de act.*; quod illius executio Episcopis demandata sit, ll. 28. 46. et 49. *Cod. de Episcop. et cleric.*, Nov. 131. cap. 11., Authent. *Liget* *Cod. eodem*, cap. *Tua nobis* 17. *de testam.*, Clement. unic. *eod.* Alia omisso, et satis sit referre, Tiraquellum 167. piæ causæ privilegia adnumerasse, et plura multo alia superesse serio existimasse. Ego vero hæc et similia privilegia, cum ea legibus nostris confirmata non videam, nihil reputo; et exigui admodum apud nos hodie ponderis sunt Canonici, Civilisve juris textus, et nullius omnino præjudicatae Doctorum opiniones, quibus nulla lege data fuit facultas privilegia, et jura singularia constituendi. Non possum tamen Episcopis tenere notionem, et

Judicium piarum causarum, quod eisdem Regiæ Ordinationes proximæ citatæ adtribuunt, et quod earum administratores ad reddendas rationes adigere possint poenis canonicis, vel civilibus, et multis pecuniariis, si causa præventa non fuerit, petito prius et obtento auxillio potestatis civilis. Et hoc modo præfata jura intelligenda.

### *De capellis, et xenodochijs.*

§. XLVII. Possunt etiam Episcopi visitare xenodochia, confraternitates, et capellas eorum auctoritate fundatas; sed tamen Episcoporum auctoritas in ipso institutionis actu adesse debet; quæ si abfuerit, notio Regii tantum Provisoris est, Ord. lib. 1. tit. 62. §. 39., Emman. lib. 2. tit. 35. §. 40., Regim. 27. Septembr. ann. 1514. tit. 18. Civilis autem hæc jurisdictio, quam Episcopi exercent, locum non habet, I. si Regii Magistratus prius rebus hujusmodi prospexerint; II. in capellis profanis, et a laicis institutis; III. in litibus super juribus confraternitatis, capellæ, vel illius bonis ortis, quæ in saeculari tantum judicio sunt prosequendæ, Ord. lib. 1. tit. 62. §. 39.; IV. si confraternitates, aut capellæ fuerint sub immediatâ Regis curâ ac tutela, quale apud nos Misericordiae sacrae sodalitates, Ord. eod. lib. et tit. §. 42. Vid. art. 10. I. Concordiæ Dionysii, 34. et 39. Joannis I., et art. 14. Concord. Sebastiani Regis.

Conventus, collegium, sodalitas, confraternitas non nisi de Regis licentia et fundari in Republica, et conservari potest, et ad eum modum, usque conditionibus, quæ summo Imperanti visæ fuerint, Boehmer. in *Jur. Public. Univ. lib. II. cap. 4.*, ceter.

### *De concubinariis.*

§. XLVIII. Concubinarios ad suum forum traducant Episcopi, eosque comprehendere possunt,

pignerari ; et debitis poenis coercere , Ord. lib. 2. tit. 1. §. 13. , et tit. 9. ; quod tamen intelligitur , I. si trina praecesserit monitio convenienti intervallo distincta ; II. si concubinarium prius fuerint in iudicio convicti , condemnati , et post latam demum sententiam ; atque ita adicienda est Ord. lib. 2. tit. 1. §. 13. Quare in hanc legem peccant I. Episcopi , qui laicos , nec citatos , nec auditos . nec ut par est , admonitos comprehendunt. II. Qui post institutam denuntiationem statim pronuntiant super captura laicorum , eisve ullam mulctam dicunt , aut eorum bona pignori subjiciunt : hanc nimirum facultatem Episcopis non nisi a lata sententia lex Regia concedit ; et cum ab ea adpellare , vel gravamen interponere liceat , interim sententia executioni mandari non debet.

Ab Emmanuolis Codice abest integer §. 13. Ord. lib. 2. tit. 1. ; et desumptus fuit ex art. 12. Concord. Sebastiani Regis , quae pro fundamento habuit decretum Concilii Tridentini sess. 24. *de reformat.* cap. 8. Emimvero concubinatus inter caelibes , quamvis sit jure naturali , et divino prohibitus , nulla lege civili , canonica et Regia poenis coercetur. De jure civili nullus dubitat ; de jure canonico constat ex can. *Is qui* 4. , can. *Christiano* 5. *Distinct.* 34. de quibus inter alios videndus Berard. *Dissert.* 1. *de Conjugior. natur.* Quaest. IV. , *Bened.* XIV. *de Synod. Dioec.* lib. IX. cap. 12. De jure Regio adparet ex toto lib. 5. *Regiarum Ordinationum* , in quo de caelibum concubinato nullus titulus exstat , et dumtaxat tit. 27. eod. lib. prohibetur Regia in urbe publicas domi concubinas habere. Haec cum ita sint , non video quomodo captura , mulcta , pignatio , exsilium locum habere possit , non dicam jam in ecclesiastico foro , sed ne in civili quidem. Multum sane in Deum peccant concubinarium , delictum tamen et crimen in Rempublicam simplex concubinatus non est , quod modo ordinario leges coercerent : Principes autem extra ordinem solent in concubenarios animadvertere variis remediis , et poenis ; eorum itaque auxilium et Episcopi , et Regii Magistratus , cum opus fuerit , implorent ; sacrorum autem Antistitum partes praecipuae sunt minus morigeros hos homines

corrigere, admonere semel, atque iterum, et tandem, si ad meliorem frugem non revertantur, a Christianorum coetu semovere. Hodie nova lege 26. Septembris 1769. Rex Fid. inquisitiones in concubinarios ex officio fieri prohibuit, cum innumera inde mala oriuntur; et eos tantum puniri voluit, qui domi in contemptum Religionis et legum publicas concubinas haberent: idem prohibuit, ne in uxoratos concubinarios ullum, nisi ad conjugum supplicationem, judicium exerceretur, quod jam antea cautum quidem erat Ord. lib. 5. tit. 25. §. 3.

*De lenonibus, sacrilegis, incestuosis, ceterisque.*

§. XLIX. Eodem modo Episcopi animadvertunt in lenones, incestuosos, adulteros, incantatores, augures, hariolos, sacrilegos, blasphemos, perjuros, usurarios, simoniacos, Ord. lib. 2. tit. 9. in princip.

Hujusmodi Ordinatio lib. 2. tit. 9. quae de casibus mixti fori inscribitur, singularis est, et ab Emmanuelis Codice prorsus aliena, et a Philippo transumpta fuit ex Sebastiani lege Extravag. apud Leonem tit. 2. p. 2. l. 13. §. 8., et ad rationem Concilii ipsius Tridentini accommodata. Certè istiusmodi delicta legibus nostris vindicantur: lenocinium Ord. lib. 5. tit. 25. §. 6., et tit. 32. et 33.; incestus tit. 17.; veneficium tit. 3. et 4.; contumelia in Deum tit. 2.; usura lib. 4. tit. 67. Iis autem puniendis Episcopi jure suo canonicis tantum poenis, Regii Magistratus civilibus, et externis utuntur. Nec excipio sacrilegium, quod generaliter in omni rei sacrae violatione consistit, et mixtum crimen est legibus nostris; sed sacrilegis multas, exsilium, et alias externas poenas, et ipsam quoque rei restitutionem injungere et vi cogere Regii tantum Magistratus est; cetera ad Episcopos spectant, veluti publica poenitentia, excommunicatio, et reliquae poenae spirituales, quae in usu fuerint, et in Lusitana Ecclesia recepta. Sed vero optandum erat quod doctrina de causis mixtis, ex Decretalistarum praesudiciis orta, quae tot tantisque malis et perturbationibus occasionem dedit, tandem aliquando publica lege proscriberetur.

*Causa testamentaria ad ecclesiasticum quoque spectat.*

§. L. *Causa testamentaria ad ecclesiasticum quoque spectat: ideoque Episcopi possunt, transacto anno et mense, qui a lege testamentariis et heredibus conceditur ad defuncti voluntatem adimplendam, si a Regio Provisore jurisdictio praeventa non fuerit, laicos compellere, ut coram se compareant, et in suo iudicio testamentorum rationes reddant, Ord. lib. 1. tit. 62. §. 4., deducta ex Emmanuel. Ord. lib. 2. tit. 35. §. 4., et Alphonsi V. tit. 58., artt. 29. Concordiae Dionysii, 8. Petri I., et 17. Sebastiani Regis.*

*Causa testamentaria mere civilis est, Espen. p. 3. Jur. Eccles. lib. 2. cap. 2., nec ullo colore ad iudicium Ecclesiae rejici potest. Verum cum testamentum saepius pia plura legata contineat, et ultima voluntas, atque illius executio inter causas pias adnumerari soleat, mirum jam non est, quod a Decretalium tempore Episcopi testamentarias causas per jus nefasque ad suum forum traducere conarentur, maxime cum in cap. Si heredes 6., cap. Joannes 19., et similibus de testament. scriptum legerint ad Episcoporum curiam in primis pertinere, quod testamenta et pia legata exsequantur. Quis vero tam caecus est, qui non videat testamenti confectionem, executionem, validitatem, publicationem, legata, fideicommissa, cetera, nihil commune habere cum Ecclesiae potestate? Neque distinguimus inter legata pia, et profana, piis licet, venerabilibusque locis relicta; namque omnis de rebus temporalibus controversia non Ecclesiae, sed Imperii legibus gubernanda est, et in civili foro tractanda. Factionibus tamen Episcoporum saepius repetitis, quibus occasionem dederunt Summorum Pontificum Epistolae Decretales, illud tandem amica pace obtinuit, quod Episcopis cognitio causae testamentariae daretur, si prius Regii Magistratus ejus notionem non susciperent, Ord. lib. 1. tit. 62. §. 4. Sed vereor equidem, num hujusmodi beneficium magis ex temporum ignorantia, quam ex spontanea Principum liberalitate descendat.*



*Sed suo tantum mense.*

§. LI. Quia vero lites et perturbationes innumerae ex hoc praeventionis jure circa testamenti executionem oriebantur, saepius enim fiebat, ut Episcopus, et Regius Provisor malis interdum artibus inter se dimicarent, et jurisdictionem adirent; Philipus IV. generali Edicto 3. Novembris 1622. Olisipone dato, Collect. 1. ad Ord. lib. 1. tit. 62. N. 2., decrevit, quod alternis mensibus testamentorum rationes in ecclesiastico et civili foro redderentur.

Eadem Philippi lege tota hujus innovationis historia putida recensetur. Scribae et Notarii Olisiponenses primum hanc amicam Concordiam inter se habuerunt, et postea eandem Regi, et Gregorio XV. obtulerunt, illius confirmationem petitori. Ludovicus Cardinalis Gregorii nomine Lusitaniae Collectori Olisipone degenti super hac re scripsit, et in mandatis dedit, ut, si nihil obstaret, Concordiam auctoritate Apostolica confirmaret; Collector, omnibus rite et solemniter de more peractis, Concordiam tandem validam esse pronuntiavit 20. April. 1622. Eandem postea Philippus IV. die 3. Novembr. ejusdem anni Regia auctoritate munivit, nec dubitavit Edicto suo inserere literas Cardinalis Ludovici, et pronuntiationem Collectoris.

*Quod tamen intelligitur.*

§. LII. Itaque hodie ad Episcopos causa testamentaria suo mense spectat. Illorum tamen non est I. de hereditatibus, et successione ab intestato cognoscere. II. Quando ex hac lege, et concordia judicium ad Regios Magistratus adinet, illud praesumere haud possunt sub praetextu negligentiae, desidiae, vel quia annus et mensis jam transactus sit et ultra, quin testatoris voluntas ad effectum producat. III. De piis quoque legatis non nisi suo mense cognoscunt, siye a clericis, siye a laicis

relinquantur ; quod etiam IV. obtinet ; licet clerici heredes , aut testamentarii scribantur. V. Publicatio testamenti , et VI. confectio inventarii ad saecularem omni tempore spectat. VII. De clerici quoque ab intestato decedentis hereditate saecularis tantum notionem suo mense habet. VIII. Quando in testamento legata pia incerta relinquuntur , ad Regios Magistratus spectat adplicatio. IX. Et licet Episcopus suo mense heredem ad reddendas rationes cogat , semper ipsemet heres , aut testamentarius ad legata praestanda , et reliqua , erit in suo proprio foro a creditoribus conveniendus.

Scio ego quod ex capp. 6. 17. 19. *de testam.* , *Clement. unic. eod.* , et ex doctrina Innocentii , et Hostiensis omnis causa testamentaria , anno transacto , ad Episcopum spectat ; quod ab eo testamentarii compelli omnino possint , maxime si legata pia fuerint testamento relicta , l. 1. *Cod. de Episcop. audient.* , ll. 28. 46. 49. *Cod. de Episcop. et Cler.* , Nov. 131. cap. 2. ; et quod denique circa clericorum et laicorum testamenta plura singularia introduxerint Constitutiones Dioecesanæ , Conimbricensis tit. 26. , Bracarensis tit. 20. , Olisiponensis et Eborensis tit. 20. , Viseensis tit. 23. , Mirandensis tit. 27. Sed nihil apud nos Canonici et Civilis juris textus , nihilque Dioecesanæ Constitutiones valent in foro civili , et externo : quare id tantum nostris Episcopis concedendum , quod eisdem adtribuit Philippina lex 3. Novembris 1622. Scio etiam , quod adplicationem , et commutationem piorum operum Episcopis concedat l. *Nulli 28.* , l. *Id.* , *quod pauperibus 24.* *Cod. de Episcop. et Cler.* ; sed nec ideo vereor adfirmare Regios Magistratus eandem habere licentiam , eaque uti debere in commune Ecclesiae et Civitatis bonum (Inst. Lib. III. Tit. X. §. XI. Not.). Hic tamen notandum , quod opera pia incerta , nec impleta tempore statuto , Hospitali Regio Olisiponensi *Omnia Sanctorum* , per Joannem II. extructo , et illius successorem Emmanuelem magnificentissime dotato , adplicantur Extravag. 15. Martii 1614. , et 22. Octobris 1642. Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 16. N. 1. et 3. , quibus jungenda Regia Diplomata 5. Septembr. 1786. , 9. Mart. 1787.

*Episcopi ; cum judicium exercent , debent a censuris abstinere.*

§. LIII. Abstineant utique Episcopi a censuris Ecclesiasticis , cum de his , et similibus causis in laicos jus dicunt , et judicia exercent ; iis nimirum dumtaxat locus est , si quid ut Pastores agunt , et in refractarios , ac contumaces ex sacrorum canonum praescripto animadvertunt : quamdiu enim iudicis , non Praelati vices sustinent , et forum sortiuntur , cum id privilegio Principis faciant , qui eis potestatem ligandi , quam non habebat , tribuere haud poterat , eadem ipsi temere utuntur ; contumacia namque judicialis non censuris , sed mulctis , et aliis poenis legibus statutis vindicatur.

Amandandus omnino est literarum , quas vocant *monitorias* , usus , et praxis ecclesiastici fori , in quo Episcopi Vicarius quidquid pronuntiat , sive interloquendo , sive negotium principale definiendo , sive monendo , sub excommunicationis majoris poena pronuntiat. Itaque bene sapienterque Rex Fid. Regio Diplomate 18. Januarii 1765. edixit : *Que aindaque as censuras fosseem no caso e circumstancias de pertencer a causa . . . ao foro ecclesiastico ; como esta competencia só lhe vinha do privilegio do foro , que Nós lhe permitimos , . . . não podião . . . deixar de ser reprovadas e abusivas essas censuras , . . . sendo reservado o castigo dos transgressores dos privilegios , que os Principes derão á Igreja aos mesmos Principes , e aos seus Magistrados.*

*De Brachio saeculari ab eis implorando.*

§. LIV. Sed licet Episcopi iis in causis , quas modo memoravimus , et non nullis aliis , sed admodum paucis , jurisdictionem in laicos exercent ; tamen eosdem per suos Magistratus comprehendere non possunt ; itaque debent auxilium Brachii saecularis implorare , et a Regio Magistratu , ostensis actis , petere , ut sententiam , capturam , pignera-

tionem, multas, et poenas alias civiles, et externas exsequatur, Ord. lib. 2. tit. 8. §. 1. ibi: *Nos casos, que se processarem ordinariamente . . . mostrando-se os processos, e sentenças, o Corregedor, . . . achando que os ditos processos forão ordenadamente processados, conceda ajuda de braço secular; et in §. 2. ibidem: E nos casos, em que se proceder per via de visitação geral, ou de inquisição particular, feita contra pessoas leigas, infamadas publicamente nos delictos, de que podem conhecer, mostrando-se o trasto do summario das testemunhas . . . com precutorios dos Prelados. o Corregedor, Ouvidor, Provedor, ou Juiz de fóra concederá a dita ajuda de braço secular.*

Multum tamen obstat Ord. lib. 2. tit. 1. §. 13., ubi Episcopis facultas laicos in carcerem detrudendi data est, cui antequam respondeam, animadvertendum prius duco, quod cum nihil magis Christiano Principe dignum sit, quam Ecclesiam juvare, et ejus Administratorum justis sententiis, ac pronuntiationibus auctoritatem suam imperitari, jam ab antiquissimis temporibus auxilium Brachii saecularis Reges nostri Ecclesiae promiserunt vel ex officio, vel ab Episcopis sanctissimis rogati, et ignorat nemo quantum iidem omni tempore fidem liberaverint suam. Brachii tamen saecularis, seu Militaris auxilium, et gladii potestatem, Regum quippe jus est, non quicumque iudices, sed Reges dumtaxat initio concedebant: postea vero, Regia Supplicationis domo instituta, eidem tantum hanc Brachii saecularis auxilium concedendi facultatem Lusitanorum Reges dederunt, Ord. Emman. lib. 1. tit. 4. §. 7. ibi: *Item darão ajuda de braço segral em relação, citados as partes, e visto o processo; e achando que foi ordenadamente feito: a qual ajuda de braço segral nom se dará na casa do civil, nem em outra alguma parte, senom em a nossa casa da sopriação.* Itaque ante et post Emmanuelem ad Sebastianum usque licet jam Episcopi de quibusdam causis judicialiter cognoscerent, tamen inauditum his temporibus erat, quod potestatem aliquam politicam in laicos exercerent, eos comprehenderent, et sententias suas per suos Adpeditores

exsecutioni mandarent; quippe ad haec omnia vel a Rege, vel a Regis Senatu opem postulabant. Sebastianus ipse lege Extravag. 2. Martii 1568. apud Leon. 2. p. tit. 2. l. 13. Episcopis denegavit facultatem laicos comprehendendi, et sententias suas propria auctoritate exsequendi, et tantum in §§. 2. 3. et 4. ejusdem legis in Episcoporum gratiam Regio cuicumque Magistratui permisit, ut posset auxilium Brachii saecularis concedere, et ex his §§. deducta fuit Ord. lib. 2. tit. 8. §§. 1. 2. 3. et 4., revocata hac in parte Emmanuelis Ordinatione dicto lib. 1. tit. 4. §. 7. Verum postea idem Sebastianus nova lege, 19. Martii 1569. apud Pereriam de Man. Reg. cap. 54. n. 7., et ultimo tandem art. 12. Concordiae 18. Martii 1578. praedictam legem 1568. §. 1. revocavit, et Praelatis concessit, quod possent laicos in carcerem conjicere quibusdam in casibus, et ex hac tam singulari, et nova Sebastiani lege, et articulo denominatae Concordiae transcripta fuit Ord. lib. 2. tit. 1. §. 13. Jam vero, si ad mentem Sebastiani hujusmodi leges, et Ordinationes accipiantur, certum est, Sebastianum tandem aliquando ab antiquis legibus recessisse, et Episcopis indulsiase, quod laicos quandoque possent comprehendere, et sententias exsecutioni dare: ast cum leges omnes Extravagantes revocatae fuissent in ipsa Philippini Codicis praefatione, et omnia Philippus sua fecisset, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 13., et tit. 9. §. ultim. ad Ord. lib. 2. tit. 8. §§. 1. et 2. referenda est, ne inter se pugnare videantur, et dicendum, quod facultas capiendi laicos, et sententias exsequendi, data Ord. lib. 2. tit. 1. §. 13., et tit. 9. §. ultim., intelligi et adicipi debeat per Regios Magistratus, et eorum Adparitores, si Brachii saecularis auxilium imploraverint; et hoc modo nulla inter has Ordinationes pugna est. Illud autem Regii Magistratus solum concedere debent, viso processu, et lata jam sententia, sive definitiva, sive interlocutoria, et parte citata, si modo ea justa fuerit, et naturalis et civilis ordo processus servatus, Ord. lib. 1. tit. 6. §. 19.: hancque notionem saecularis in omni causa habet, si eandem Episcopus non tamquam Pastor, et vir bonus, sed tamquam iudex, et publica quodammodo auctoritate judicaverit. Bene tamen Episcopi possunt a denegatione auxilii Brachii saecularis ad Senatum appellare, vel extra ordinem ad Regem confugere. In Gallia iudicis ecclesiastici mandata non exsequuntur sine Regio *Parvatis*, quod quidem jus huic nostro quam simillimum est, Hericourt. pag. 149.

*Regiam jurisdictionem nec immemoriali quidem tempore adquirunt.*

§. LV. Neque virtute praescriptionis, et consuetudinis utut immemorialis acquirere Episcopus potest facultatem laicos in carcerem detrudendi, et decreta, atque pronuntiationes suas propria auctoritate exsequendi: jurisdictionis namque, et imperium nullo tempore praescribi potest, Ord. lib. 2. tit. 45. §. 10. ibi: *E todo o sobredito neste titulo mandamos, que se cumpra, e guarde, sem embargo de qualquer posse nova, ou antiga, em que os senhores das taes terras stem, ou ao diante estiverem, ou o uso, e costume, de que usassem, por qualquer tempo que dello tenham usado, ou ao diante usarem, aindaque seja immemorial; por quanto havemos por dannado tal costume, e posse, postoque seja immemorial; similia legere licet in §. ult. ejusd. tit.*

Non quaerimus hic de jure communi; nostro autem jure certum est jurisdictionem et imperium nullo tempore acquiri posse, et ita expresse cautum existat Ord. lib. 2. tit. 45. §. 10. et ult. Equidem interpretes nostrorum legum fatentur primarios in Republica nostra cives, et Regni Magnates nulla consuetudine jurisdictionem, quae eisdem concessa non fuit, acquirere posse ex dicta Ordinatione; Ecclesiasticos vero, id est, Episcopos non item. Ego autem vix capio quam differentiae rationem ipsi adsignant: eos tamen in hanc sententiam quasi invitos coegit Ord. lib. 2. tit. 9. §. 1., quae Episcopis concedere videtur jurisdictionem laicos capiendi, si longissimo usu in illius possessione fuerint: sed praeterquam quod haec Ordinatio singularis est, et ab antiquissimis Regni legibus, receptisque consuetudinibus quam maxime aliena, et funestissimis temporibus introducta, regnante Sebastiano Rege, ab eoque primum condita generali Edicto anno 1568. §§. 6, 9. et 12., ita intelligenda est, quando Reges consentiunt, ibi: *que não fosse contradicta per nossos Officiaes, e fosse consentida pelos Reys nossos antecessores. Neque*  
satis

tatis est consensus tacitus contra legem scriptam et expressam: jam enim dudum vapulat opinio existimantium Regem non contradicentem adprobare ea omnia censi, quae contra leges fiunt; imo contra probabilius ea ignorare: atque hoc quoque modo intelligerem Ord. lib. 1. tit. 62. §. 43. (Tit. I. §. IX. h. lib.). Denique juris nostri Publici principium est jurisdictionem non argumentis et conjecturis, sed expresse tantum donatione adquiri.

### De literis tuitivis.

§. LVI. Cives suos Reges nostri quam maxime ab Ecclesiasticorum violentiis tuentur literis, quas *tuitivas appellatorias* vocant, quibus adpellantes in sua possessione sustentant, et judicati interim executionem impediunt, Ord. lib. 2. tit. 10. in princ., Emman. lib. 5. tit. 47., Concordiae Joannis I. art. ultim. Occasionem huic legi dedit Ecclesiasticorum injustitia, qui sub praetextu, quod adpellatio esset frivola, vel a jure Canonico improbata, vel quod causa contineret clausulam, *adpellatione remota*, sententiam, ea non obstante, executioni mandabant; quare jure meritoque Palatii Senatores ab adpellantibus rogati, et de sententiae justitia ex ipsis actis certiores facti, quae, si opus fuerit, remittenda prorsus sunt, literas has concedunt Regis nomine, quibus adpellantes in sua possessione interim tuentur: neque distinguimus adpellationem inter judicialem, et extrajudicialem, vel inter actiones reales, et personales: quoties enim cumque gravamen adest in judicio, vel extra judicium, et provocantes quacumque actione immerito damnantur, toties literis hujusmodi locus est ex praefata Ord. lib. 2. tit. 10., cui conjungenda est Ord. lib. 1. tit. 3. §. 6., Regimen Palatii Curiae §. 116., Ord. lib. 3. tit. 85. §. 1., Extravag. Joann. III. 30. Maii 1553. apud Leon. 1. p. tit. 4. l. 3.

I.

7

Et vero nihil obstat Ord. lib. 2. tit. 10. §. 3., et tit. 8. §. 6. in fine, quae literas has *tuitivas* denegare quandoque videtur; tamen quia pro se alieno, qui casus Ordinationis est, excommunicari nemo potest, prout citata *Ordinatio* subponit; tam quia Episcopi, qui forum externum judiciale, et civilem jurisdictionem Principis tantum beneficio exercent, non possunt judicialiter causam definiens ecclesiasticas ullas censuras ferre, sed ad Principis tantum auxilium confugere, et illius opem poscere, Reg. Josephi I. Diplom. 18. Januarii 1765.; tum denique quia praedicta *Ordinatio* non omnino literas *tuitivas* negat, sed declarat eas non posse hoc in casu in suprema Palatii Curia expediri, quin prius *Regium Placitum* interveniat, Ord. lib. 2. tit. 8. §. 6. in fine: *não lhe serão guardadas sem passe novo. Pereria de Man. Reg. cap. 21.*

### *Recursus ad Principem.*

§. LVII. Ad cives autem tuendos in primis spectat recursus, quem ad Regiae Coronae iudicem cives omnes interponunt, iique omnino a Rege tuentur, I. si Episcopus Regiam jurisdictionem usurpat, iudiciumve exercet, et forum judiciale et contentiosum sortitur iis in causis, quae eidem a Rege specialiter non adtribuuntur, Ord. lib. 1. tit. 12. §. 5., et lib. 2. tit. 1. §. 15., et lib. 1. tit. 9. §. 12.; ibi: *Não tomarão conhecimento de agravo, que as partes tirarem de juizes ecclesiasticos nos casos, de que o conhecimento lhes pertence*: quasi diceret, quod Regiae Coronae iudices partes suas interponant omnino, quando Episcopus jurisdictionem exercet, quam ratione rei, causae, personae ad legum nostrarum praescriptum non habet. II. his vero in causis, et personis, quae ex Regum privilegio ad iudicium Ecclesiae spectant, subjectos laicos pariter ac clericos non omnino tueantur; sed officium suum et auctoritatem impetiantur, vel quando *juris ordo* non servatur, vel quando *vis*, et *violentia* committitur, vel denique quando *ius*



*ipsum naturale* quasi post tergum relinquitur, Ord. lib. 1. tit. 9. §. 12., art. 1. Concordiae primae Dionysii, et 1. et 4. quartae Concordiae ejusdem, artt. 11. et 24. Concordiae Petri I., 83. Joannis I., 15. et 16. Sebastiani.

Regiam protectionem per viam recursus ad Principem, seu ad Regiae Coronae Auditorium, quam Reges nostri publico auctoritate legum Codice subjectis suis solemniter pollissentur lib. 1. tit. 9. §. 12., mirum est, quantum Ecclesiastici non nulli, et praejudicati quidam Scriptores impie sacrilegæque traducant, quos inter omnes caput extulit Jesuita Soarius *adversus Angl. Sect. errores* lib. 4. cap. 34., cui ut satisfaceret noster Pererria, XII. *de Man. Regia* capita scripsit, in quibus multa, eaque praeclara continentur: in eo tamen peccat, quod supremam hanc Regum tutelam ex consuetudine immemoriali, privilegiis, concordiis, ex ipsius juris Canonici scitis, Doctorumque opinionibus, et nunquam ex genuino fonte derivat, id est, ex imperii civilis indole, et civilis Societatis natura et fine; meliora multo sunt, quae viri doctissimi Covarruv. in *practic. quaest.* cap. 35., Espenius in tractatu *de recursu ad Principem*, Barthelius *adnotationes in Jus Canonic.* lib. 3. tom. 5., Febronius *de Statu Ecclesiae* capp. 9. et 10., Carolus Fevretus in opere *de abusu* lib. 1. cap. 3., et lib. 4. cap. 2., et Salgad. aureo *de Regia protectione* libro tradiderunt. Multus essem, et vix finem dicendi facerem, si contentiones non omnes, hujus recursus occasione ortas, referrem; quare historia hac missa, (et ad quid antiquum renovare dolorem!) praecipua haec notanda: I. Quod competit subjectis omnibus laicis pariter ac clericis: II. Quod interponitur a quocumque iudice ecclesiastico cujuscumque ordinis sit, et Collegio quocumque, et Curia Ecclesiastica: III. Et ab omni decreto, et sententia tam interlocutoria, quam definitiva, et ab ipsis quoque Constitutionibus Dioecesanis, Provincialibus, Visitationibus, literis pastoralibus, ceteris, quae quovis modo Regiam auctoritatem, receptos apud nos Ecclesiae canones, vel patria jura offendunt: IV. Quod interponitur ab excessibus Praelatorum regularium, excepta causa fraternae correctionis, et emendationis (Inst. Jur. Crim. Lus. Tit. IV. §. X.), Decret. 9. Octobr. 1651., 9. Maii 1654., Collect. II. ad Ord. lib. 1. tit. 9. NN. 12

13. Adpellatio quoque *ab abusu* in hac causa non permittitur Edicto Francisci I. Galliae Regis ann. 1539. art. 13. et Ludovici XIV. 1695. art. 36. Salgad. *de suppl.* P. II. cap. 11. n. 104. cum seq. V. Quod hujus recursus interponendi gratia definitum tempus non est, in quo vel maxime differt ab adpellationis, vel gravaminis remedio; respicit enim magis jus Publicum, quam privatum. VI. Quod in jure non definiuntur casus omnes, quibus competit, nec definiti quidem possunt, neque hoc profecto impediret; et hac de causa Clerus Gallicanus illorum declarationem in adpellatione *ab abusu*, quam semel et iterum postulavit, et magna animi contentione anno 1606., nunquam obtinere potuit. VII. Quod adversarius in hoc recursu non auditur, ne longius, quam par est, illius decisio protrahatur; sed iudex tantum, a quo interponitur, qui illius veluti partes sustinet, Reg. Epist. 30. Jul. 1694. Collect. II. ad Ord. lib. 1. tit. 9. N. 8. VIII. Quod a censuris ecclesiasticis interpositus, iudices Regii de facto tantum cognoscant, easque validas, nullasve pronuntient, prout fuerint receptis Ecclesiae canonibus conformes, vel contrariae, Ord. lib. 2. tit. 14., Diplom. 10. Mart. 1764., 18. Febr. 1765. IX. Quod recursus semel petitus vim adpellationis habet; eo itaque interposito, non possunt iudices ecclesiastici ad ulteriora progredi, et suas sententias executioni dare (Inst. Lib. IV. Tit. XIII. §. XXIX.), vel quia propria acta mittenda sunt, vel ob reverentiam Regis mandatis debitam. X. Quod iudices Regii non possint tamquam suspecti recusari, Decret. 4. Octobr. 1686., 30. Maii 1708. Collect. II. ad Ord. lib. 1. tit. 9. NN. 6. 7. Et denique quod iidem possint et provocantem, et iudices ecclesiasticos de dolo convictos in expensis litium, vel personalibus damnare: quin imo in manifesto Regiae jurisdictionis abusu causam temporalem ipsi iudicare, vel iudicibus ordinariis loci iudicandam, decidendamque committere; facile enim res ad suam pristinam naturam revertitur; et ita postulare videtur, quamvis nulla exempla exstarent, vel Curiae Regiae Coronae auctoritas summa et jurisdictio, vel illius instituendae causa praecipua, vel negotii ipsius, de quo quaeritur, insolentia et nequitia singularis; et ita expresse statutum invenitur art. 36. Edicti Ludovici XIV. Galliae Regis ann. 1695.

*Illius praxis.*

§. LVIII. Recursu autem ab Archiepiscopis, Episcopis, Nuntiis et Apostolicis Collectoribus interposito, litis instrumentum, vel ejus exemplum ad judicem Regiae Coronae deferitur, qui de recurrentis justitia ex eodem certior factus literas veluti commendatitias, seu, ut appellant, *rogatorias* ad Episcopum, ejusve Vicarium scribit, in quibus ab eo Regis nomine petit, ut ab incepta violentia desistat. Liberum est Episcopo literis Regis nomine datis non parere semel atque iterum; recurrenti tamen actorum scripta testificatio datur, qua postea ad supremam Palatii Curiam delata, et Episcopo, ejusve Vicario citato, ut ibidem compareat, causa iterum sub incudem revocatur; atque si in hac demum ultima veluti instantia Regiae Coronae judicis pronuntiatio, et literae commendatitiae confirmantur, illarum tandem cum effectu executionem supremum Regni Concilium decernit, quam Praesidi Provinciae committit, Ord. lib. 1. tit. 12. §. 6., Eman. eod. lib. tit. 11. §. ultim. Et ex hac Ordinatione hujusmodi *praxis* derivatur, itemque ex Regia Philippi III. Epistola 21. Jun. 1617. data, apud novam Ordinationem edit. 1747. Collect. II. ad lib. 1. tit. 9. N. 3., apud Osorium *de patronat. Reg.* Resolut. 75. n. 14., *Deduct. Chronologic.* I. P. Divis VIII. §. 328. cum seq.

Notanda hic verba precaria *rogo e encomiendo*, quae originem suam debent praetensae Ecclesiasticorum exemptioni a Potestate civili, quae hodie vix toleranda: deinde quod judex ecclesiasticus possit, quin crimen aliquod, vel poenam incurrat, literis Regis nomine datis semel atque iterum non obtemperare. Adcedit rei difficultas paene infinita; cum enim tot, tantosque labores, et magnos sumtus sustinere is cogatur, qui de violentia, et injuria judicis ecclesiastici questus est, priusquam



recusus causa ad finem usque produceatur, satius erit morbo adquiescere, quam tam seram, caram et insalubrem medicinam adhibere. Optandum ergo erat quod in Regno obtineretur Regium Diplôm. 18. Febr. 1765. , pro Brasilia, et quaesitis aliis dominationibus datum.

*Leges ad Regiam jurisdictionem tuendam non nullae.*

§. LIX. Aliis etiam modis Regiam jurisdictionem; quam Ecclesiastici saepius invadunt, leges nostrae defendunt. Nam I. prohibent, ne Tabelliones scripturas jurejurando firmatas conficiant; Ord. lib. 4. tit. 73. , Emman. tit. 3. , art. 44. Concordiae Joannis I. , l. 11. lib. 4. tit. 6. Recopilat. II. Ne instrumentis super negotiis civilibus ab Episcoporum Scribis et Notariis factis ulla fides in foro aet habeatur, Ord. lib. 2. tit. 20. , Emman. tit. 10. , apud Hispanos l. 8. tit. 11. lib. 2. Ord. , et l. 19. tit. 25. l. 4. Recopilat. III. Ne Tabelliones, et reliqui, qui Adcensi Adparitorisve nomine veniunt, clerici in minoribus sint, vel qui habitum, coronam et tonsuram ecclesiasticam portent, Ord. lib. 1. tit. 80. §. 4. , Emman. lib. 1. tit. 59. §. 33. , et tit. 60. §. 32. ; his enim modis ac quaesitis coloribus et litigantes et Administrati ad Episcoporum judicium quam maxime confugiebant. IV. Laicos in judicio ecclesiastico litigantes puniri jubent, et quod non possint consensu suo jurisdictionem prorogare (Inst. Lib. IV. Tit. VII. §. XXX. Not.), infirmataque sententia ab Episcopis lata, litigantibus etiam ipsis consentientibus; Ord. lib. 2. tit. 1. §. 14. , apud Hispanos l. 10. et 13. tit. 1. lib. 4. Recopilat. Denique quod de jurisdictione quaestione mota, eandem iudex Regiae Coronae, et non Episcopus dirimat, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 15. , et lib. 1. tit. 12. §. 5. vers. *E se vir.*

Ecclesiasticus respectu laici judex omnino incompetens est, itaque nec eo volente et consentiente, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 14.; Regis namque solius consensus, non privatorem, publicam jurisdictionem tribuit: contra vero laicus respectu clerici judex incompetens non est, et ex natura sua, alioquin nunquam notionem haberet; sed tantum ratione et ex vi privilegii, cui utpote in illius favorem introducto renuntiare potest, et in judicio saeculari conveniri, et ita expresse Justinianus Imperator adfirmat in l. 51. Cod. de *Episcop. et Cleric.*, Alphonsus V. lib. 3. tit. 15. Contrarium statuit Pontifex in capp. 12. et 18. de *foro compet.* Sed qua ratione, quove jure ego cum Rieg. *Jurispr. Eccles.* p. 2. §. 252. in *Not. me nondum potuisse perspicere fateor.* Denique *omnis scopus* (verba Espenii sunt p. 3. *Jur. Eccles.* tit. 1. cap. 4. n. 18.) *hujus privilegii clericalis, quod hodie privilegium fori vocatur, fuit, ut clericorum causae citra strepitum forensem quam citissime finirentur.* Similia habet Thomass. p. 2. de *vet. et nov. discipl.* lib. 3. cap. 102. n. 14. et seq.: sed ubinam gentium haec tribunalia ecclesiastica sunt? In proverbio enim est, *lites ecclesiasticas esse immortales.*

---

## TITULUS VI.

### De asylis.

#### *Quis asylum concedat.*

§. I. **A**Sylum concedere, id est, locum aliquem sanctum designare, et securitatem ad eundem confugientibus publica lege promittere, solius Principis est; sed non adeo loci sanctitas protrahenda, ut ad impunitatem facinorum extendatur; neque enim Princeps tale asylum potest statuere, quo impunitas delictis, praesidium malitiae, et criminibus refugium conceditur.

*Asylorum, et aggrationis jus Majestaticum est, et eodem fonte derivatur. Quare nec controversia de asylis.*

ad iudices ecclesiasticos, secluso privilegio, spectat, Espen. *Dissert. de asyl. templor. cap. VI.*, nec immunitatis hujus violatores aliis poenis, quam quas Principes ipsi statuerint, vel adprobarint, subjiciendi, Eybel *Introduct. in jus Eccles. lib. II. cap. V. §. 129.*

### *Hebraeorum asyla.*

§. II. Antiquissima vero sunt asylorum jura, et apud omnes gentes recepta. Hebraeis delinquentibus (*casu*, non *dolo*) altaria Deus proposuit tamquam tutissimum confugium. *Exod. XXI. 13. 14.*, et securitatem dedit, vel quod innocens reus esset; vel quod is, qui eum persequebatur, jus puniendi non haberet. *Num. XXXV. 6. 19. 21.*, *Deuteronom. IV. et XIX.*, *Jos. XX.*, *Exod. XXI.* Bene igitur Salomon ab Altari extrahi jussit Joabum, *III. Reg. 2.*, et Joiada Athaliam, *IV. Reg. 11.* Seldenus *de Jur. nat. lib. IV. capp. I. et II.*, Grot. *de Jur. bell. lib. II. cap. XXI. §. V.*

### *Gentilium.*

§. III. Apud Gentiles non solum aris, sed statuis Principum improbissima quadam adulatione asyla tribuebantur, l. 17. §. 12. D. *de aedilit. edict.*, §. 2. Inst. *de his, qui sui, vel alieni jur. sunt*; eaque patebant trium generum hominibus, servis, obaeratis, et capitalium criminum suspectis, Tacit. *Annal. lib. III. cap. 60.* Notum quoque est Romuli asylum ea ratione inventum, ut Rempublicam nascentem civibus augetet. Dion l. 47., lib. I. cap. 8., Dionys. Halic. 2. 15.

### *Christianorum.*

§. IV. Haec Gentilium asyla translata sunt ad templa Christianorum saeculo IV., quo publicae et solenni ritu extrui coeperunt. Ad Ecclesias itaque

hoc tempore nocentes fugiebant, tum ut loci sanctitas eos tutaretur, tum ut Episcopi pro iis intercederent; sensim tamen et in dies magis magisque jus hoc ecclesiastici asyli et immunitatis Ecclesiarum adeo invaluit, ut graviorum horribiliorumque criminum rei, ad Ecclesiam tanquam ad sacram ancoram confugientes, in ea diutius securi delitescerent.

Plura hoc saeculo confugientium ad Ecclesias exempla adhibet ex sacris profanisque Scriptoribus Gothofredus ad l. 1. Cod. Theod. *de his, qui ad Eccles. confug.*; et adeo sub finem ejusdem saeculi asylorum haec jura in immensum excreverant, ut omne genus hominum, liberi, servi, debitores, homicidae, proditores, vel de gravioribus aliis criminibus convicti, loci sacri religione ac sanctitate tutarentur; neque Episcopi Clericive inter meros intercessionis limites continebantur, sed in vim apertam atque violentiam egrediebantur, dum officii munerisque sui esse crederent reos vel a loco supplicii, vel ab ipsis Adparitorum manibus eripere; quam in rem, de non eripiendis scilicet damnatis a Clericis, vel Monachis, egregia constitutio exstat Theodosii M. anno 392. in l. 15. Cod. Theod. *de poen.*, et Arcadii anno 398. in l. 16. *eod.*, quae conjungenda est cum l. 3. Cod. Theod. *de his, qui ad Eccles. confug.*, et in Cod. Justin. l. 6. *de Episcop. audient.*

### *Modus asylis impositus.*

§. V. Quare eisdem modum recte imposuerunt Imperatores Christiani; Religio namque vera, id est, Christiana concedit quidem pro reis intercedere, sed vetat eos jure quodam et vi aperta defendere, vindicare, occultare. Itaque Theodosius M. anno 392. debitoribus publicis asylum denegavit, et Episcopos, clericosve, qui eosdem detinerent, aut occultarent, pro eisdem exigi voluit, l. 1. Cod. Theod. *de his, qui ad Eccles. confug.* Similia de debitoribus privatis edixit Arcadius Constitutione

sua ad Eutychianum P. P. data anno 398., quae ex parte refertur in l. 3. Cod. *de his, qui ad Eccles. confug.* Exstat etiam ejusdem Arcadii Constitutio in l. 2. *eod.*, qua Judaeis debitoribus, vel criminum reis asyla denegantur, et in l. 1. Cod. Justin. *eod.*, unde ortum habuit Ord. lib. 2. tit. 5. §. 1.

Harum constitutionum vigore compulsus aliquando fuit B. Augustinus persolvere, quod Fastius debebat, qui ad Ecclesiam confugerat, ut ipsemet tradit Epist. 215., et Baronius monet ad ann. 392. Eas autem postea abrogavit Leo anno 466. in l. 6. Cod. Just. *de his, qui ad Eccles. confug.*

*Ea Arcadius exstinxit.*

§. VI. Ut vero Gentilium asyla jam olim Tiberius repressit apud Tacit. lib. III. *Annal.* cap. 60., omnino videndum, ita Arcadius, suatore Eutropio, Christianorum exstinxit anno 398. constitutione, quam auctores ecclesiastici Chrysostomus *Homil. in Eutropium*, Socrates l. 6. cap. 5., Sozomenus lib. VIII. cap. 7., Baronius ad A. D. 398. n. 88. referunt, et cujus nimirum partes faciunt quatuor in Cod. Theod. leges, videlicet l. 16. *de poen.*, l. 57. *de adpellat.*, l. 33. *de Episcop.*, l. 3. *de his, qui ad Eccles. confug.*, quae omnes conjungendae sunt. Eadem etiam olim suppressit Luitprandus Lombardorum Rex, et in Gallia nullius ferme usus sunt maxime post Edictum Francisci l. anno 1539. art. 166. Espen. *diss. de asyl. templor.* cap. 7. §. 5., Covarr. *Var. Resol.* lib. II. cap. 20., Thomass. *disc. Eccles.* P. II. lib. III. cap. C., quae jura immerito suggillat Azevedus ad l. 3. tit. 2. lib. 1. *Recopil.* n. 31.



*Restituit Honorius, et Theodosius.*

§. VII. Anno sequenti 399. Concilii Africani Patres ad Honorium legationem miserunt, *ut pro confugientibus ad Ecclesiam, quocumque reatu involutis, legem de gloriosissimis Principibus mereantur, nequis eos audeat abstrahere.* Vide Harduin. tom. 1. Concilior. pag. 894., et Justellum tom. 4. pag. 154. Quare saeculo V. ineunte anno 431. nova lege Theodosius asyla restituit, quae ex parte exstat. in l. 4. Cod. Theodos. *de his, qui ad Eccles. confug.*, l. 3. Cod. Just. *eod.*, et apud Gothofr. *integra eod.* habetur. In eandem sententiam Honorius et Theodosius anno 414. in l. 2. Cod. *de his, qui ad Eccles. confug.* edixerunt, *se fidei devotaque praecipione sancire, nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere sub poena Majestatis.*

*Sed calamitosis, non dolosis delinquentibus concessit.*

§. VIII. Non tamen *dolo* delinquentibus fuerunt concessa, sed *culpa*, calamitosis et innocentibus, iis videlicet, qui timore compulsi ad Ecclesias confugiunt, *pateant enim* (verba sunt Imperatoris in dicta l. 4. Cod. Theodos. *de his, qui ad Eccles. confug.*) *summi Dei templa timentibus.* Et denique Justinian. Nov. 17. cap. 7. statuit: *Neque homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus delinquentibus terminorum custodies cautelam: sed etiam inde extrahes et supplicium eis inferes . . . . Templorum cautela non nocentibus, sed laesis datur a lege: et non erit possibile utrumque tueri cautela sacrorum locorum, et laedentem, et laesum.* Itaque jus civile *dolo malo*, et *ex proposito* delinquentibus tandem asylum denegavit.

*Secus Jure Canonico.*

§. IX. Longius tamen fortasse, quam par est, asyloꝝ jura Jus Canonicum protraxit, quod inter alios Patres Gregorius ipse M. agnoscit lib. 7. cap. 24. Nam I. in can. 8. Caus. 17. q. 4. Augustini sententia excommunicationis occurrit adversus eos, qui asyla violaverint, itemque Gelasii can. 10. In Concilio Triburiensi, relato can. 20. ibidem, cautum, *ut nongentas solidos Episcopo componat violator, et ipse publica poenitentia justo judicio Episcopi mulctetur.* In Concilio Toletano XII. can. 10. apud Gratian. can. 35. ibidem *jus asyli extra Ecclesiam ad triginta passus in toto circuitu extensum est.* In Concilio Aurelianensi I. relato in can. 36. Prohibitum, ne fugiens ad Ecclesiam exire cogeretur, *nisi omni poenarum genere esset securus, ita ut ei, cui reus fuerit criminosus, de satisfactione conveniat.* Innocentius postea III. in cap. 6. *de immunit. Eccles.* generaliter decrevit, quod *quantacumque quis gravia maleficia perpetraverit, non erit violenter ab Ecclesia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad poenam: sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, et vitam.* Et excipit tantum publicos latrones, et nocturnos agrorum depopulatores. Postea Gregorius XIV. improbissimis his hominibus adnumeravit: I. grassatores viarum, II. homicidas in ipsis Ecclesiis, seu Coemeteriis, III. *proditorie* homicidas, IV. *assassinii* reos, V. haereticos, VI. criminis laesae majestatis reos, Bulla speciali 28. Maii 1591. data; quae quidem si hodie obtineret, coërcitio criminum, et vitae necisque potestas non in Principum, legumve arbitrio foret, sed Sacerdotum.

*Quid olim apud Gallos.*

§. X. Neque Canonici Juris in univēsum scita, sed magis Civilis adprobarunt posteriores Christianorum Principum leges, id est, *casu tantum*, seu *culpa* delinquentibus, minime vero *dolo*, et per insidias asylum concesserunt. Namque in Gallia Carolus M., qui pluribus legibus immunitatem Ecclesiarum firmaverat, anno 779. constituit, *ut homicidae, et ceteri rei, qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam confugerint, non excusentur, neque eis ibidem victus detur.* Prolixior ejusdem Imperatoris lex exstat anno 803. apud Balus tom. I. Capitul. pagg. 387. et 759. contra fures homicidas, et similes ad Ecclesiam confugientes, ex qua compellendus erat semel, interum et tertio Episcopus, vel Rector, ut facinorossissimum quemque traderet; et pro prima vice contumax XV. solidos, altera XXX., tertia demum *quidquid reus damni fecerit, solvere cogebatur*, et tandem *ipse Comes veniens licentiam habebat ipsum hominem infra immunitatem quaerendi, ubicumque eum invenire potuerit.*

(p. 391)

Wisigothos, et Hispanos.

§. XI. Wisigothorum, quibus olim viximus, legibus homicidae et reliqui facinorosi ad Ecclesiam confugientes ea conditione tradi solebant, ut mortem nunquam subirent; sed in potestate parentum occisi, et propinquorum perpetuo manebant, quibus quaeque vellent de eisdem statuere, vitae periculo excepto, amplissima jure publico data erat facultas, lib. VI. tit. 5. §. 16., et lib. IX. tit. 3. §§. 1. 2. 3. et 4. Apud Hispanos postea immunitas Ecclesiarum definita ad certos casus fuit, quos ex Codice Theodosiano, et Jure Civili potissimum decerpit Alphonsus X. ll. 4. et 5. prim. par-

tit. 11., quibus adjungenda est l. 8. tit. 6. lib. 1. For. Regal., et l. 3. tit. 2. lib. 1. Recopilat.

*Et Lusitanos.*

§. XII. Lusitanorum leges de immunitate Ecclesiarum latis suo Codice Alphons. lib. 2. tit. 8. speciali inseruit, Emman. tit. 4. Philipp. tit. 5. eod. lib. Principio tituli in omnibus Codicibus generalis haec regula traditur, omnes scilicet Ecclesias etiam non consecratas jure immunitatis gaudere, quod haustum esse videtur ex cap. 9. *de immunit. Eccles.* ubi Gregorius IX. Ecclesiis etiam non consecratis immunitatem concessit.

*Immunitas quibus locis datur.*

§. XIII. Occasione Ecclesiae asyli quoque jus concessum Ecclesiae atrio speciali Ordinatione lib. 2. tit. 5. §. 11.; abest namque ab Eramanuelino et Alphonsino Codice: et eadem ratione publicae capellae, Episcopi auctoritate erectae, itemque areae sepulchrali, seu loco religioso concedendum esse videtur.

In Codice Philippino lib. 2. titulus 5. §. 11. deductus fuit ex Sebastiani Regis denominata Concordia art. 1., quae atrio Ecclesiae certe eundem immunitatem ibidem tribuit, cum de illius validitate quaerit. Exstat in hanc rem proluxa Theodosii et Valentiniiani AA. constitutio data anno 431. apud Gothofred. in l. 4. *Capl. Theodos. de his, qui ad Eccles. confug.*, et in *fine Graecorum Exemplarium Concilii Ephesini*, quae non modo templo, seu *Altari et Sacratio*, seu *ἁγίῳ*, in quo clerus, et oratorio publico, seu *ἐκκλησίᾳ*, in quo populus stabat; sed etiam *septo* cuiuscumque Ecclesiae, id est, *cellatis, hortulis, balneis, arvis*, atque *portibus*, et locis aliis, arboribus, aut muro cinctis ad exemplum Ethnicorum Principum asylum concedit. Veram hujusmodi constitutio hodie

extra Ecclesiam; vel ejus aream, atriumve locum apud nos non habet. Gentiles quoque sepulcra sua tamquam res sanctas, religiosas; et divini juris habebant, erant quippe Diis Manibus sacra; et inde fluxerunt tot poenae in violatores sepulcrorum, de quibus in tit. Dig. et Cod. Theod., et Justin. *de sepulcro violato*, quibus etiam immunitatis jura concedenda non superstitiosa illa ratione, sed quia *κοινότητις* publica sacra auctoritate eriguntur, et quidem sub certis caerimoniis, ritibus et benedictionibus, et praesertim quia hodie vel in ipsa Ecclesia habentur, vel in ejus atrio, et loco Ecclesiae proximiori; quare eidem comparantur in cap. 5. *de immunit. Eccles.*, et eodem atque ipsa Ecclesia asyli jure fruuntur, cap. ult. et rubrica *eodem*.

*Et quibus non.*

§. XIV. Cum vero immunitas non sit ultra castus legibus nostris expressos protrahenda, consequens est, perperam eam vulgo tribui oratorio privato, itemque xenodochiis, nosocomiis, ergasteriis, et aliis piis, venerabilibusque locis, quae licet religiosa adpellat Pontifex in cap. 4. X. *de relig. domib.*, non ideo eis erit immunitas tribuenda. Nec excipio Monasteria ipsa Religiosorum, et multo minus illorum septa, et hortos. Conventui licet proximiores, et ipsas Episcoporum et aliorum Ecclesiasticorum domos; his namque et similibus locis immunitas proprie haud competit, Ord. Emman. lib. 1. tit. 54. §§. 10. 11. 12., et lib. 5. tit. 90. §. 4., Philipp. lib. 1. tit. 73. §. 7., et lib. 5. tit. 104. §. 3., Extravag. 12. Martii 1603. §. 7. Collect. 1. ad Ord. lib. 1. tit. 73. N. 1.

Theodosius Imperator in saepius memorata constitutione data anno 431. apud Gothofred. in l. 4. Cod. Theod. *de his, qui ad Eccles. confug.*, locis omnibus Ecclesiae proximioribus, sepe, vallo, arboribus, vel muro circumdatis, veluti porticibus, atrio, coemeterio, fabricae, hortis, cellulis, xenodochiis, nosocomiis, Episcoporum et Clericorum domibus, quae ut plurimum ad Ecclesiam

prope erant, immunitatem concessit. Paulo postea *Corticia*, Pontifices, Imperatores asylorum terminos non semel designarunt. Et in primis Episcopi palatio aperte asylum tribuere videtur can. *Id constituimus* 36. Caus. XVII. Quaest. 4. Synodus Toletana relata eodem Caus. et Quaest. can. 35. asylum tribuit intra *triginta passus* ab Ecclesiae januis: Nicolaus Pontifex ibidem can. 6. majori Ecclesiae *per circuitum quadraginta passus* tribuit, minori, seu capellae *triginta*. Honorii et Theodosii Constitutio exstat (si modo ea vera est) in Adpendice Codicis Theodosiani, qua quinquaginta passibus ultra Basilicae fores securitas tribuitur. Satis de peregrinis asylorum legibus: pluraque habet Rittershusius *de asyl.* cap. 8., Binghamus *Origin. antiquitat. ecclesiasticar.* lib. 8. cap. 11. §. 9. Ad Lusitanum vero jus quod adinet, ego nullam aliam legem invenio, quae praeter Ecclesiam, et illius atrium locis aliis utut venerabilibus immunitatem concedat. Nam in toto titulo 5. Ord. lib. 2., Emman. tit. 4., ubi specialiter de immunitate agitur, ne verbum quidem de xenodochiis, monasteriis, Episcoporum et Clericorum domibus invenitur. Deinde Emman. Ord. lib. 1. tit. 54. §§. 10. 11. 12. aperte decernit, quod Praelatis licet inuitis et repugnantibus, possint adparitores et iudices nocentes, qui ad eos confugerunt, per vim abducere, quando scilicet ea commiserunt crimina, quibus illorum domus asylum non praestat, et quod in aliis minoribus delictis debeant nocentes tradere, alioquin jurisdictionem, et quaecumque a Rege habuerint privilegia ipso facto amittant. Eadem Emmanuel. Ord. lib. 5. tit. 90. §. 4. statuit, quod in criminibus capitalibus nocentes in ipsis Episcoporum et Abbatum domibus iudices perquirant ac comprehendant: iique, si hujusmodi investigationes impediunt, eam incurrunt poenam, quam leges in eos statuunt, qui Regis Administris resistunt. Haec de criminibus capitalibus. In criminibus vero non capitalibus si nocentes non tradant, neque in eorum inquisitiones consentiant, non modo jurisdictionem, si quam habeant, amittunt, et alias incurrunt poenas ibidem statutas, sed jure habentur tamquam veri nocentium custodes, eorumque legibus specialibus subjiuntur, Ord. dict. lib. 5. tit. 90. in princip. §§. 3. et 4., et lib. 1. tit. 54. §. 9. Similia fere habentur Philippino Cod. lib. 1. tit. 73. §§. 7. 9. et 10., et lib. 5. tit. 104. in princ. et §. 3.: notandum tamen quod versiculum ultimum eod. §. 3. Philippus addidit Emmanuelis Codici lib. 5. tit. 90. §. 3.,  
itemque

itemque integrum §. 8. lib. 1. tit. 73. ; quae tamen omnia debent intelligi ad mentem sensuque eorum, quae Emmanuel et Philippus ipse II. locis citatis antea constituerant. Eadem fere inculcavit Philippus III. Extravag. 12. Mart. 1603. apud novam Ord. edit. Collect. 1. ad lib. 1. tit. 73. N. 1. §. 7. Jam vero cum Regii Magistratus nocentes in Praelatorum et Abbatum domibus perquirere possint et comprehendere in capitalibus delictis, et in aliis non capitalibus ipsi eos tradere teneantur, ne poenam legibus statutam incurrant; sequitur, hujusmodi locis asylum proprie non competere. Quare iidem, dum nocentes recipiunt, vel occultant, vehementer peccant in Ord. lib. 5. tit. 105., Emman. tit. 71., Alphons. tit. 100., et in ll. 1. et 2. Cod. Theod. *de his, qui latron. vel aliis criminibus reos occultav.*, l. 1. Cod. Justiu. eod.

*Asyli jure non fruuntur magnatum domus.*

§. XV. Quemadmodum nec competit Regni magnatum domibus, quacumque ii fulgeant dignitate, Ord. eod. lib. 1. tit. 73. §. 7., et lib. 5. tit. 104. §. 3. Neque ullus in Regno, aut Provinciis hodie locus est, qui asylum praestet, Extravag. 10. Januarii 1692. apud Ord. lib. 1. tit. 7. Collect. 1. N. 2. ibi: *E outrosi mando, que não haja mais Couto algum nestes meus Reinos, e Senhorios; porque todos os seus privilegios, e concessões, e doações, por mais especiaes que sejam, e por mais condições, e clausulas exuberantes que tenham, hei por expressamente derogadas, por qualquer causa, ou titulo que fossem concedidas, assi a pessoas seculares, como ecclesiasticas; por não ser justo, que se conservem aquelles privilegios, que se fizerão odiosos, e prejudiciaes á Republica; e que difficultando o castigo dos delinquentes, facilitão mais os delictos; para o que tambem hei por derogadas as Ordd. do liv. 5. tit. 123., e a do liv. 2. tit. 48. no principio, e §. ultimo:*

I.

8

Regni magnatum domus, et palatia Ducum, Marchionum, Comitum, cet. asylum non praestant; quare easdem investigare, et nocentes ibidem inventos comprehendere iudices possunt ex dictis Ordinationibus, quae quidem frustra scriptae esse videntur; nam quotidie videmus nobiles quosdam, et, quod magis mirandum, monachos intra claustra, et in vineis suis delinquentes recipere et occultare, et eorum opera et ministerio uti ad illarum culturam, quin eos quisquam comprehendere audeat. Erant olim in extremis quibusdam Regni partibus publica asyla certis delinquentibus ab antiquissimis inde temporibus politicis rationibus constituta (Inst. Jur. Crim. Lus. Tit. XVI. §. IV.), de quibus Ord. lib. 5. tit. 123., Emman. tit. 52., Alphons. tit. 61. *Honores* etiam, et civilia nobilibus asyla et Praelatis jam inde a Regni initio concessa erant, quae tandem definivit Dionysius Rex non semel, sed iterum atque iterum, Ord. lib. 2. tit. 48., Emman. tit. 40., Alphons. tit. 65., et lib. 3. tit. 50. (Hist. Jur. Civ. Lus. §. LIV.). Verum has Ordinationes, et asyla omnia revocavit Petrus II. Extravag. 10. Januarii 1692.; similis apud Hispanos lex est lib. 8. tit. 16. l. 1. Recopilat.: ea autem belli praesertim tempore Reges suscitare solent, et quidem suscitavit ipsemet Petrus II. Extravag. 20. Augusti 1703. Collect. I. ad Ord. lib. 5. tit. 123. N. 1. Multum autem incivilis est ut haec obiter adnotem, privata Senatoris Oliveirae Nota ad Extravag. 10. Januarii 1692. apud novum Repert. verbo *Coutos*, et verbo *Homiziados*, neque ea profecto digna erat, quam voluminis hujus auctor transcriberet, et publicae luci traderet.

### *Nec Legatorum.*

§. XVI. Neque etiam Legatorum domus asylum nocentibus praestat, quamvis ipsi immunes sint, et tota eorum familia; et in hoc tantum immunitas et privilegium Legatorum jure Gentium consistit ex sententia Grotii *de jur. bell.* lib. II. cap. 18. §. 8., et Thomasi peculiari *dissert. de jure asyli, legatorum aedibus competente*. Quare bene hanc in rem Joannes V. 11. Decembris 1748. in Appendice legum Extravag. N. 7. edixit: *E por*



*quanto tem succedido algumas vezes, que os reos, para se subtrahirem ao braço da Justiça, se refugião ás casas dos Ministros Estrangeiros, que talvez lhe dão asylo muito contra a intenção e fim do Direito das Gentes, a qual nunca foi de que a immuidade das casas dos ditos Ministros servisse de pretexto para a impunidade dos malfeitores, ou para impedimento do regimen do Paiz, para perturbação do socego e segurança dos Naturaes: hei por bem determinar, que todo o reo, seja por causa civil ou criminal, que se acoutar nas ditas casas, para isentar-se do poder das Justiças, incorra por isso em pena de dous annos de degredo para Angola. . . . e que o pleito, ou processo, por cuja razão se tiver assim refugiado, por esse mesmo facto se entenda provado contra elle, sem que possa ser admittido a justificar-se em instancia alguma.*

*Non datur in causis civilibus, neque in minoribus delictis.*

§. XVII. Quia vero Ecclesia capitales poenas et humani sanguinis effusio nem praesertim abhorret; idcirco Reges nostri illius partes sequentes asyllum tantum iis concesserunt, qui ea commiserunt crimina, ex quibus vitae amissio aut membrorum detruncatio sequeretur. Quare in causis civilibus, et levioribus delictis, quibus poena pecuniaria, exsillii, ad triremes, flagellationis, vel perpetuae servitutis irrogatur, nullus ecclesiasticae immunitati locus relinquitur, Ord. lib. 2. tit. 5. in princip., Emman. tit. 4. Itaque immunitatem, et asyllum non habent: I. servus ad Ecclesiam confugiens, dict. Ord. §. 6., Emman. §. 4., cap. 4. *de immunit. Eccles.*, l. 5. Cod. Theodos. *de his, qui ad Eccles. confug.*, §. 2. Inst. *de his, qui sui, vel alieni juris sunt.*

*Neque in gravioribus quibusdem.*

§. XVIII. Neque Judaei, Mauri, et reliqui Christiani nominis hostes, Ord. lib. 2. tit. 5. §. 1., l. 2. Cod. Theod. *de his, qui ad Eccles. confug.* l. 23. Cod. *de Julaeis*: II. qui maleficium in Ecclesia, vel in ipsam Ecclesiam committunt sive *casu*, sive *de industria*, dicta Ord. §. 2., cap. ultim. *de immunit. Eccles.*, neque verba Ord. eod. §. ibi. *tendo dantes deliberado para nella malfazer* conditionem important: III. fur manifestus, qui cum furto apprehenditur: IV. latro publicus, qui scilicet omnium existimatione pro tali habetur: V. viarum praedones: VI. incendiarii, dict. Ord. §. 3.: VII. bonorum raptores: VIII. qui alienam uxorem stupraverit; et denique quicumque gravia quae habet delicta *dolo*, et *per insidias* commiserint, dict. Ord. §. 4., Emman. §. 3. Itaque qui alium insidiosè occidit, omnia privilegia, et asylum amittit, Ord. lib. 5. tit. 37. §. ult., cap. 1. *de homicid.* in 6. Nec excipio maritum, qui uxorem occidendo nunquam immunitate gaudet; nam vel id jure facit, vel injuria; si primum, ut in casu Ord. lib. 5. tit. 38., immunitas eidem prorsus inutilis est; si secundum, ut quilibet alius homicida omnino habetur, proindeque hoc casu immunitate non gaudet; et ita ad-cipio Ord. lib. 2. tit. 5. §. 5.

Totus quantus est §. 4. Ord. lib. 2. tit. 5. longe difficillimus est, et sibimet ipsi contrarius. In principio usque ad versum *E isto* ponit regulam juri divino certe consentaneam, et civili, ut jam superius monuimus, quod scilicet immunitate Ecclesiae non gaudeant quicumque dolo malo, de industria, per insidias et occultas machinationes delinquant. Postea vers. *E isto* hujusce regulae intelligentiam adfert, nempe dolo licet delinquentem et ex proposito immunitate gaudere, si animum et intentionem alterum laedendi non habuerit. Et quis non videt, quod hujusmodi interpretatio regulam initio §phi

adpositam totam subvertit? concedit namque hic immunitatem dolo delinquentibus, quam illic denegavit. Progre ditur Ordinatio, et exemplum hujus intelligentiae adponit vers. *Podc-se* in latrone et adultero, qui licet furtum, et adulterium dedita opera, et dolo committant, cum praecipue non intendant alterum laedere, sed res alienas suffurari, vel foedae sensuum voluptati deservire, immunitatis jure fruuntur. At vero quam nimium subtilis est hujusmodi philosophia! Namque vix intelligitur, quomodo a latrone, vel adultero intentio alium laedendi abesse possit; qui enim deliberato animo rem alienam furatur, vel alienam stuprat uxorem, non potest non habere deliberatum animo alterum laedendi, et injuria adficiendi. Illud vero hic notandum, hanc intelligentiam, et illius exemplum ideo fuisse dicto § adpositam, quia in jure communi (quo nomine venit jus civile Romanum) statuta credebatur, ut constat ex Eramanuelis praesertim Codice lib. 2. tit. 4. §. 3., ibi: *E esto uchamos que se deve per direito entender*. Eodem §. vers. *E por tanto* immunitatem Ordinatio denegat bonorum raptori, et alienae mulieris stupratori, quam antea latroni, et adultero simplici concesserat; quae quidem omnia inter se pugnare videntur; neque praeterea hujus versiculi decisio, et multo minus verbum illud *E por tanto* antecedentibus ullo modo connectitur. Tandem in vers. *Porem* usque ad finem §phi non ultro sponteque sua, sed quasi invitarum virginum raptoribus immunitatem concedit, et non alia ratione, quam quod eandem jus Canonicum statuisset in cap. 6. *de immunit. Ecclesiar.*, et in can. *De raptoribus* 3. Caus. 36. quaest. 1. Haec cum ita sint, universam nostrae Ordinationis decisionem dicto §. 4. et ejusdem dignitatem vix tueri posse arbitror. Ego quidem in illius sententiam et regulam initio §phi adpositam lubentissime manibus pedibusque irem; literalem vero ipsius intelligentiam probare non possum, quia non modo rationi naturali, et Reipublicae securitati contraria est, verum etiam quia repugnat eidemet regulae, quam Ordinatio principio statuit; et si non illius verbis et literis, menti saltem et sententiae, a qua vera interpretatio petenda, adversatur. Neque praefata intelligentia, cum in jure non inveniatur, et hanc ob causam fuisset recepta, legis vigorem habere potest. Quare credo ego dolo, et *ex proposito* delinquentes immunitate non gaudere, et haec primaria est totius §phi decisio; cui consequens omnino est, ut non solum bonorum rapto-

res, et alienae mulieris, vel virginis stupratores, sed latrones quicumque et adulteri, dummodo consilio et dolo delinquent, asyli jure non fruuntur; neque quod de virginum raptoribus in fine §phi ex jure Canonico adstruitur, hodie illius in foro auctoritate explosa, alicujus momenti esse potest.

*Praxis circa immunitatem.*

§. XIX. Multum tamen leges nostrae Episcopi Vicario, vel Ecclesiae Rectori tribuunt, dum prohibent ad eandem confugientem, non nisi eo vocato et audito extrahere, Ord. lib. 2. tit. 5 §. 7. cum sequent., Emman. tit. 4 §. 5. eod., art. 13. primae Concordiae Dionysii Regis, art. 4. et 5. Joannis I., art. 2. Alphonsi V., quibus conjungenda lex 2. ejusdem Alphonsi Comitiss Leiriensibus lata. Itaque statuit Ordinatio, quod Regius Magistratus et Ecclesiasticus iudex super immunitate inter se colloquantur; iis vero in contraria euntibus, Curiae Praetor adeundus, vel provincialis, quicumque loco proximior fuerit, qui controversiam dirimet, dict. Ord. §. 8. verbis: *E o que quadahum delles per si só determinar, se guardará*: immunitatis namque causa mere civilis et temporalis est; ideoque illius tandem decisio iudici tantum saeculari concessa eod. §. 8. Adcedit, quod solius Regis est, vel Magistratus ab eo deputati sua jura et privilegia interpretari, et controversias omnes ad jus civile publicum, et Regiam jurisdictionem quovis modo adtinentes judicare, Ord. lib. 2. tit. 1. §. 15., et lib. 1. tit. 12. §. 5. vers. *E se vir*, et §. 7., in quo specialis de asyilis templorum mentio fit.

Ord. Alphons. lib. 2. tit. 5. art. 5., iudici saeculari concedit nocentes ab Ecclesia extrahere iis in casibus, quibus immunitati locus non est, quorum scilicet iudicium ei tantum concedit; nec opus erat Episcopi Vicarium audire, et vocare aut Ecclesiae Rectorem; ei

tamen debet securitatem vitae et membrorum pro reo promittere. Praelati de jure hoc conquesti, et de violata immunitate repetitas querelas moventes, a Regibus dimittebantur, generali responso adcepto, velle se ex animo Ecclesiae mandatis obtemperare, et illius immunitatem, prout jure constitutum est, servare, sed cum, iis insciis et repugnantibus, improbissimos reos ab Ecclesiis extrahi jussissent, in eosque poenis legibus definitis animadverterent, non cessarunt querelae et lamentationes; sed incassum laborarunt ad tempora usque Emmanuelis Regis, quo regnante, obtinuerunt, ut Vicarius Episcopi, vel, eo absente, Ecclesiae Rector una cum iudice saeculari audirentur, et tandem Curiae Praetor adeundus, qui causam de validitate immunitatis, omni appellacione remota, solus tunc et sine collega dirimeret. Quare quae de Vicario Episcopi, et Ecclesiae Rectore scripta inveniuntur Emman. Cod. lib. 2. tit. 4. §§. 5. 6. 7. 8., et Philipp. tit. 5. §§. 7. 8. 9. 10., singularia sunt, et ab antiquis Regni legibus et consuetudinibus aliena. Haec tamen Emmanuelis Ordinatio simul cum aliis (quod hic notandum est) a semidoctis quibusdam hominibus apud Joannem III. non semel improbata fuit, vel quia Praetorem Curiae iudicem constitueret in causa immunitatis, quam mere Ecclesiasticam, vel mixtam esse serio existimabant, vel quia nocentem ab Ecclesia interiri extrahendum, et in custodia publica retinendum concederet contra Ecclesiae praetensa jura. Quid multa? Piissimo Regi persuadere potuerunt, Emmanuelis Parentis Codice quam plurimas Ordinationes contineri sacris canonibus, et Ecclesiae libertati contrarias, ab eodem propterea, legitima auctoritate petita, reformandas ac corrigendas. Et eo res tandem redacta est, ut a Rege nominarentur, qui optimum, prout illa tempora ferebant, Emmanuelis Codicem reviserent ac examinarent; sed quam male verum examinant indocti, corrupti et inurbani iudices! Consultus hac de re in primis fuit Franciscus Coëlius, celebris hoc tempore Juris Canonici Professor Primarius, qui scribere non dubitavit, Regias Ordinationes, quarum longum catalogum texuit, de Ecclesiasticis, et Ecclesiae, eorumque bonis, juribus, privilegiis, cet. disponentes, ob defectum jurisdictionis nullas prorsus esse et irritas. Regia deinde Conscientiae, ut appellat, Curia, cui Academica haec dictata, quae in Bibliotheca mea exstant, missa sunt, eadem probavit, et ad eorum fere modum et expositionem Regem con-

suluit; et hinc natae plures Ordinationum emendationes, correctiones, declarationes, quae nimium sub Sebastiano adauctae in Philippinum tandem, quo utimur, Codicem irrepserunt. Neque eximius hic Canonista Concordias inter Reges nostros et Praelatos habitas tanti fecit, quanti postea Gabriel Pereira in libris *de Manu Regia*, et in sua *Monomachia* inscripta: *Das Concordiās, que os Reys fizerão com os Prelados de Portugal*: namque solum probavit quas Pontifices inter se et Reges habuerunt non *in forma communi*: ut Juristae loquuntur, sed *specificā*, de plenitudine scilicet potestatis, vel cum expressa derogatione juris Canonici. Sed vero misera haec jurisprudentia, et miseri homines hodie sunt vel risu, vel miseratione dignissimi. Haec tamen in medium adducere placuit, cum ex iis possint non parum illustrari et aaylorum jura, et illorum praxis, seu historia specialis.

---

## TITULUS VII.

### De legibus agrariis.

*Agricultura apud Lusitanos nunquam neglecta.*

§. I **A**griculturam, praecipuum Reipublicae nervum, Lusitani studiose semper coluerunt, ab ipsius enim Regni initio leges etiamnum exstant, quae multum eandem promovent, et multa agrorum cultoribus privilegia concedunt: quamvis enim Lusitania principio Regnum militare esset, et praecipuam in bello gloriam, quemadmodum olim Romani, quaereret, non ideo agriculturam et commercium, duo alia totius civilis societatis objecta, adspersa fuit.

In Regno Militari agricultura infonum semper, sed injuria locum obtinet. Et quamvis apud nos illius causa multum inter alios laudandi Dionysius Rex, Ferdinandus, Joannes I., Oduardus, Josephus I., et Maria I. Domina

nostra Clementissima; tamen, si verum amamus, res agraria (nescio quo fato) eodem est loco, et quasi nihil ad Rempublicam conferat, ab omnibus fere despicitui ducitur, neque in eo, quo par est, honore et pretio publice et privatim habetur.

*Singularia quaedam in ejus favorem introducta.*

§. II. Equidem illius favor non semel in legibus nostris inculcatur, Ord. lib. 4. tit. 43. §§. 13. et 14. Idem effecit, ut pro aere alieno boves, sementes, cet. agrorum cultui destinata pignetari nunquam possint, Ord. lib. 3. tit. 86. §. 24., ll. 7. 8., Authent. *Agricultores* Cod. *quae res pignori obligari possunt*; ut res ad vitam humanam prorsus necessariae, triticum, hordeum, cet. non nisi pecunia numerata permutari liceat, aut alia re, quam promissor aut statim solvat, aut ex bonorum suorum redditibus commode habere possit, Ord. lib. 4. tit. 68.: idem Reges nostros impulsisse videtur, ut legem ferrent de aedium perpetua locatione, emphyteusi, vel areae ad domum aedificandam non nisi pecunia facienda, Ord. lib. 4. tit. 40.: et ita nimirum facilius et usura, et laesio immodica vitatur. Plura etiam in arationis et agricolarum favorem Josephus I. specialia constituit. Namque inter alia concessit, quod Algarbii Regni incolae et insularum adjacentium decimas non solverent tritici, hordei, milli, farinae, carniū 12. Junii 1750. Adpend. N. 20.: deinde omnia jura importationum frumentorum et leguminum Regia in urbe abolevit calendis Aprilis 1757. Adpend. N. 96.: idem beneficium postea ad universum Portugalliae et Algarbiorum Regnum, et ad Provincias omnes, et ubique extendit 18. Januarii 1773. Agriculturam multum quoque promovent Dipl. 16. Jan. 1773., 4. Aug. 1773., 15. Jul. 1779. super Algarbiorum census. Monticolae quoque Tivilam prope civitatem

ab omni censu, et novis, antiquisque agrorum vectigalibus liberavit 13. Martii 1772., et denique prohibuit agriculturalium filios famulosve ad rem agrariam necessarios in supplementum legionibus adscribi 24. Febr. 1764. §. 24. Favore quoque agriculturae transversa et compendiaria itinera per aliena praedia prohibentur generali lege 9. Jul. 1773. §. 12.

Favor agricolarum, qui in omnium fere ore est, et quem ipsae Regni leges verbis multis commendant atque exaggerant, nihili profecto valet, si impedimenta, quae obstare videntur, e medio non tollantur: praecipua autem sunt tributa supra modum, et nobilissimae Artis, quam iidem profitentur, ignorantia, illorumque ex his nata paupertas, quae necessario contentum parit.

Sesmariae, *ut aiunt*, *leges.*

§. III. In primis autem hanc in rem speciali memoria dignae sunt leges illae agrariae celeberrimae, quas in specie de *sesmaria* Regiae Ordinationes adpellant, quae nimirum originem suam praesertim debent Dionysio, et Ferdinando Regibus, et Emmanuelis Codice habentur lib. 4. tit. 67. Philipp. tit. 43., Alphons. tit. 81. eod., de quibus jam alibi diximus (Hist. Jur. Civ. Lusit. §. LXI.).

Sesmaria, *et sesmeiros quid.*

§. IV. *Sesmarias* agros eos dicimus, qui alicui, ut iisdem curam adhibeat, publica auctoritate traduntur: eos vero, qui agris praeficiuntur, illorumve curam habent, censitores, peraequatores seu *Sesmeiros* adpellamus. Rusticos hos Magistratus, quia scilicet rei rusticae curam habent, quemadmodum reliquos omnes, solius Regis est creare; itaque hoc munere officioque, si qui ad illud



obeundum specialiter non deputantur, utuntur in terris Regum propriis Regii Quaestores, seu *Alno-xarifes*; in aliis ipsi iudices ordinarii loci, seu foranei, Ord. lib. 4. tit. 43. in princip., et §. 5.

Cura rei agrariae non his tantum Censitoribus, sed praecipue Decurionibus antiquis novisque Regni legibus fuit demandata, Ord. lib. 1. tit. 66. §§. 25. 26. 27. 28. 29., Emman. tit. 46., Alphons. tit. 27. Hodie illius praesertim augendae ac promovendae gratia Senatus quam amplissimus Regia in urbe institutus fuit 5. Jun. 1788.

### *Poenā agros non colentium*

§. V. Quicumque igitur agros, natura sua peribonos, incultos et desertos derelinquerint, vel eos cultura diligenter meliores efficere non curaverint a Magistratu admoniti, si intra annum illorum curam non susceperint, dominium et reliqua jura amittunt, iique sub certo tempore et poena aliis excolendi committuntur, Ord. lib. 4. tit. 43. §§. 1. 2. 3. 4 7., quae quidem in immobilibus semper locum habet, veluti olivetis, vineis, terris ad rem frumentariam habilibus, cet., §. 8., quamvis ad minores, pupillos, capellas, collegia, hospitalia, vel confraternitates spectent, §. 6., ad viros Patricios, et in civitate primarios, §. 1. in fm.

### *De silvis, et pascuis.*

§. VI. Hac vero lege vel maxime continentur vepretum, fruticetum, et loca denique omnia inculta, cruda, et derelicta, dummodo terra non sit admodum exilis et cariosa, et insigne inde detrimentum non sequatur civitatis, vel loci incolis, Ord. lib. 4. tit. 43. §§. 9. 10. 11. 12. 14.: terris autem hujusmodi nova onera et tributa imponere prohibet eadem Ordinatio §. 13.

Silvae et pascua omnia ad loci Senatum proximiorum et illius incolas spectant, non ad Rempubicam, neque ad loci dominum temporalem, si eidem non fuerint adsignata, Ord. lib. 4. tit. 43. §§. 12. et 15. Quare Senatus tamquam illorum dominus eadem poterat, nisi lex aliqua specialis obstaret, cuicumque vel in locationem, vel in emphyteusim dare, Ord. lib. 1. tit. 66 §. 17. Hodie tamen agri inculti et pascua ad Concilium urbis pertinentes de Palatii tantum Curiae licentia in emphyteusim dari possunt, Extravag. 23. Jul. 1766. §. 2.

*Eorum cultura Praetoribus, et Decurionibus de-  
mandata.*

§. VII. Praetoribus Provinciarum leges nostrae, injungunt, ut locis desertis et sterilibus pinus habilibus reliquas arbores meliores inserant, Ord. lib. 1. tit. 58. §. 46., itemque Decurionibus, Ord. lib. 1. tit. 66. §. 26., deducta ab Extravag. Sebastiani Regis 3. Octobris 1565. apud Leonem 4. p. tit. 17. l. 22.; neque aliter de iudicis exercitiis ratio in suprema Palatii Curia expeditur, Extravag. 11. Martii 1716. Collect. II. ad Ord. lib. 1. tit. 60. N. 19.

*De nova Magni Pará et Maranonis cultura.*

§. VIII. Ad Provincias quod adtinet, Regimen exstat datum Magni Pará et Maranonis incolis a Francisco Xaverio Mendonça Furtado, illius imperii Governatore, 3. Maii 1757., quod Josephus I. Rex Fid. confirmavit 17. Augusti 1758., in quo multa praeclara de agricultura habentur §. 17. usque ad §. 35. in Adpend. legg. Extravag. N. 122. pag. 241., itemque de politica, et commercio, quae referre necessum non est.

*Et patentium agrorum, seu lezirias.*

§. IX. Ad campos autem patententes quod adinet, seu *lezirias*, quos scilicet Tagus noster exundans fecundat, multum certe illorum culturam juvat providentissima Josephi I. lex 20. Julii 1765. Qua inter alia cautum §. 1., ut quotannis agricolae sex praecipui Deputati eligantur, qui de agris et fossis una cum eorum Regio Provisore curam habeant.

Hanc tamen in rem vel maxime spectant Regimina 26. August. 1568., et 24. Novembr. 1576. data tom. I. Collect. Manescal. pag. 261. et seq.

*Lex quaedam frumentaria.*

§. X. Lege frumentaria 26. Octobris 1765. §§. 1. 2. 3. 4. 5. Josephus I. decrevit, ut e locis Regni totius patentibus, frumento certe magis habilibus vineae extraherentur, et quod aggeribus, et duorum in primis ordinum arboribus Tagi, Mundae, et Vaccae fluminum insulae munirentur, itaque hanc in rem de novo firmavit ea, quae jam antea statuerat Ord. lib. 5. tit. 75. §. 1., Emman. tit. 100., et Extravag. 17. Martii 1691. apud eandem Ordinationem Collect. 1. N. 1.

Agros patententes magis frumento, quam vineis habiles esse tradunt rei rusticae scriptores, quorum hic auctoritas, et experientia praesertim agricolarum, pluris, quam legum ipsarum facienda est. Res enim agraria paucas, sed simplices leges desiderat, quas frustraneas paene dicerem, nisi prius agrorum cultores informentur, et de earum vera utilitate convincantur. Quare institutio Academiarum, et Societatum Oeconomicarum in locis Regni insignioribus, vel saltem in omnibus Provinciis, et libelli bene sapienterque dispositi, et populi captui adcommodati, qui principia Artis nobilissimae distincte et perspicue tradant, et nostros usus, abusus, et vitia

aratorum<sup>7</sup>, et legum fortasse demonstrent, magis agriculturam juvare et promovere possunt, quam sexcenti publicarum legum Codices. Nostram autem incuriam vel adusare, vel excitare inter alios debent Castellani vicini, quorum maximum studium ac diligentiam satis quidem ostendunt celebris *Cumpomanes* doctissimi, quos hac de re scripsit, tractatus varii, qui per omnium manus versantur: sed tamen nos egregia multa sperare jubemur ab Olisiponensi Scientiarum Academia anno 1779. fundata repetitis Memoriiis publicae jam luci datis: quas inter ea praesertim habenda, quam pro Transtagana Provincia ordinavit vir adprime doctus, Antonius Henricus Silveria, Publicus et Primarius Juris Canonici apud Comubricensem Academiam Professor. Sed haec satis superque, cum instituto nostro haud convenient. Jam vero dicta lex 26. Octobr. 1765. declarationes quasdam adcepit literis Reginae nomine ad Curiam Regii Patrimonii datis 13. Januar. 1779. et Reg. Decret. 5. August. eodem. Foro etiam frumentario Olisiponensi, jam ab antiquis temporibus frumento publico recipiendo instituto, novum Regimen Regina ipsa Fid. dedit Regio Diplomate 12. Junii 1779., eoque abrogatum, quod paulo antea ordinaverat Josephus I. 24. Jan. 1777.

### *De agrorum custodibus, seu jurados.*

§. XI. Frustraneae vero leges omnes essent, nisi earum executionem et curam quisquam susciperet. Quare Decuriones, seu *Vereadores*, boni publici, et popularium rationum procuratores re ipsa sunt, qui multum super agrorum culturam et fructuum conservationem invigilare debent, Ord. lib. 1. tit. 66 §. 25.; ideoque illorum est e plebeio ordine homines eligere, quos proprio vocabulo *jurados* dicimus, quibus frugum, messium et agrorum custodiam committant, Ord. eod. lib. et tit. §. 6. Aetilibus nostrae etiam leges injungunt, ut super hac re Decuriones commonefaciant, Ord. dicto lib. 1. tit. 68. §. 8. in fin.

*De mulctis agrariis.*

§. XII. Poenarum genera multiplicia statuta iis sunt, qui in has oeconomicas, municipales, vel generales leges delinquent. Nam I. speciale est, quod unius testis dicto agrarias mulctas quisquam persolvere teneatur, Ord. lib. 1. tit. 66. §. 27. Deinde II. qui dolo, et ex proposito agrorum fructibus pecoribus suis damnum adferunt, exsilii poenam incurrunt, Ord. lib. 5. tit. 87. in princ., Emman. tit. 85. (Inst. Jur. Crim. Lus. Tit. VII. §. IX.), de iisque iudices quotannis ex officio inquirere debent, Extravag. 12. Setembr. 1750. Adpend. N. 27. Neque praeterea Commendatores, Adparitores Maximi, iique, qui temporalem jurisdictionem habent in pascuis loci communibus, cujus domini sunt, nisi peculiari jure ad eosdem adtineant ei de licentia Provinciae Praetoris pecora habere possunt; fieri enim potest, ut noxam incolis adferant, neque quisquam facile eisdem agrarias mulctas irrogabit, Ord. lib. 5. tit. 87. §. 2., deducta ex Joannis III. lege Comitiorum anno 1538. apud Leon. 4. p. tit. 6. l. 3., itemque eadem ratione Scribae Aedilium, Senatus, vel judiciale, Extravag. ejusdem Joannis III. apud eundem Leon. ibid. l. 4. et Philippi III. 12. Maii 1615. Collect. I. ad Ord. lib. 5. tit. 87. N. 3.; quapropter qui pecora e septis, id est, custodia, iis detinendis publica auctoritate instituta, extrahit, exsilii quadam poena, licet mitiori, et pecuniaria punitur, Ord. dicto lib. 5. tit. 87. §. 3., Emman. tit. 62. §. ult. eod. lib. (Inst. Jur. Crim. Lus. Tit. IV. §. XI.).

*De pecudum abactoribus.*

§. XIII. Quia vero agrorum cultura vix ulla esse potest, nisi magna adsit majorum et mino-

rum pecudum copia, ideo gregum abactores, qui pecudes e Regno ad aliud transportant, exilio in Brasiliam adficiuntur, et omnium bonorum jacturam faciunt, Ord. lib. 5. tit. 115. in princ.; de iisque quotannis judices ex officio inquirunt, dict. Ord. §§. 25. 26. 27. 28. et 29. Et hac de causa, ut facilius crimen hoc evitetur, quicumque intra decem leucas a Castellae limitibus vixerint, debent mensibus Aprilis, Maii, aut Junii majores et minores pecudes, ovibus tantum exceptis, in senatu loci censere, Ord. §. 4., quibus describendis ejusdem Scriba specialem librum ordinatum habeat, ead. Ord. §. 9., et lib. 1. tit. 71. §. 8. Eadem ratione pecudum quoque venditiones, et transportationes prohibentur ultra fines civilis jurisdictionis, seu territorii, nisi prius vicinitatis literae a Senatu loci obtineantur, Ord. lib. 5. tit. 115. a §. 10. usque ad §. 24.; itemque illorum locationes, Ord. lib. 4. tit. 69. in princip.

Ord. lib. 5. tit. 115. plura addidit iis, quae Emmanuel constituerat lib. 5. tit. 89. §. 5. et seq., et fere desumpta fuit ex legibus Extravagg. Joannis III. 14. Augusti 1527., et capitulis quibusdam Comitiarum anni 1538., et Sebastiani praesertim lege 18. Julii data anno 1564. apud Leonem 4. p. tit. 6. l. 12. Vicinitatis literae, de quibus dicta Ordinatione et alibi mentio fit, multum quidem Commercii utilitatem et gyrum retardant; sed magis eidem impedimento sunt (nec mihi vera loqui pudor est) Ord. lib. 1. tit. 58. §. 35., lib. 5. tit. 76. cet., quae prohibent frumenti et olei in eodem loco emtionem venditioneinvē; itaque intelligenda ad mentem sensumque Decret. 12. Decembr. 1774. §. 1. Mercatus enim liber esse debet intra Regni limites, et liberae ubique venditiones et transportationes. Liberum tamen esse non debet praedictorum dominis antiquos colonos, qui re locata tanquam boni patresfamilias utuntur, et mercedem conventam statutis temporibus solvunt, indicta causa, et propria auctoritate expellere, Decret. 21. Maii 1774., Resolat. 6. Novembr. 1770., Dipl. 20. Jun. 1774. Abigei, id est, qui pecora ex pascuis, vel ex arpentis subtrahunt,

subtrahant, et quodammodo deprædantur, nulla speciali poena, sed tamquam reliqui fures apud nos puniuntur (Inst. Jur. Crim. Lus. Tit. VI. §. XV.): secus de pecudum abactoribus, qui ex Regno ad aliud transportant.

*De termino moto.*

§. XIV. Campos limitibus signare Regium jus est, ideoque apud nos ad eosdem definiendos Palatii tantum Senatores diploma concedunt, prout habetur illorum Regimine §. 41. Qui vero terminos publica auctoritate constitutos movent, modo flagellatione et in Africam exsilio, modo simplici exsilio tantum puniuntur, Ord. lib. 5. tit. 67, Emman. tit. 95., Alphons. tit. 60., deducta fere ex Hadriani Rescripto, et ex quadam Cali Caesaris agraria lege apud Callistratum l. 2. et 3. D. *de termino moto*, (Inst. Lib. IV. Tit. IV. §. VIII., Inst. Jur. Crim. Lus. Tit. V. §. V.).

*Forales leges, et quae earum indoles.*

§. XV. Enimvero legis agrariae nomine vel maxime veniunt antiquissimae leges censuales, seu forales, quas ultimo tandem Ferdinandi Pinae opera in ordinem redegit, et universo Regno demum praescripsit Emmanuel Rex invictissimus; eas autem referre hujus loci non est. Duo tamen, antequam hinc recedam, hac in re animadvertenda duco. *Primum*, eam esse earum legum indolem, ut non plus oneris imponere possint agris, et eorum possessoribus, quam ipsa illorum natura fert; itaque tolerari in Republica non possunt census, et vectigalia, quae totum fere rei emolumentum absolvunt; quod fit, quando videlicet, iis deductis, vix quidquam superest ad culturam agrorum, et agri-

colarum victum; et hanc quidem regulam firmavit Josephus I. lege novissima 16. Januarii 1773. §. 5.

In omni Civitate census et vectigalia omnia pro fundamento aequitatis habent publicam utilitatem, et civium vires ac facultates: et inde duo haec efficiuntur: I. ut ea imponendi, vel exigendi jas praeter Regem, vel eum, cui Rex illa donavit, habeat nemo: II. ut ea non nisi pro modo facultatum imponi et exigi debeant; licet enim in re trepida, nova et insolita angere multum possint, tamen ordinaria, quae in singulos annos Regiae Coronae, aut ex illius donatione Monasteriis, Regni Magnatibus, cet., solvuntur, justam omnino proportionem exigunt et aequalitatem. Unde consequitur, ut terra, quae cum centum retro annis pinguis esset, itaque commode pro decem tritici v. g. mediis duos legibus foralibus statutos persolvere posset, si modo quaecumque ex causa (excipio ignaviam habitatoris) sterilis et exilis efficiatur, vix hodie ad modii, vel sesquimodii solutionem teneri potest. Et hac potissimum ratione Josephus I. providentissimo Edicto 16. Januarii 1773. immoderatos census in Algarbiorum Regno vel omnino extirpavit, vel ad justam proportionem pro modo et ratione reditum redegit; itaque statuit §§. 3. et 6., nullum censum valere ultra quincunces usuras; quam legem hac in re non dubitarem extendere ad Regni totius Provincias. Eandem paulo postea Rex ipse Fid. declaravit 4. August. 1773., et census omnes illo in Regno, cum multum essent immodici, ad tertiam partem reduxit.

*Nunquam, quod eisdem non continetur, exigi potest.*

§. XVI. *Alterum*, quod summe notandum duxi, illud est, non alios census et praestationes exigi posse, quam quae diserte in foralibus legibus continentur. Cui consequens, I. ut si in forali tritici census mentio fiat, perperam inde inferri hordei quoque, vel milii deberi: II. ut pro frumenti censu, cujus tantum facta mentio fuit, non bene olei substituatur, licet agricola, ut censum subterfugiat, olivas inserere videatur: III. quod census



denique non nisi ex lege scripta, seu forali, et nequaquam ex consuetudine utut immemoriali debeat, Ord. lib. 2. tit. 27. §. 3., et tit. 45. §§. 34. 35. 36. 56., et lib. 1. tit. 66. §. 14.

In contraria ire videtur eadem Ord. lib. 2. tit. 27. §§. 1. et 3., deducta ab Extravag. Emmanuel. lege 21. Maii 1520., apud Leonem 5. p. tit. 7. l. unic., et census ipsos adprobare vel ex forali, vel consuetudine immemoriali. Verum ego legem hanc intelligo: I. de ea consuetudine, quae jam Emmanuelis Regis tempore, quo forales leges conditae fuerunt, immemorialis erat, prout bene inferitur ex verbis textus, ibi: *Se pot o dito tempo immemorial stavão em posse . . . porque os que ate então não levarão . . .* et ibi: *E isto porçim se entenderia nos que já stavessem em posse immemorial de as levar.* Hanc vero possessionem objiciens probare utique debet non testibus, qui de tam longissimo tempore non possunt deponere, sed vetustissimo aliquo instrumento, seu scriptura. II. Si quidem ea, quae ex immemoriali consuetudine quasi debita petuntur, in alio consimili forali Codice contineantur, eadem Ord. §. 5., *ou per posse immemorial conforme a outros foraes; et §. 1., conforme aos lugares seus semelhantes e comarcões.* III. Possessionem immemoriam ex hac Ordinatione admittit ultra vel praeter foralium legum verba, si foralis ipse praeter eos census, quos statuit ac definit, adprobaverit expresse consuetudines immemoriamales circa aliarum praestationum genera. Et hoc modo intelligi quoque debent verba ejusdem Ord. in vers. *Assi quomo* usque ad vers. *E isto.* Denique cum novum censum imponere, vel exigere possit nemo, et loco frumentum oleum petere novum re ipsa census genus sit, vix dubito, quod agricola, qui arbores terra sua inseruit, earum vectigal nulla lege forali definitum solvere teneatur. Quare hoc casu ad Principem omnino recurrendum est, neque enim privatus quicumque iudex potest hanc substitutionem admittere et adprobare; et ita ego existimo, contrarium licet non semel judicatum referat Georgius Cabedus *Arest.* 25. et 90.

## TITULUS VIII.

### De commercio.

#### *Commercii laudes.*

§. I. **N**ULLA sine commercio civilis societas vel fingi, vel cogitari potest. Quare Lusitani nostri illius et necessitatem et utilitatem non poterant omni tempore non agnoscere. Initio certe eorum commercium multum rude erat, quemadmodum aliorum populorum; sensim tamen, ut fit, et paulatim adeo increbuit, ut hac quidem in re reliquas Europae nationes vel omnino aequare, vel non longe ab eis distare viderentur; itaque progressu temporis, tot sapientissimis providentissimisque mercatoriis legibus latis, eo tandem res devenit, ut mercaturam jamdudum, et nostra in primis aetate ad systema artemque redactam videamus.

#### *Brevis illius in Lusitania historia.*

§. II. Frustra quis a me expectet commercii Lusitanorum, vel legum omnium ad ipsorum negotiationem adinentium historiam, Praefationis loco illud tantum tenendum, vetustissimis temporibus nostros homines commercia sola permutatione exercuisse, Plin. lib. III. cap. 1. et 3., Strab. lib. III. *rerum Geographic.*, ab ea namque contractus omnes initium duxerunt, Paulus in l. 1. D. *de rerum permutat.* Romanorum postea jure una cum eorum imperio in Lusitaniam introducto, populi terrarum principis mercatoriis legibus Lusitani vixerunt; iisque e Romana gente non nullas primus dedit Julius Caesar anno ab U. C. 694., cum debitorum, et cré-

ditorum disceptationes amice sedavit, et inter alia decrevit, ut ex illorum bonis creditor duas partes singulis annis desumeret, reliquis dominus, quoad aeri alieno satisfacisset, frueretur. *Vas. Chron. Hisp. cap. XII.* Romanis his legibus Gothicae successerunt, quae in Codice Gothico habentur lib. V. tit. 2. 3. 4. 5. et 6., et Gothicis denique nostrae. Nam segregata tandem a reliqua Hispania Portugallia, Alphonsus II. in Comitibus Copimbricensibus anno 1211. antiquis commerciorum legibus plures addidit humanitatis, aequitatisque plenissimas, quibus contractantes praesertim in venditionibus, ceterisque contractibus omnes aequavit. Alphonsus III. mundinas, publicosque mercatus certis diebus instituit; Dionysius filius, et Alphonsus IV. plures postea leges addiderunt; easque in Codices singuli suos Reges Alphonsus V., Emmanuel, et Philippus II. redegerunt. Certe a Joanne I. ad Emmanuelem invictissimum praecipua est Lusitanarum negotiationum periodus inchoanda; quamvis Lusitani ne hoc quidem tempore commercii eximiam artem, et omnes illius utilitates agnoverint; id enim erat feliciori, quo vivimus, saeculo reservatum. Et haec satis superque pro instituto nostra.

### *Tractationis ordo.*

§. III. Non ergo hic intendimus Lusitanorum commercii originem, progressumque ostendere; neque modo quaerimus de pacti, et contractus natura, ac diversitate, ceteris, quae ad jus privatum, et ad tractatum de rebus; vel obligationibus pertinere arbitramur. Quare de generalibus tantum commerciorum legibus, de earum aequitate et justitia, de jure commercii singulari, et societatibus mercatoriis inquirendum a nobis est; non nulla etiam edisserere juxabit de numo, praecipuo com-

mercii iustrumento, et rerum omnium fortissimo gerendarum nervo; et haec est rerum hoc titulo tractandarum summa.

*Voluntas praecipua in omni contractu lex.*

§. IV. Hac itaque in re generalis illa et summa lex est, quam universum jus Naturale, Romanum, et Patrium inculcat, voluntatem scilicet contrahentium et legem, et nomen contractibus dare; l. 19. D. de pactis, Ord. lib. 4. tit. 8. §. ult. in fin. Ejusdem prorsus generis alia lex est, quae facultatem negotiandi omnibus concedit. Et hinc nimirum ortum habent diversa negotiationum genera et societates, commercii libertas, varia contractuum nomina, species et jura, quae profecto omnia non aliunde, quam ex diversa contrahentium voluntate, et ex eo jure, quod unicuique, circa res suas competit, proficiscuntur.

*Non libera tamen omnino, sed civitatis juri sub-  
jecta.*

§. V. Permissivum vero hoc jus, ne in illius unquam usu cives a justo tramite deviarent, leges nostrae certis regulis, formulis et limitibus incluserunt, quibus vel naturam contractuum, et eorum justitiam ac aequitatem declararunt, vel rerum quarumdam commercium aut promiscue omnibus, aut certis tantum hominibus interdixerunt. De singulis more nostro solliciti erimus.

*Contractus ad certam usque summam non nisi per  
publicam scripturam probantur.*

§. VI. Contractuum omnium, et obligationum tam contrahendarum, quam distrahendarum gene-

ralis ea apud nos lex est, ut si super bonis immobilibus celebrantur, quae quatuor milia numerum, et mobilibus, quae sexaginta millia summam excedant, probari minime possint per testes, vel privatas scripturas, neque civilem obligationem in judicio producant ne ad minorem quidem quantitatem, nisi publico instrumento a Tabellione confecto muniantur, Ord. lib. 3. tit. 59. in princip., et §§. 1. 2. 3. 4. 9. et 24. Et hoc modo leges nostrae et contrahentium, et testium fraudibus occurrere voluerunt; itaque quae olim Romanos ratio movit, ut ex nudo pacto actionem denegarent, et in stipulationibus, reliquisque contractibus solennia quaedam et concepta verba introducerent, eadem fere Reges nostros sponte sua impulsisse videtur, ut legem de contractibus non nisi scriptura publica probandis saluberrimam ferrent.

Saluberrima haec Ordinatio tit. 59. lib. 3. auctorem habet Ferdinandum Regem, et ex illius lege, omnino videnda apud Ord. Alphons. tit. 64., desumpta fuit.

*Neque tamen ideo jure nostro improbantur.*

§. VII. Leges vero nostrae hujusmodi obligationem tamquam inhonestam et turpem non improbant; quippe intactam omnino relinquunt obligationem naturalem: ideoque ei, qui solvit, et contractum pro sua parte ultro adimplevit, nunquam repetitio, *condictiove indebiti* competit: debitum namque revera persolvit, ll. 10. 13. 14. 60. *D. de condict. indeb.*, Ord. lib. 4. tit. 48. §. 4.: itaque actionem tantum, vel exceptionem civilem denegant, et probationem per testes, aut chirographum privatum, si contractus summam praesertam excedat. Quare bene poterit iudex jusjurandum judiciale reo ad Actoris petitionem deferre, vel e

contrario, Ord. lib. 3. tit. 59. §§. 5. 6. 7. 8., et quando privata scriptura offertur, debet ex officio a nemine licet rogatus illius auctorem inquirere, eumque, si eandem neget, absolvere; si agnoscat, condemnare, Ord. lib. 3. tit. 59. §. 10., et tit. 52. §. 3. in fin. eod. lib. Quae omnia nunquam certe locum habuissent, si contractus esset a jure improbatu.

*Aliquando autem bene possunt jure communi probari.*

§. VIII. Haec autem quamvis vera sint, non nunquam tamen evenit, quod testes, et privata scriptura fidem in judicio faciant et probationem, utut contractus summam lege praescriptam excedat. Quod fit I. ex qualitate negotii, veluti in accessoriis societatis, si de eadem scriptura antea facta adpareat, Ord. lib. 3. tit. 59. §. 13.: in census, vel aedium locatarum pensionis solutione, §. 14.: in vestimentorum, et aliarum rerum, quae suppellectilis nomine veniunt, commodato, §. 16.: in rerum venditionibus, quae per proxenetas celebrantur, §. 19.: in honorum immobilium unius anni locatione, §. 23.: in quasi contractibus, §. 22.: et in rebus, quae ex India, vel transmarinis Provinciis exportantur, §. 17., et §. 2. tit. 51. lib. 1., deducto ex Joannis III. Extravag. 9. Junii 1553. apud Leonem 1. p. tit. 13. l. 2. II. Ex contrahentium conjunctione, veluti inter patrem, vel matrem, et filium, filiamve; inter generum, et socerum; inter fratres, patruales, patruum, vel avunculum, Ord. lib. 3. tit. 59. §. 11. III. Ex eorum dignitate, veluti si fuerint Regiae domui addicti, vel Equites, vel Doctores, cet., quorum meminit eadem Ordinatio §. 15. Illud vero non omittendum, quod hujus legis quandoque magna ex causa vacationem concedat Palatii Curia, quando videlicet contractus quanti-

fatem eadem lege definitam non multum excedit, ut constat ex ejusdem supremæ Curiae Regimine §. 76.

*De contractibus dolosis.*

§. IX. Dolum, simulationem, et laesionem in omni contractu leges nostræ prohibent; itaque nullus a principio et invalidus est, vel postea actione, vel exceptione doli infirmendus (quod in effectu, et re ipsa idem prorsus importat) contractus quicumque dolo malo initus: neque distinguimus inter dolum incidentem, vel eum, qui causam contractui dedit, et inter contractus bonæ fidei, vel stricti juris; nam generaliter qui alium circumvenit, et dolo ad contrahendum adegit, nulla adversus eum efficaci actione experiri potest, Ord. lib. 3. tit. 34. §. 1., Emman. tit. 25., Alphons. tit. 32. Ad dolum vero probandum testes, quin et conjecturæ sufficiunt; quod verum quidem est, et locum etiam iis in negotiis habet, ad quorum probationem leges publicam exigunt scripturam, Ord. lib. 3. tit. 59. §. ult.

*Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumvenien- dum, fallendum, decipiendum alterum adhibita, l. 1. §. 2. D. de dolo malo: quare ab omni contractu abesse debet; adversatur enim non solum bonæ fidei, qua inter bonos bene agere oportet, sed etiam voluntati et consensui, quod et ipsi Jureconsulti Romani agnoverunt, l. 15. de jurisdict., l. 116. de reg. jur., et similibus; quamvis non omnia negotia dolo malo contracta, veluti stricti juris, sed bonæ fidei tantum nulla esse crederent, si nimirum iisdem celebrandis dolus malus causam dedisset, l. 7. in princ. et §. 3. de dolo malo, l. 2. §. 5. de dol. mal. except., l. 36. de verb. oblig., ll. 5. et 8. Cod. de rescind. vendit. Ego vero cum Schilter. ad Dig. Exerc. 11. Thea. 20. receptam jure Romano distinctionem inter bonæ fidei, et stricti juris contractus hodie non agnosco, et nihili facio; existimo enim contractus omnes inter nos bonæ fidei esse, et aequè nullos*

a principio, vel postea infirmandos, sive dolus iis incumdis causam dedisse, sive in contractum incidisse dicatur; et hæc, ni fallor, sententia est nostræ Ord. lib. 3. tit. 34. §. 1., et lib. 4. tit. 71. in princip.; distinctiones quippe hujusmodi ex subtilitatibus Romanorum, et ex propriis Jurisprudentiæ suæ rationibus profescuntur.

*Et simulatis.*

§. X. Dolo multum proxima est simulatio. Quare contractus simulati in fraudem alicujus in iure nostro non subsistunt, et contrahentes præter rei ipsius, vel ejusdem aestimationis jacturam in Brasiliam, vel in Africam relegantur, Ord. lib. 4. tit. 71., Emman. tit. 15. eod. lib.

Parum adcurate C. Aquilius Gallus apud Cicer. *de Offic.* III. 14. dolum malum definit, cum aliud simulatur, aliud agit; nam proprie dolum pro palam fit, et magis in committendo, quam omitteudo consistit, simulatio non item. Ea quoque, et quidem præcipua dolum inter et simulationem jure nostro differentia est, quod dolum eam fraudem et machinationem significat, qua quisque adversus eum, quocum contrahit, utitur; simulatio vero eam fraudem et collusionem non ad contrahentes mutuo se decipiendos, sed ad creditores circumveniendos adhibitam. Jam vero certum est, quod non minus puniri debent gesta in fraudem creditorum, aliorumve, quibus quidquam jure perfecto debetur, quam in fraudem pauciscentium: quare si contractus simulatus ab initio nullus est, propterea quod dolum malum et creditorum fraudem continet, Ord. lib. 4. tit. 71., nullus et injustus haberi etiam debet contractus dolosus in specie dictus. Ord. lib. 3. tit. 34. §. 1.

*De læsione immoderata in contractibus.*

§. XI. Læsio quoque contractum injustum reddit, eumque rescindit, quavis dolus, vel simulatio absit, dummodo immodica sit, et dimidiam justæ rei aestimationis partem excedat; non



enim ex quacumque laesione leges nostrae contractus rescindere voluerunt, ne in immensum ex cresceret litium numerus, Ord. lib. 4. tit. 13., Emman. tit. 30., Alphons. tit. 45. Neque distinguimus inter laesionem enormem et enormissimam quoad hunc effectum, sed tantum quoad fructuum restitutionem, Ord. dict. lib. 4. tit. 13. §. fin., inter judicialem et extrajudicialem, §. 7., inter contractuum genera, §. 6., vel inter ipsos denique contractus, iis exceptis, quorum meminit ead. Ord. §. 8.

Hoc beneficium, quod vulgo adpellant *legis secundae Cod. de rescind. vendit.* Diocletianus et Maximianus ejusdem Auctores venditori tantum ibidem concesserunt. Illud tamen ex illorum mente et sententia, et ex humanitatis ratione, qua illud subnixum fuit, ad eantem, et reliquos contractus non omnes civilis juris Interpretes produxerunt; qui vero ii sint, inter ipsos non constat. Quia vero meum nequaquam est illorum opiniones referre, sufficiat hęc in re duo hęc adnotare: I. distinctiones inter laesionem enormem et enormissimam confictas nullum in legibus Romanis, aut Patriis praesidium habere, sed duntaxat ex vulgari Doctorum opinionibus derivari; ex quorum auctoritate etiam fluxit differentia circa restitutionem fructuum, quam Ordinatio adponit dicto lib. 4. tit. 13. §. ult. in fin. II. Jus nostrum contractus hujusmodi rescindere non solum quia id humanum est, quae ratio tantum Imperatores Romanos movit, sed vel maxime quia incivile esse putavit in bene composita Civitate tantam immoderatam laesionem tolerare; quae ratio cum publica sit, inde efficitur: I. contractus non posse huic beneficio renuntiare, dict. Ord. lib. 4. tit. 13. §. 3; II. illud in donationibus, transactionibus, amicis compositionibus, et generaliter in omnibus contractibus locum habere, §. 6. (Inst. Lib. IV. Tit. II. §. XV.); III. et vel maxime in contractibus judicialibus, et venditione ipsa necessaria, §. 7. a princip. usque ad vers. *Porro*, ubi una hujus regulae exceptio adponitur; sancta enim sunt judicia, et ab eis laesio quaecumque longe abesse debet. Hęc vero omnia, et fortasse alia, quae suo loco (Inst. Lib. IV. Tit. III. §. XVII) dicemus, singularia sunt contra vel praeter Juris Civiles rationem introducta.

*Contractus, qui naturali, vel civili juri adversantur, non valent.*

§. XII. Jure quidem nostro vel maxime improbantur contractus, qui vel honestati et rationi naturali, et bonis moribus repugnant, Ord. lib. 4. tit. 70. §. 3. in princip.; et huc inter alia pertinet pactum de non rescindendo contractu ob immodicam laesionem, Ord. lib. 4. tit. 13. §. 9., de non revocanda donatione ex causa ingratitude, Ord. lib. 4. tit. 63. §. 10., de *quota litis*, Ord. lib. 1. tit. 48. §. 11., et de non appellando ab arbitratorum sententia, Ord. lib. 3. tit. 16. in fine princ.; cet.: vel quae civilis, et constituti juris rationi et ordini adversantur, veluti pactum, quod non solvente debitore tempore constituto, eo nec citato nec audito, in ejusdem bonis executio fiat, Ord. lib. 4. tit. 72., Emman. 4., Alphons 7., stipulatio clausulae depositariae, ut appellent, quae sententiae, et menti praefatae Ord. lib. 4. tit. 72. omnino repugnat; quare illius usus et praxis fere omnino improbat generalis lege 31. Maii 1774. Valet tamen pactum, ut in carcerem debitor conjiciatur praestituto die non solvens, illud quippe expresse approbat Ord. lib. 4. tit. 76. §. 2.; minus enim constituto judiciorum ordini obstare videtur. Pactum quoque *legis commissoriae* in pignore improbat. Ord. lib. 4. tit. 56. Nullius etiam momenti est pactum illud, quod colonum, et debitorem alium quemcumque ad certum diem non solventem, creditor propria auctoritate expellere possit, aut pignerari, Ord. lib. 4. tit. 23. §. ult., et tit. 57. eod. lib., Emman. tit. 5. Atque haec tantum indicasse sufficiat.

Bonae fidei debitores cum pro aere alieno tam civili quam criminali publicis carceribus mancipari non po-

hinc, nec retineri post Nov. Const. 20. Jun. 1774. §. 19.; et Senatus solennem deliberationem ad eandem habitam 18. Aug. eodem anno, inutile hodie est et beneficium cessionis bonorum, quod adprobavit Ord. lib. 4. tit. 74., Emman. lib. 3. tit. 89., Alphons. 121. (Inst. Lib. IV. Tit. XXII. §. XVIII.), et pactum, ut in carcerem coniciatur debitor non solvens praestituto die, adprobatum Ord. tit. 76. §. 2.

*Neque qui jurejurando celebrantur.*

§. XIII. Ceterum contractus quicumque jurejurando *promissorio*, ut adpellant, celebratus nullus est, Ord. lib. 4. tit. 73., Emman. tit. 3., Alphons. tit. 6. eod. lib.: similis apud Hispanos lex exstat lib. 3. Ord. tit. 1. l. 6. Et huic quidem legi occasionem dedit Decretalistarum doctrina, qui sub praetextu juramenti causas mere civiles ad forum ecclesiasticum traducere non dubitarunt, cap. 13. X. *de judic.*; cap. ult. *de for. compet.* in 6.

*Neque contractus usurarii.*

§. XIV. Contractus usurarios quam maxime leges nostrae improbant, et multiplici poenarum genere foeneratores adficiunt, quae exstant Ord. lib. 4. tit. 67. in princ.; Emman. tit. 14., Alphons. 19. Quia vero certis in casibus usurae licitae sunt; et certus earum exigendarum modus Patrio est jure definitus, non alienum fore arbitror, priusquam eo deveniam; generalia quaedam, quantum institutum nostrum patitur, de usuris praelibare.

*Quid usura, quo jure, et ratione prohibita.*

§. XV. Usuram dicimus *quidquid solvitur pro usu rei, alicui ex justa causa debita, quae pondere, numero, et mensura constat*; adeoque in

quantitate, seu abusu consistit. Talis usura neque jure naturali, neque divino, neque humano est prohibita, si immoderata non sit, neque justam excedat usus aestimationem; namque idem in mutuo est usura, quod merces in locatione; itaque non minus licita. Cum enim debitor aliena pecunia utatur, et inde commodum capiat, creditor autem et re sua careat, et periculum haud leve non semel sustineat; quid obstare potest, quominus modicas usuras stipulari possim ab homine praesertim, quocum nullam conjunctionem amicitiae, necessitudinisve habeo, qui pecuniam non ad humanas necessitates sublevandas, sed ad negotiandum extorquet?

Nondum liquet quo jure prohibita sint usurae. Grotius *de jur. bell.* lib. 2. cap. 12. §. 20. existimat jure naturae vetitas esse, et non dubitat adserere hanc esse receptiorem sententiam: contra vero eandem jure naturali licitas esse contendit Henricus Cocceius in *Disput. de Anotocismo* §. 5. usque ad §. 18., et in Notis ad eundem Grotium adpositis §. 20. Alii aliter: nos ita censemus, usuras modicas, quae scilicet usus aestimationi respondent, licitas omnino esse: cum vero e Republica sit justam fungibilium rerum usui aestimationem statuere, et efficere, ne in Civitate usurae unquam arbitrariae tolerentur; Principes multum super hac re invigillare debent: itaque eorum est justos usurarum terminos, limitesque signare; easque pro rei natae occasione, mercium, personarum, et negotiationis qualitate vel augere, vel remittere, vel penitus prohibere; cavendum ergo est, ne foenebre malum privatorum opes exhaeriat, et conjungenda, quantum fieri poterit, utilitas commerciorum publica cum honestatis acQUITATISQUE ratione, et cum boni, honesti et christiani hominis officio.

*Qualis jure civili usurarum modus.*

§. XVI. In justa autem istius usus aestimatione servanda aliquando non creditores tantum, sed ipsa quoque Respublica plus justo sibi indal-

sisse videtur. Nam Romani, a quibus omnis humanitas aequitasque manavit, *usuras* tandem *centesimas* ceu legitimas habuerunt, l. 40. D. *de reb. credit.*, l. ult. Cod. *de usur. rei jud.*, l. 26. Cod. *de usur.*, l. 1. Cod. Theod. *eod.*; quae quidem nimium mordacissimae sunt et sanguinolentae; nam centesimam sortis partem singulis mensibus debitores pendebant; menstruae quippe usurae erant apud Graecos, Romanosque, l. 40. D. *de reb. credit.*; easque singulis Calendis creditores exigebant, quas iudcirco Horat. lib. I. Sat. III. v. 87., et Ovid. *de remed. amor.* v. 561. *celerēs ac tristes* adpellant.

Usuram centesimam, id est, nostro computandi more duodecim pro centum, legitimam tandem in numo definitivum Constantinus in l. 1. Cod. Theod. *de usur.* anno 325. eodem scilicet, quo Nicaenum habitum fuit Concilium: idem eadem lege frumenti, vini, olei, et aliarum specierum mutuo datarum tertiam partem reddituum usurae nomine exigi concessit; quam legem haec in parte solum postea abrogavit Justin. in l. 26. Cod. *de usur.* Mitto aliarum usurarum nomina et species, earumque contrahendarum atque computandarum rationem, haec enim proposito nostro haud convenire videntur; de iis tamen omnibus videsis praeter Salmasii, Noodt, et Gronovii tractatus doctissimos, vel solum Hein. cum *ad Pand.* lib. 22. tit. 1., tum in *Antiquit. Roman. secund. ord. Instit.* lib. 3. tit. 15.

### *Et qualis jure canonico.*

§. XVII. Multo meliora sunt, quae jus canonicum constituit. Nam anno 325. Concilium Nicaenum can. 17. apud Grat. C. XIV. q. 4. can. 8. *expresse centesimas usuras, et sescuplas, id est, sortem cum dimidia ejus parte percipere prohibuit.* In eandem sententiam iverunt Canones Apostolici dicti can. 43., Concilium Illiberitanum anno 313. (si forte hoc anno habitum, de quo vid. Nat. Alexandr. *Dissertat. XXI. in Histor. Eccles. III. Saec.*

art. I.) in Baetica celebratum can. 20. apud Grat. can. 5. Dist. XLVII.; Arelatense anno 314. ante Nicaenum habitum can. 12.; Carthaginiense III. anno 397. can. 16., can. 2. et 6. Caus. XIV. Quaest. IV.; et Concilium Trullanum can. 10., cet., quae vel tantum referre longum foret. Praeclara etiam sunt quae habentur lib. V. Decretal. tit. 19. Quare ecclesiasticarum legum, et Sanctorum Patrum una omnium veluti vox est, videlicet usurarum usum, et licentiam nequaquam esse clericis concedendum, laicis vero non promiscuum, sed moderatum tantum.

*Regulae de usurarum aequitate.*

§. XVIII. Ut ergo de usurarum honestate in omni et quocumque contractu recte possis judicare, summam hanc adcipe: I. mutuum ut et reliquos contractus, qui *συνάλλαγμα* continent, aequalitatem desiderare, eademque non servata, usurarios esse; in foro tamen civili non qualemcumque inaequalitatem, sed immodicam tantum prohiberi: II. usuras in mutuo generaliter illicitas esse quoties unusquisque praeter mercedem eamque moderatam pro fungibitis rei usui aliud quidquam recepit: III. mercedem huiusmodi, seu modicas usuras nullum proprie lucrum adferre creditori, sed compensationem, aequipollens, mercedem, justum pretium, et valorem usus rei, quam mutuo dedit, continere: IV. de justitia usurarum vix dubitari posse, quando damnum aliquod ex mutuo emergit, lucrumve cessat, vel quando creditor periculum rei mutuatae, quod ad debitorem illius dominum adtinebat, in se suscepit.

*Mutuum*

*Mutuum pecuniosum quincunces tantum usuras recipit.*

§. XIX. Principia vero hujusmodi, et Juris Canonici fere in universum scita proxime sequutae fuerunt Patriae leges. Nam in pecunia mutuo data usuras tantum modicas tolerarunt, id est, quincunces pro centum, quales, ut antiquiores leges omittam, solum adprobavit Regium Josephi I. Diploma 6. Augusti 1757. In aliis vero rebus nihil ultra sortem exigi voluerunt, nisi damnum, lucrumve cessans, vel aliud simile eorum, quae superius memoravimus; sequeretur, quod honestam sane et rationabilem usurarum exactionem reddere videretur. Juvat rem hanc exemplis non nullis ex legibus nostris petitis illustrare.

*Quid circa aliarum rerum mutuum jus nostrum statuerit.*

§. XX. Bene ergo potest maritus ex re in pignus pro securitate dotis adcepta fructus percipere, eosque in sortem minime imputare tenetur, Ord. lib. 4. tit. 67. §. 1., deducta ex cap. 16. *de usuris*: II. in venditione facta cum pacto de retrovendendo fructus non restituuntur, si justo pretio res vendita proponatur, Ord. lib. 4. tit. 67. §§. 2. 3., tit. 4. §. 1. eod., deducta ex cap. 5. *de emt. et vendit.*: III. usurarium non est pactum *legis commissoriae* in pignore ad justii pretii rationem, et ad boni viri arbitrium redactum, Ord. lib. 4. tit. 56., deducta ex l. ult. Cod. *de pact. pignor.*, et ex l. 16. §. ult. D. *de pignorib.* (Inst. Lib. III. Tit. XIV. §. XIX.): IV. usurarium vero est pactum *Antichresis* dictum, adeoque non valet conventio, ut possit creditor fructus rei pignorate percipere, quamdiu ei debitum solutum non fuerit, Ord. lib. 4. tit. 67. §. 4. in fin. 1

deducta ex capp. 4. et 6. *de pignorib.*, cap. 32: *de jurejur.*, capp. 1. 2. 8. et 16. *de usur.*: V. hujusmodi pactum validum est inter emphyteutam et dominum directum, ead. Ordinatio. §. 4. in princip., deducta hac in parte ex cap. 1. *de feud.*: VI. poena ex mora debitoris constituto tempore non solventis licet in omni contractu recte adhibeatur, dummodo quantitatem debiti non excedat, Ord. lib. 4. tit. 70. in princ. et §. 2.; tamen in mutuo adposita exigi non potest, sed tantum id, quod interest, ead. Ord. tit. 70. §. 1., et tit. 53. §. 3. Denique si quis ejus pecuniae, vel rei, quam mutuo dedit, periculum ultro in se susceperit, jure quidem illius usuras non ex mutui causa, sed ex suscepti periculi ratione capit; et ita ego intelligo Ord. lib. 4. tit. 67. §. 6., quemadmodum Espenius peculiari Dissert. *de usuris* art. 3. intelligit cap. *Naviganti* 19. *de usur.*, ex quo proxime dicta Ordinatio desumta fuit. Ad evitandas vero mercatorum fraudes, insignes et intolerabiles usuras (ut hoc quoque in transcursu admoneam) ea vere Patria lex vel maxime spectat, quae eisdem gravi sub poena prohibuit merces unquam obstricta fide vendere, sed praesenti tantum pecunia, Ord. lib. 4. tit. 67. §. 8., quam frustra a peregrino, vel adventitio jure derivabis; primus namque hanc legem singularem tulit Sebastianus Rex 4. Novembris 1564. apud Leonem 4. p. tit. 10. l. 2.

*Usurarum poena, et ad quos judices earum  
quaestio spectat.*

§. XXI. Cum vero usuras multum leges nostrae abhorreant, non poterant easdem exercentibus graves poenas non indicere. Itaque usurarius et usuras, quas recepit, restituit, et sortem principalem duplo amittit, et praeterea in Africam biennio relegatur,



Ord. lib. 4. tit. 67, in princ. Haec jure nostro ; poenas autem jure canonico statutas referre nihil vacat. Illud vero, antequam hinc recedam, monendum, usurarum quaestionem, sive in jure, sive in facto versetur, ad judices Regios spectare, Ord. lib. 4. tit. 67. §. 10., qui bene de illarum justitia possunt judicare ex principiis videlicet honestatis, quae leges nostrae expresse comprobarunt ; neque Jus Canonicum hodie post sancitum aureum Josephi I. Edictum 18. Augusti 1769. de peregrinis legibus abolendis ullam in foro civili auctoritatem habere potest ; itaque ad mentem celeberrimae hujus Constitutionis adcienda est supradicta Ord. §. 9. in fine. Nam usura, si ut peccatum consideratur, ad Ecclesiae forum internum et poenitentiale spectat : si vero tamquam delictum, quod societatem quam maxime laedit, publicis ipsius societatis, et imperii legibus vindicatur ; quapropter ad earum normam et praescriptum erit judicanda. Neque praeterea Ord. lib. 2. tit. 9. in principio, quae usurarum crimen mixtum facit, Regiis idcirco Magistratibus illarum notionem adimere videtur, sed potestatem tantum Episcopis concedit de usuris criminaliter cognoscendi, et in usurarios animadvertendi, poenis scilicet spiritualibus et canonicis ; cetera ad Regios Administros spectant.

*De cambio non nulla.*

§. XXII. In negotiatione praesertim collybistica usuras in genere licitas esse statuit saepius memorata Ord. lib. 4. tit. 67. §§. 5. et 6. Qua de re cum plurima sint publicis legibus definita, haec praecipua tantum adcipe : I. *tesseris cambialibus* semel adceptis, solutionem praecise intra terminos eisdem praescriptos esse faciendam : II. in literis insularum adjacentium, vel Brasiliae protestationi locum non

esse transactis decem supra quinque diebus a solutionis die, Extravagg. 25. Augusti 1672., et 15. Junii 1714. Collect. I. ad Ord. lib. 4. tit. 67. §. 5. Nn. 1. et 4.: III. in cambio locali facta protestatione; regressum exactorem habere adversus eum, a quo cambium adcepit, ratione sortis, damnorum, impensarum, et usurarum; quincunces vero tantum creditori pro centum usuras adjudicari, servato eidem jure ad majores exigendas: IV. quod facta semel adceptione, literae collybisticae debitam executionem habeant, quamvis remittens, vel *trassans*, ut adpellant, e vivis excessisse, vel creditoribus decoxisse dicatur, Extravagg. 28. Novembris 1746. Collect. I. ad eamd. Ordinat. N. 3.

Facile hodie omnes per cambium intelligunt contractum literalem, quo is, qui literas cambiales dedit, certam pecuniae summam a remittente adceptam, et in literis expressam praesentanti alio loco, et ab alio solvere obligatur. Quare hujusmodi cambium *locale*, *mercantile*, et *trajectitium*, quale scilicet hodie cultiores habent nationes, veteres omnino ignorarunt: *mensarii* namque, *argentarii*, et *trapezitae* Romanorum, de quibus in ll. 4. 5. 6. 8. 9. 10. D. *de edendo*, itemque Judaeorum apud Matthaeum capp. XXI. 12. XXV. 27., Joann. II. 14., et Graecorum apud Jul. Poll. in *Onomast.* lib. VII. cap. 30., ab hodiernis collybistis toto caelo differunt. Magis autem ad nostrum cambium adcessisse videtur mos ille Romanorum permutandi Romae pecuniam pro alia Athenis reddenda, quam memorat. Cic. *Epistol. ad Attic.* lib. XII. Epist. 24., et lib. XV. Epist. 15., *ad divers.* lib. II. Epist. 17., et lib. III. Epist. 5.: verum ne in hoc quidem contractu ea continebantur omnia, quae hodie ingrediuntur collybisticae negotiationis essentiam, ut jam Huber. *Praelect. ad Pand.* lib. XVII. tit. 1. §. 12., Hein. *Elem. Jur. Cambialis* cap. 1. et in *Exercitat. de natura et indole negotiat. collybist.*, et multi alli doctissimi viri demonstrant. Itaque introducto semel praeter Romani juris rationem saeculo XIV. cambiorum jure sive a Venetis, sive a Longobardis, sive ab aliis maritimis populis (nam qui ejus primi inventores fuerint, non constat, nec multum quidem refert), illud certe eodem fere tempore in universa ferme

Europa receptum fuit: Ad Lusitaniam quod adinet, Rex Emmanuel initio saeculi XVI. cambialem negotiationem licitam et Reipublicae adprime utilem esse declaravit lib. 4. suarum Ordinationum tit. 14. §. 5., quod non per innovationem induxit, sed jus jam multo antea legibus publicis usuque receptum confirmavit. Nam Alphonsus hujus nominis IV. saeculo XIV. usurarum modum in cambio statuerat. Adcesserunt postea plures leges Extravagantes, quarum non nullas in textu memoravimus, quae hujus contractus naturam et propriam indolem explicant; his vero deficientibus, mores, et praecepta cambialia omnibus gentibus, emporiisque communia, nostri quoque juris cambialis fundamenta, et tamquam Patriae leges nobis habenda sunt, l. 18. Augusti 1769. §. 9. Hujus rei scriptores inter tantos, quos vel solum referre longum esset, recensere tantum placet D. Joseph. Emmanuel. Domingues in opere inscripto: *Discursos juridicos sobre las aceptaciones, pagas, intereses de las letras de cambio.* Quae vero de cambiorum justitia habentur Sebastiani Regis generali Edicto 16. Jan. et 30. Jul. 1570. apud Franciscum Corream, genio saeculi adcommodari debent, et propterea hodie potius excusanda sunt, quam adcusanda.

*Quarundam rerum commercium inter cives prohibetur.*

§. XXIII. Rerum quarundam commercium leges nostrae vel inter cives ipsos, vel cum exteris prohibuerunt. Non nulla indicare sufficiat. Et in primis negotiatio quaecumque tam in urbe, quam in provinciis Regis Magistratibus sive Politicis, sive Militaribus prohibetur Ord. lib. 4. tit. 15. in princ. et §. 1., Extravag. 29. Augusti 1720., et 27. Martii 1721., Collect. I. ad eamd. Ord. Nn. 1. 2., l. 46. D. *de contrahend. emt.*, l. unic. C. *de contractib. judicum*, itemque Equitibus, virisque Patriciis, ead. Ord. tit. 16.; licet tamen eisdem collegio mercatorio sese adjungere, et hoc modo negotiari, Extravag. 5. Januarii 1757. *Veneri mali commercium omnino vetitum est*, Ord. lib. 5. tit. 89.; l. 35. §. 2. D. *de contrah. emt.*, l. 2. §. 2. D. *ad*

*leg. Corn. de sicar.*, l. 38. §. 5. *D. de poen.*, Nov. 115. cap. 4. §. 5.; itemque frumenti liber mercatus, non enim id potest quis minoris emere, ut carius dividat, Ord. lib. 1. tit. 58. §. 35., neque praeterea vendere, nisi de iudicis licentia, vel eodem in loco, quo illud emtum fuit, Ord. lib. 5. tit. 76. in princ. et §. 2., Extravag. 4. Octobris 1644., 24. Septembris 1649., 20. Octobris 1651. Collect. I. ad eandem Ord. Nn. 1. 2. et 3., et 3. Septembris 1695., 19. Maii 1738. Collect. II. Nn. 3. et 5. Adamantis negotiatio hodie permessa est nemini post Extravag. 11. August. 1753., nec non saponis, Extravag. 20. Decembris 1766., et herbae Nicotianae celeberrimae legibus notissimis.

*Et cum exteris.*

§. XXIV. Ad Imperantium officium vel maxime spectat definire, quae merces ab exteris admitti, quaeve cum eis communicari valeant: itaque apud nos frumentum cujuscumque generis, Ord. lib. 5. tit. 112. in princ., pannus bombycinus, lineus, lana, lintum, mel, cera, §. 1., equi, armaque, §. 6., mali aureae, id est; *laranjeiras*, Extravag. 30. Januarii 1671. Collect. I. ad eand. Ord. N. 1., Brasilicum lignum, Extravag. 1. Augusti 1697. ibid. N. 2., aurum, argentum, numi, Ord. lib. 5. tit. 113., vel naves, Ord. tit. 114., exportari, vel exteris vendi prohibentur. Denique huc in primis spectant merces interdictae omnes, quas *de contrabando* dicimus, et nimirum earum tanta copia est, tantaque diversitas, ut vel eas referre, et poenarum multiplicium genera tot providentissimis legibus adversus illarum introductores satis longum et incommodum foret: vide Pragmaticas Sanctiones 25. Januarii 1677. Collect. I. ad Ord. lib. 5. tit. 100. N. 1., 6. Maii 1708. ibid. N. 9., 24. Maii 1749. Suppl. Adpend. N. 15., et Regium Josephi I. Diploma 14. Novembris 1757.

Multum sane interest, ut jam olim Aristoteles monuit lib. VIII. *Polit.* cap. 6., *legibus definire, quibuscum communicare cives oporteat, cum quibus non oporteat.* Quare bene potest Princeps, imo et debet, non modo commercia inter cives ipsos, et quae ex una sunt in aliam regionem exportanda, verum etiam, et quidem praecipue, quae ab exteris gentibus admittenda, certis ac perspicuis legibus definire; neque enim quae Grotius *de jur. bell. ac pac.* lib. II. cap. 2. §§. 13. 18. 22., Sigismund. Scaccia *de commerc.* §. 1. q. 1. n. 47. hanc in rem de libertate commerciorum disputarunt, Imperanti obstare videntur, quominus certarum mercium importationem cum civibus inter se, tum exteris non hostibus denegare possit, ut bene inter alios adnotavit Cocceius *ad Grot.* §. 18., et Ziegler. *ad eumd. Grot.*, et *de jur. majest.* lib. 1. cap. 4 §. 18. et cap. 41. §. 21. Non semel autem vidimus Principes pactis foederibusque publicis jura sua politicis rationibus remisisse, et amice hac de re transegisse; qualia inter se pacta Lusitaniae nostrae, Galliae, et Angliae Reges saepius inierunt, quae nos brevi, si per tempus licuerit, publicae luci dabimus; quippe in eis Juris nostri Publici externi praecipuus fundus continetur. Itaque merces hujusmodi sive publicis legibus, sive publicis gentium foederibus interdictas, quas Graeci ἀποθήματα adpellabant, et quarum specialis titulus exstat in jure civili Pandect. lib. 18. tit. 1., Cod. lib. 4. tit. 40. et 41., easdem nos hodie et jam a medio aevo *de contrabando* adpellamus; quo nomine eas merces intelligimus, quarum scilicet vecturam summi Imperantes aut lege publica aut denuntiatione civibus, exterisque facta prohibuerunt; alias significationes voci huic adtribuit Car. du Fresne in *Gloss. med. et inf. Latin.* tom. 1. col. 976.

*Barbaris praesertim, et hostibus.*

§. XXV. Ad barbaros vero et hostes, veluti Saracenos, pacis quoque tempore, quae cum hujusmodi hominibus parum segura est, advehere prohibemur vinum, oleum, mel, ceram, linum, frumentum, aurum, argentum, loricas, scuta, arcus, sagittas, gladios, ferrum, sive factum, sive infectum, et omnis denique generis armamenta, Ord. lib. 5. tit. 109., deducta non tam ex legibus

Romanis l. 1. et 2. Cod. *quae res exportari non debeant*, ll. 2. 4. *de commerc. et mercat.*, sed praesertim ex jure canonico, et Summorum Pontificum constitutionibus, quarum mentio fit in §. 3. ejusdem Ordinationis, veluti Alexandri III. in cap. 6. X. *de Judaeis et Sarac.*, Clementis III. in capp. 11. et 12., Innocentii III. in cap. 17. *eod.*, Joannis XXII. Extravag. *Copiosus de Judaeis et Sarac.*, Clementis V. Extravag. Comm. cap. *Multa 1. de Judaeis*. Quae omnia originem potissimum debent sacris illis expeditionibus, quae ad recuperanda ex infidelium potestate loca sacra Pontificum hortatu et auctoritate suscipiebantur.

*Societatis mercatoriae effectus; et indoles.*

§. XXVI. Societatibus mercatoriis institutis illud etiam effectum est, ut quarumdam rerum commercium non omnes promiscue cives haberent, sed societas tantum ipsa, vel singuli e societate. Eisdem vero cum nemo, nisi de licentia Imperantis, instituere possit (non enim aliter collegium in Republica esse potest), et praeterea cum nulla negotiationis species sit, cui commode exercendae privatorum opes ac facultates sufficiant, boni certe Principis praecipua ea laus erit, si societates hujusmodi vel de novo instituerit, vel jam institutas auctoritate sua sustentaverit, easque legibus adeo sapientissimis temperaverit, ut non in civium perniciem, sed in eorum commodum, et commercii utilitatem cedant.

*Collegia in Lusitania mercatoria.*

§. XXVII. Et ita nimirum comparatae sunt societates mercatoriae, quas Rex Fid. Josephus I. in Lusitania vel de novo fundavit, vel restituit, veluti

societas Paraënsis instituta 7. Jun. 1775., Pernambucensis 13. Augusti 1759., Portucalensis 10. Septembris 1756., Officina serica Olisiponensis ab eodem restituta 6. Augusti 1757., et perantiqua demum Officina lanæ Covillaniensis de novo veluti fundata legibus 11. Augusti 1759., 7. Novembris 1766., 4. Septembris 1769.

*Senatus commercii gratia de novo creatus.*

§. XXVIII. Quemadmodum vero negotia militaria, forensia, transmarina, cet., specialis Curiae inspectioni subesse videmus, ita in votis erat, ut senatus quidam, et hominum coetus Regia auctoritate crearetur, qui de rebus ad commercium spectantibus curam ageret, de iisque ad Regem consultationes deferret; et qui praecipue in id operam daret, ut speciales commercii ineundi rationes, et singularia instituta ad artis veluti normam redigerentur, et in publica demum schola ab hominibus harum rerum intelligentibus quam exactissime traderentur. Id vero quidem, quod jam dudum boni quique cives optabant, Josephus I. concessit, et 30. Septembris 1755. Senatum amplissimum commercii exercendi et longe lateque propagandi gratia Olisipone creavit sub titulo *Junta do Commercio destes Reinos e seus Dominios*, eique mercatorias leges providentissimas dedit 16. Decembris 1756., et 19. Maii 1759., quibus jungendum novissimum Dipl. 5. Jun. 1788.

*Qui mercatores nobilitate gaudeant.*

§. XXIX. Mercatores variis privilegiis Reges nostri ornarunt, quorum non nulla indicare sufficiat; neque enim tanta sunt, quanta vulgo esse putantur. Provisor, Proprovisor, et Deputati mer-

**catorii Olistiponensis Senatus liberae custodiae, seu homagii privilegio gaudet; illi in perpetuum, hi quamdiu id munus obiverint; nobiles in hanc curiam adscripti nobilitatem, quam a majoribus adceperunt, conservant, ignobiles eam adquirunt; et tam ipsi, quam eorum filii idonei judicantur ad Magistratus honores, et ad Ordinum Militarium insignia habenda; quod tamen in Provisore, et Provisore perpetuo servatur, in reliquis non item; nam primis tantum Deputatis hoc fuit privilegium concessum. Ab ordinariis Reipublicae muneribus eximuntur, et specialem judicem Conservatorem habent, cujus tantum jurisdictioni et imperio subjiciuntur, neque alterius Magistratus Politici, vel Militaris jussu in carcerem detrudi possunt tam in civilibus, quam in criminalibus; et haec nimirum omnia diserte constant ex cap. 18. §§. 3. 4. 6. legum ejusdem Senatus, quas ipse Rex confirmavit 16. Decembris 1756. Similia concessa videmus Paraënsis Negotiatoriae societatis sociis ac collegis §§. 39. 40. et 46. legum ejusdem societatis institutionis, Portucalensis §§. 39. et 43., et Pernambucensis §§. 43. et 44. Haec vero, et similia privilegia mercatoribus circumforaneis et tabernariis haud competunt.**

*Mercatorum codicibus fides adhibetur.*

**§. XXX.** Illud vero inter praecipua, quibus mercatores utuntur, privilegia haud postremum est, quod eorum tabulis et codicibus rite confectis fides, et semiplena saltem probatio pro scribentibus adtribui soleat (Inst. Lib. IV. Tit. XVIII. §. XIII.); quod vero quidem ita intelligendum est: I. si mercatorius hujusmodi codex, seu liber nulla falsitatis suspitione laboret, bene compactus sit, titulo ac praefatione notatus, nihilque tandem in



eo erasum, evulsum, deletum, et superscriptum adpareat: II. si liber contineat data et adcepta cum singularum partitarum, uti vocant, die ac consule sine abbreviationibus et siglis incognitis, quippe quae plerumque cum ambiguitate quadam conjunctae sunt: III. si codex cum adversariis, seu diario, ex quo partitae in illum primarium codicem referri solent, adcurate conveniat: IV. si quae inscripta sunt, ex circumstantiis verosimilia haberi possint: V. si mercator vir bonus, et integrae fama omnium ore praedicetur: VI. si quibusvis sine chirographo credere soleat: VII. si publicam ad negotiandum et vendendum a mercatorio Olisiponensi Senatu licentiam habeat, cap. 17. §§. 20. et 21. fundamentalium ejusdem Senatus legum: VIII. si Curiae istius albo inveniatur relatus, cap. II. §. 14. legis mercatoribus, quos *de retalho* vocant, datae 16. Decembris 1757., et §§. 1. 2. 3. et seq. general. Edict. 30. Aug. 1770.: IX. si liber dati et adcepti publica auctoritate confectus sit, et ab uno Mercatorii Senatus Deputato numeratus, §. 14. Regii Diplomatis 13. Novembris 1756.

Jus hoc singulare circa mercatorum codices a Romani juris principiis videtur alienissimum; secundum quae privatorum scripturis contra scribentes creditur, l. 25. §. ult. D. *de probat.*, pro scribente vero minime, nisi scriptura ab adversario sit producta, et pro vera recognita, vel aliis argumentis admodum evidentibus firmetur, II. 5. et 6. Cod. *de probat.*; itaque ferme nobiscum sentiunt Ulr. Huber. *Prælect.*, ad *Pand.* lib. 22. tit. 4. §. 19., Tulden. ad tit. Cod. *de fid. instrum.* n. 5, Marquard. *de jur. Mercat.* lib. 3. cap. 9. §. 17., Struv. *Exercit.* 28. §. 25., cet. Excipiebantur tantum jure Romano Codices argentariorum, quorum negotiatio publicam causam habere videbatur, propterea quod publicam quasi auctoritate pecunias foenori darent, pro aliis numerarent, solverent, constituerent, et trajectitiam pecuniam suo periculo crederent, ut docent Cujac. lib. 10. *Obs.* cap. 14., Salmas. *de mod. usur.* cap. 16. pag. 721., Brisson. *de verb. signif.* voce *Argentarius*. Quare

opinio, quae a saeculo XII. ad hanc usque diem in foro regnat, quod omnium scilicet mercatorum codices proscribente saltem semiplene, ut loquuntur, probent, Glossae in primis ad l. 9. §. 2. D. *de edendo*, et saeculi XIV. Interpretibus Bartolo et Baldo in l. 31. D. *de jurejur.*, et eorum adseclis adtribuenda est. Ego quidem eandem probo et admitto, dummodo illa dentur requisita, quae adnotavi, quorum vel unum si abfuerit, jure communi utendum est. Magis certe hac in re leges nostrae tribuerunt macellariis, pistoribus, atque tabernariis, quam vulgaribus mercatoribus; illorum quippe juramento integra fides ad certam usque summam adhibetur, Ord. lib. 4. tit. 18., Emman. tit. 48., Alphons. 56., quod eam rationem habet, ne unquam in Civitate deessent, qui indigentibus victualia de voluntate credidissent.

*De decoctoribus, iisve, qui culpa, vel casu creditores fraudarunt.*

§. XXXI. Ejusdem porro generis illud etiam privilegium est, quod scilicet mercatores, qui, fide et existimatione imminuta, argentariam prae inopia dissolverint, non modo poenarum omnium immunes habentur, verum etiam certa pecuniae summa, id est, decem pro centum, eisdem ad victum et cultum adsignatur; quae tamen ut locum habeant, sequentia concurrant necesse est: I. si non dolo et culpa sua, sed casu et fortunae vitio creditores fraudaverint: II. si inopiae denuntiationem fecerint eodem vel sequenti die, quo se in maximo aere alieno esse cognoverint: III. si jurejurando veram inopiae causam dixerint: IV. si bona sua omnia mobilia et immobilia, jura et actiones declaraverint: V. si tabularii et horrei claves tradiderint: VI. si codicem dati et expensi exhibuerint nulla falsitatis suspitione laborantem, et ab uno mercatorii Olisiponensis Senatus Socio, Collega, seu Deputato numeratum. Denique VII. si tertiam saltem partem eorum, quae nunc tempore denuntiationis in aere

alieno sunt, tempore et initio negotiationis in bonis habuissent. Hac de re iudicium ad Curiam Negotiatoriam spectat; quae quidem si, subductis omnibus, quae huc facere videntur, iudicaverit mercatores huiusmodi extra culpam esse, et dolo carere, jam ex hoc tempore iidem tamquam novi homines perinde in civitate habentur, quasi si nullam unquam infamiam et poenam incurrissent; itaque possunt dein ut antea negotiari et mercaturam libere exercere; illorum vero bona creditoribus ad eum modum applicantur, quem praescripsit Regium Diploma 13 Novembris 1756. et 1. Septembris 1757., 12. Martii 1760., et ita intelligenda est Ord. lib. 5. tit. 66. §. 8. Haec de mercatoribus, quos vitae honestas, diligentia atque intemerata fides commendavit; nam decoctores, qui dolo et culpa sua creditores fraudarunt, et pecuniam emunxerunt, nullo favore, sed publico odio digni existimantur; itaque nec cessionis, denuntiationis, induciarumve beneficio gaudent, quod reliquis obaeratis, casu et injuria fortunae ad paupertatem redactis, conceditur: sed tamquam improbissimi omnium homines, infames, et publici latrones existimandi et puniendi sunt, Ord. lib. 5. tit. 66. in princ. et §§. 1. 2. et seq., apud Hispanos ll. 1. 2. ult. tit. 19. lib. 5. Recopil., l. 63. §. 7. D. *pro socio*. (Inst. Jur. Crim. Tit. VI. §. XVII.).

*De numo non nulla.*

§. XXXII. Pecuniam, praecipuum et commercii et rerum omnium agendarum instrumentum, eam adhiberi oportet, quam civitas adprobavit. Ex quo uno tria haec generaliter consequimur: I. negotiatoribus, et privato cuicumque minime licere monetam cudere, vel certum eidem valorem imponere, augere, imminuere, vel auri, argenti,

aerisve fodinas occupare; haec namque inter majora majestatis jura apud omnes fere nationes habentur, ideoque ad Regem tantum spectant, Ord. lib. 2. tit. 26. §§. 3. et 16., et lib. 5. tit. 12. in princip.: quare graviter in Regem ipsum peccant, qui haec et similia jura sibi praesumunt, qua de re suo loco et in tractatu de delictis commodius dicemus (Inst. Jur. Crim. Tit. V. §. VII.): II. numos publica auctoritate signatos, quibus scilicet nihil ad justum pondus deest, nemini liberum esse recusare, Ord. lib. 4. tit. 22.; signati tamen aeris majorem summam repudiare licet, Ord. lib. 4. tit. 21. in princip., Extravag. 17. Februarii 1699. Collect. I. ad eandem Ordinationem N. 1.: III. quod, valore monetae quacumque ex causa adaucto, contractus, antiquiores licet, perinde habeantur, tamquam si post similem adcretionem fuissent celebrati; quare ad illius modum solutio facienda est, nec tempus contractus inspiciendum, Extravag. 4. Augusti 1688.; quod tamen in literis cambialibus non omnino verum est; namque iis semel agnitis, solutio ad agnitionis praecise tempus referenda, Extravag. alia 21. eodem mense et anno 1688. Collect. I. ad Ord. lib. 4. tit. 67. §. 5. N. 2. Denique (neque hoc omitendum) negotiatoriae cujuscumque societatis literae, seu *apolicies*, ut vocant, tamquam veri numi habentur, nec ideo possunt minoris emi, vendique; quod quidem in cambio jam multo antea generaliter constituerat Joannes III. Extravag. 12. Aug. 1553. apud Leonem 4. p. tit. 10. l. 1.: literas autem hujusmodi exteri negotiatores admittere non tenentur, Extravag. 21. Junii 1766., et 30. Augusti 1768., nec cives quidem ipsi inter se ex Regio Diplomate 23. Februarii 1771.

Extravag. 4. Aug. 1688. relata alia Extravag. Ista die 21. ejusdem mensis et anni apud Ord. lib. 4. tit. 67.

Collect. I. N. 2. statuitur, quod, valore monetae quacumque de causa adaucto, solutionis tempus inspiciendum sit; contra vero tempus contractus statuere videtur Ord. lib. 1. tit. 62. §. 47.: lex tamen posterior derogat priorē, quamvis illius mentionem non faciat, si modo ea, quae decidit, pugnant cum lege anteriore. Leges autem nostras monetales ordine chronologico refert Antonius Caietanus Sousa tom. IV. *Histor. Genealog.* cap. VI., ubi multa eaque egregia haec in rem scripta inveniuntur.

---

## TITULUS IX.

### *De legibus nauticis.*

#### *Summa tituli.*

§. I. **P**ostequam Lusitani nova et incognita maria navigare, et ad Gentes exteris negotiationes suas transferre coeperunt, legibus specialibus carere haud poterant, quae negotiationis hujus propriam naturam et indolem explicarent, quae navigationis jura, privilegia, et honores constituerent, quae navium formam, structuram, et interdictas merces declararent, quae importationis, exportationisve jura, et quae denique maris ipsius, litorum et insularum dominium atque imperium, cetera, quae legum ad rem nauticam adtinentium nomine veniunt, definirent: de quibus seorsim breviter, et quantum instituti nostri ratio patitur, disseremus.

Quantum res nautica Lusitanis debeat, sciunt profecto omnes. Nam quis ignorat ex Academia Nautica Sagrensi, in qua primus ante omnes Europae Nationes Nauticam publicae professus est, Joanne I. regnante, Jacomus ex Majorica insula oriundus, tot tantosque viros rei nauticae peritissimos tanquam ex equo Trojano produisse, quos hodie admiramur, et diligimus

omnes? Henricus Infans primo loco, et nunquam sine praefatione nominandus est, quem inter alios viros Principes, quos recensere otium non est, imitatus proxime fuit Ludovicus, Emmanuelis filius, et nostris temporibus Franciscus, Joannis V. frater. Sous. *Histor. Genealog.* tom. III. pag. 357. et VIII. 420. Lusitanos Medicos Rodericum et Josephum sub Joanne II. Astrolabii inventores fuisse nemo etiam ignorat. (Videndus omnino Robertson *Histoir. de l'Amérique* tom. 1. pag. 56. et seqq. edit. 1778.) Tabulae marinae Petri Nonii typis datae anno 1527., tractatus *de navigatione* Didaci de Sa, qui easdem aliquantulum confutavit, et Joannis Castri *Itinerarium Nauticum* in omnium ore, honore; et existimatione sunt. Quis etiam ignorat magnum Ferdinandi Magallanii nomen? Et quantum novi orbis investigationes et inventiones debeant nautis Martino Vincentio, Petro Corraeae, Vincentio Dias, his temporibus celeberrimis? Quid plura, cum haec instituto nostro haud convenient? Jam vero Ferdinandus Rex quantum rei nauticae consuluerit, alibi diximus (Hist. Jur. Civ. Lus. §. LXI.). Nam primum materias ad fabricandas naves necessarias ex Regiis saltibus donari jussit; eorum jura, quae ab exteris exportarentur, vel quae ex venditionibus in Regno debita erant, remisit; jura quoque Regalia pro mercium exportatione publicis legibus definita in prima navigatione navium dominis concessit; eosque ab onere cum equo in bello serviendi, et ab omnibus civilibus muneribus, et solitis exactionibus liberavit; et collegium denique, seu societatem nauticam ipse instituit, et alia multa et egregia statuit, quae habentur *Chron. Ferdinandi Lopesii* cap. 92., et tom. VIII. *Monarch. Lusit.* lib. XXII. cap. XXX. Sebastianus Rex, cujus in re nautica peritiam commendat Barb. ejus *Memor.* tom. IV., similia, imo multo majora concessit privilegia *Diplom.* dat. 15. Decembr., 1. Octobr., 3. Novembr. ann. 1557. 1567. 1571. Academiam Nauticam Regia in urbe nuperrime fundavit Regina Fidel. 5. Aug. 1779. et haec tantum indicare sufficiat.

### *De dominio maris jure Romano,*

§. II. Enimvero Jureconsulti Romani, Stoicorum Philosophiae principiis ducti, quamvis initio existimarent non solum mare, verum etiam litora  
maris

maris communia esse omnium, §. 1. Inst. de rer. divis., l. 13. §. 7. de injur., l. 13. in princip. commun. praed. urban. et rustic.; tamen iidem, mutatae Reipublicae forma, ab hac opinione divorcium fecerunt, et ipsi Imperatores dominium maris postea sibi vindicarunt, ut magno jam adparatu demonstravit Jacobus Gothofredus peculiari dissert. de domin. mar. ad l. Αἰωνία, 9. D. ad L. Rhod. de jactu.

### Naturali et Gentium.

§. III. Naturali vero jure quemadmodum integri terrarum tractus vel per universitatem, vel per fundos occupantur, adeoque vel ad singulos, vel ad totum populum, seu Rempublicam pertinent, et ideo Imperatores sibi ἀνεκτονα adquireunt, et generaliter ea omnia sua faciunt, quae privatorum dominio non sunt adscripta, et quibus singuli commode uti frui non possunt; ita nihil profecto omnino impedit, quod hoc modo proxima primum maria; postea longinqua occupaverint; atque ita nimirum hodie nobiscum sentiunt eruditi tantum non omnes, quos immoderatum patriae studium in transversum non egit; eorum autem princeps est Seldenus immortalis opere, quod *Mare clausum* inscripsit.

### Et jure lusitano.

§. IV. Quare bene Lusitaniae Reges non modo fluminum perennium, insularum adjacentium; litorum, verum etiam marium imperio suo proximorum, vel exterorum, quae occuparunt, domini et dicuntur, et re ipsa sunt, Ord. lib. 2. tit. 26. §§. 8. 9. 10., Extravagg. 9. Februar. 1591., 18. Mart. 1605.; 8. Febr. 1711. (Inst. Lib. III. Tit. III. §. II.). Quae ergo Grotius de communione maris, et Indicae

navigationis et negotiationis libertate adversus in primis Lusitanos disputavit in opere *Mare liberum* inscripto, neque vera, ut jam alii demonstrarunt, neque in usu sunt.

Ex nostris Grotium confutavit Fr. Seraphinus de Freitas in opere inscripto *De justo imperio Lusitanorum adversus Hugonis Grotii Batavi Mare liberum*: sed profecto bonus homo dignus non est, qui Grotio opponatur; eique non male adplicari potest quod de Henrico Henniges Grotium et Zieglerum carpente Zieglerus ipse ait apud Menckenium de *Charlataneria eruditorum* pag. 53.: *iste obscurus homo ex me gloriam quaerit: impudentissimus sim mortaliū, si illius votis veliscaturus Zieglerum patiar cum punito isto gladiatore committi.*

*Quid maris domino licet.*

§. V. Et quemadmodum unusquisque cuilibet rei suae legem dicere potest; et qui in alienum fundum ingreditur venandi aucupandive gratia, potest a domino, si is providerit, jure prohiberi, l. 3. §. 1. D. de *acquir. rer. domin.*: non enim est consentaneum, ut per aliena praedia, invitis dominis, aucupium faciat, l. 16. D. de *servit. praed. rustic.*; ita in arbitrio Principis est tamquam maris domini concedere, vel negare peregre advenientibus aut adpulsum ad litora, aut transitum per mare a se occupatum; neque enim debet domino maris non licere, quod in praedio suo cuivis licet. Quapropter illius etiam est statuere quas merces per mare suum vehi, vel provinciis et litoribus suis inferri, vel eisdem exportari velit, itaque maris sui usui modum, quem voluerit, imponere, et commercio maritimo leges dare. Et hoc nimirum jure gentes fere omnes utuntur.



*Navigatio per mare occupatum jure exteris prohibita.*

§. VI. Jure itaque suo Reges nostri utuntur, dum exteris, hoc licet in Regno non habitent, navigationem, negotiationemve ad Indiam, Brasiliam, et reliquas transmarinas provincias prohibent, et quidem sub gravi poena, quam statuunt Ord. lib. 5. tit. 107. in princip., Emman. tit. 112. §. 1. et V. tit. 109. in princip. et §. 3., Emman. 81. in princ. et §. 2., Extravagg. 9. Februarii 1591., 18. Martii 1605., 8. Februarii 1711. Collect. I. ad Ord. lib. 5. tit. 107. Nn. 1. et 9.

*Nec civibus promiscue concessa.*

§. VII. Cives etiam non nisi de Regis licentia ad remotissimas has regiones navigare possunt, vel ibidem negotiari, Ord. lib. 5. tit. 107. in princ. et §. 2. seq.; nec omnium promiscue rerum commercium eisdem concessum, sed quarundam tantum, quae referuntur Ord. eod. lib. tit. 106., Emman. 113.; neque nostri navarchi et nautae in exterorum classibus inservire possunt, Ord. lib. 5. tit. 98., Extravag. 27. Setembr. 1756.; vel naves, materiamve navalem eisdem vendere, aut fabricari, Ord. lib. 5. tit. 114., Emman. 88. §. ult.; vel denique navigii regimen, quod semel susceperunt, derelinquere, Ord. lib. 5. tit. 97., Emman. 98.

*De classis, et solutae navis vectigalibus.*

§. VIII. Ad naves e portu solvendas novum ordinem praescripsit Regium Diploma Calendis Februarii datum anno 1758. et Decretum 24. Aprilis ejusdem anni, quod et recepta hodie solutae navis tributa declaravit, et lucernas navales instituit.

Regia Diplomata 28. Novembr. 1753. , 25. Januar. 1755. , quibus navibus onerariis cursum simul ad provincias transmarinas facientibus certa et per opportuna tempora constituta erant, hodie in hac parte abrogavit Rex Fid. Josephus I. novissima lege 10. Septembris 1765. data, quae liberam quocumque tempore ad Brasiliam navigationem concessit.

*Quae ad litora nostra adpulerunt, cujus sint.*

§. IX. Ea, quae, navibus mari haustis, ad nostra litora vi tempestatis adpulerunt, nec ad Regem spectant, nec ad occupantes, sed interim servantur domino restituenda, Ord. lib. 2. tit. 32. in princip., Emman. 22., Alphons. 32.; quod quidem jam multo antea constitutum erat Alphonsi II. Comitiorum Conimbricensium lege quadam anno 1211., Brandan. *Monarch. Lusit.* 4. p. lib. XIII. cap. 21.; et Ferdinandi Regis Comitiorum Atouguziensium anno 1375., Ferdin. Lop. illius *Chron.* cap. 92., Fr. Emman. a Sanct. *Mon. Lus.* 8. p. lib. XXII. eapp. 19. 30.; et Joannis I. apud eundem Lop. ipsius *Chron.* II. P. cap. 127. Pleniora multo sunt, quae hac de re jus Romanum statuit l. 1. princ. et §. ult., ll. 3. 4. 5. 7. D. *de incendi. ruin. naufrag. rate, nave expugn.*

*Et inimicae naves cui cedant.*

§. X. Neque inimicorum naves ad maritimas oras adlisae occupantibus cedunt, ut habet Regia Ord. lib. 2. tit. 32. §. 1., sed fisco adplicantur, Extravag. 20. Decembris 1713. Collect. I. ad eamd. Ord. N. 1., quod eo minus dubitandum videtur de navibus publico bello captis; eae tamen, quod singulare jus est, ad Paraensem, vel Pernambucensem Societatem spectant, si ab alterutra capiantur, §§. 15. et 19. legum fundamentalium Collegiis his

nauticis datarum. Regio quoque Diplom. Petri II. 18. Jun. 1704. apud Phoeb. *decis.* 195. inimicorum naves capientibus cedunt (Hist. Jur. Civ. Lus. §. LXVI. Not. *b*, Tit. XI. §. VI. h. l.).

Duo hic quaeri possunt : I. an res amicorum inimica navi deprehensae una cum eadem recte publicentur ? II. an amica navi hostiles res repertae fisci tantum lucro cedant ? An navis quoque ipsa , quia scilicet illius dominus rei illicitae operam dedit ? Ego rem in medio relinquo ; eisdem vero pro dignitate pertractant Grotius *de jur. bell.* lib. III. cap. 6. §§. 5. et 6. , Henr. Cocc. *Dissert. de jure belli in amicos* tom. 2. *Dissert.* 2. , Bynkershoek lib. 1. *quaest. Jur. public.* capp. 13. et 14. Ad rem quoque non nihil facit Petri Cunaei responsum in causa postliminii.

*Qui contra Regni leges navigaverint , possunt a quocumque comprehendi.*

§. XI. Peregrini vero , exteri, vel cives nostri, qui negotiandi causa contra publicas Regni leges ad provincias praeternavigaverint , possunt a privato quocumque comprehendi , eique pro dimidio cedunt cum naves captae, tum merces, quae eisdem importantur, Ord. lib. 5. tit. 107. §. 1., Emman. tit. 112. §. 2. eod. lib.

Haec Ordinatio de navibus tantum onerariis loqui videtur ; verum in bellicis etiam locum habet illius decisio , et ita judicatum refert Cabed. 1. p. *decis.* 191. Quaeri tamen potest, maxime in navigiis vectoriis, cuiusnam praedae hujus dimidium adjudicandum ; an scilicet domino navis , qui illam locavit ; an ejus conductori : an denique navigii magistro , nautis, cet. ? Ego vero horum causam meliorem esse existimo ; nam generaliter constitutum est praedam capientis esse, nisi nomine et mandato alterius capta sit. Navim autem hanc neque dominus cepit, neque illius conductor, neque mercium domini, sed Magister navis, nautae, reliqui ; neque per eos navis dominus eandem occupare videtur ; quoniam illorum opera conductae tantum fuit ad merces

transvehendas, non ad aliud quidquam, Bynkershoeck quaest. Jur. public. de reb. bellic. cap. 20.: et ita, ni fallor, statuit Ord. lib. 5. tit. 107. §. 1. ibi.: *E do que lhes for tomado e julgado por perdido, haverão os que o tomarem, ametade, e todo o mais ficará para nós.*

### *Singularia quaedam.*

§. XII. Singulare illud jus est, quod proximae navigationi mora injici non possit ob pignerationem, vel similem aliam causam, Extravag. 15. Aprilis 1757., et quod, magnis parvisve navigiis contra formam Regiarum Ordinationum fabricatis, Palatii Senatores inducias veluti dare soleant, et poenarum executionem in certum aliud tempus differre ad eum scilicet modum, quem praescribit Regimen Palatii §. 95.

Naviarum structuram et magnitudinem post Joannem II., et Emmanuelem felicissimum certam definivit Sebastianus Rex in Regimine, quod Indicae domui dedit anno 1570. plura Extravag. 11. Julii 1765., et legibus aliis novissimis cauta sunt, quae referre nihil vacat; res enim haec meri facti est; ex qua nullum jus nascitur, quod propterea explicare necesse sit.

### *De salinis non nulla.*

§. XIII. De salinis quaedam hic liceat admiscere. Earum antiqua jura omnino ad Regem spectant, Ord. lib. 2. tit. 26. §. 15., quae de jurebus Regalibus inscribitur. Similis apud Hispanos Ordinatio exstat lib. VI. Recopilat. tit. 13. l. 2.; itemque apud Gallos, prout adfirmat Cujac. lib. III. *Observ.* cap. 31.; et apud Romanos l. 17. §. 1. *D. de verb. signific.*, l. 59. §. 1. *D. de hered. instit.*, l. 11. *Cod. de vectigalib. et commiss.*, l. 4. §. 7. *D. de censib.* Ab earum quoque fabricatione exteri legibus nostris arcentur, Extravag. 27. Maii 1696. Col;

lect. I. ad Ord. lib. 2. tit. 26. N. 11.; et cives etiam nostri ad salinarias exterorum officinas operas suas conducere prohibentur alia Extravag. 15. Februarii 1695. apud eamd. Collect. N. 10. Salinae, quae in loco privato habentur, non ad Regem, sed ad illius dominum spectant: jura autem salinaria exigenda sunt ad eum modum, quem prescribit Regimen 13. Jul. 1638. apud Manescal. tom. 1. pag. 211.

Areae salinariae, veluti agri inculti et deserti, olim *de sesmaria*, dabantur sine ullo onere ex Ord. lib. 4. tit. 43. §. 13., postea pro modica pensione dari coeperunt, ut ex instrumentis anno 1435. 1460. 1490. apud Cabed. 2. p. *decis.* 53. adparet: et hanc nimirum humanitatis, rei publicae rationem proxime sequuta fuit circa Algarbiorum salinas lex novissima 17. Julii 1769.

*Flumina, alveus, portus, insulae ad Imperantem spectant.*

§. XIV. Quia vero flumina, navigabilia praesertim, publica sunt, sub occupatione enim generali continentur, adeoque ad Regem, seu rem ipsam publicam spectant, Orb. lib. 2. tit. 26. §. 8.; sequitur: I. ejusdem juris esse alveos, sine quibus flumen intelligi non potest: II. ripas, quae flumen continent: III. portus, insulas, et incrementa omnia fluvialia, §§. 9. 10. ejusd. Ordinat.; pars namque sunt alvei, et fluminis ipsius (Inst. Lib. III. Tit. III. §. VII.): IV. trajectionem fluminis, piscationem, et trajectionis, piscationisve jura, §§. 12. et 14.; itaque solius Regis esse: I. flumina immutare: II. alveos derelictos, et insulas alicui libere, aut sub certa lege concedere; et denique piscatorias leges dare, societates instituere, et piscatum omnibus, vel singulis in perpetuum, aut ad tempus interdiceret, Ord. lib. 5. tit. 88. §§. 6. 7. 8. 9. 10. 12. 13. 14. 15. 16. 17., deducta ex Sebastiani Extravag. qua-

dam Calend. Jul. data ann. 1565. apud Leonem 4. p. tit. 14. l. 3., Ord. eod. lib. tit. 91. in princ., et lib. 2. tit. 28. in princ., Regium Diploma 15. Januarii 1773., quod piscarium novum Collegium in Algarbiensi Regno fundavit.

Quidquid in singulos distributum non est, in Principis manet potestate, et ita alveus desertus, insula in flumine nata, et portus ad Imperantem pertinent. Grotius *de jur. bell. ac pac.* lib. II. cap. 3. §§. 7. et 19., et cap. 8. §§. 7. 8. 9. Idem dicendum de auri, argenteve fodinis, Ord. lib. 2. tit. 26. §. 16., et tit. 34. eod., Extravag. 17. Decembr. 1557. apud Leon. 5. p. tit. 6. l. 1., ex qua integer fere titulus 34. Ord. lib. 2. deductus fuit. Apud Romanos tamen, ubi status popularis erat, pleaque singulis mittebantur, qui proinde sibi adquirebant ripas, §. 4. *Inst. de rer. divis.*, insulas in flumine et mari, §. 22. eod., alveos desertos, §. 23. Postea vero mutata Reipublicae forma, cum ad unum summa rerum delata fuit, haec et similia Romani Principis dispositioni reliquerunt, l. 9. §. 1. *de divis. rer.*, l. 1. §§. 41. et 42. *de aqua quotid. et aest.*, l. 18. §. 1. *de aqua et aquae pluv.*, l. 1. §. 19. *ne quid in loc. public.*, l. 17. §. 1. *de verbor. signi.*

### *Judex Indiae, et Minae.*

§. XV. De Indiae, et Minae judice specialis nullus titulus exstat Emmanuelis Ordinationibus; ab eo tamen non una Regimina Indicis rebus data fuisse scimus; quorum ipse meminit Regio Diplomate 27. Novembris 1521. apud Leon. 1. p. tit. 13. l. 3. Ea ergo, quae de singulari hoc Magistratu habentur Philippino Codice lib. 1. tit. 51., deducta fuerunt ex Joannis III. et Sebastiani Regis Extravagantibus apud eundem Leonem ibid. Ad illius itaque officium praecipue spectat de procurationibus, probationibus, scripturis, delictis, furtis Indiae domo, et navi commissis, de conventionibus, lapillis, navigationum expensis, et damnis mercium.

navigationi commissarum cognoscere, Ord. lib. 1. tit. 51. in princ., et §§. 1. 2. 3. 4., Extravag. Joannis III. postridie Calend. Augusti 1537., 9. Junii 1553., et Sebastiani 29. Septembris 1565.

*Consilium de rebus transmarinis.*

§. XVI. Speciale quoque Transmarinum Consilium creatum fuit, cujus officium est de rebus ad Indiam, et Brasiliam adtinentibus consultationes ad Regem deferre. Illud primum Joannes IV. instituit, eique Regimen dedit 14. Julii 1642. apud novam Collect. ad Ord. lib. 1. tit. 51. N. 7. Eidem Josephus I. Rex Fid. jurisdictionem contentiosam concessit 16. Junii 1763. Judicium vero (ut hoc obiter adnotem) de bonis et hereditatibus absentium, et demortuorum tam in Regno, quam in quaesitis his dominationibus, ad Conscientiae et Ordinum Militarium Curiam, non ad consilium hocce spectat, Extravag. Philippi III. postridie Calend. Januar. 1606. Collect. 1. ad Ord. lib. 1. tit. 51. N. 8., quorum scilicet administrationi optimum ordinem praescripsit Josephus I. 27. Julii 1765.

## TITULUS X.

## DE JURE POLITIAE.

*Politiae nomine quae veniunt.*

§. I. QUAM multa publici juris Scriptores sub politiae nomine tractent, ignorat nemo: leges nimirum oeconomicae, sumptuariae, funebres, salutare, annonariae, et criminales: leges de aedificiis, et viis publicis, de publica et privata civium institutione, praecedentia, officiis et juribus, de diversis unumquemque in civitate colendi rationibus, de erronibus et mendicis, de collegiis et universitatibus, et aliis bene multis, quae recensere longum esset, propriam hic sedem habere videntur (Inst. Jur. Crim. Tit. X. §. XVI.). Praecipua nos tantum more nostro explicabimus.

*Magistratus illam promiscue exercent.*

§. II. Illud autem initio monendum, Lusitanos Magistratus jam ab origine sua non modo voluntariam, et contentiosam, verum etiam politicam jurisdictionem habuisse, et nunc etiam habere; Magistratus enim nullus specialis hanc in rem creatus fuit ad diem usque 25. Junii anno 1760., de cujus munere et officio dicam inferius (§. XXIII.).

*De Aedili maximo.*

§. III. Et in primis cura annonae cum Regia in Urbe, tum iis in locis, quibus Aula Regem sectatur, ad Aedilem maximum spectat, qui quidem



quam diligentissime curare debet, ut caupones, tabernarii, propolae, macellarii, pistores ea omnia in numerato habeant, quaecumque fuerint ad Regium hunc comitatum necessaria. Publicarum Curiae mensurarum exemplar habebit, et ad illius normam, quod propterea secum abducere tenetur, omnia pondera bis erunt in anno exigenda: viarum quoque publicarum munditiam curabit, et hoc nomine poterit certam mulctam minoribus loci Aedilibus irrogare, Ord. lib. 1. tit. 18. a princ. usque ad §. 36., Emman. tit. 15.

*Et minoribus Aedilibus.*

§. IV. Minorum Aedilium idem fere officium est. Curam habebunt publicarum mensurarum, et quod earum exemplum in arca quadam, et in ipso loci Senatu quam diligenter servetur; quod aurifex, propola, cereorum opifex, lebetum faber, pharmacopola, pomarius, textor, infector, mercator, cet., pondera officio suo necessaria, et mensuras habeant; horum non nulli easdem ad publicarum rationem exigere tenentur semel in anno, quidam semel et iterum, quidam singulo bimestri, Ord. lib. 1. tit. 18. §. 36. usque ad finem. Qui adulterinis mensuris utuntur, eas solvunt mulctas, et poenas incurrunt, quae habentur Ord. lib. 1. tit. 18. §. 40., et tit. 68. §. 10., et lib. 5. tit. 58. Minorum quoque Aedilium est mercibus quibuscumque pretium gratis, videlicet ratione officii sui, et sine ulla mercede imponere, Ord. eod. lib. 1. tit. 68. §. 4.; annonam praesertim cariorem inter divites et pauperes distribuere, §§. 4. et 12., et urbanas munditias curare, §§. 18. 19. 20. 21. eod. lib. et tit., deducti ex l. unic. in princ. et §§. 1. 2. 3. 4. 5. D. *de via publ. et siquid in ea fact. esse dicat.* Transtägana in provincia sub gravi poena interdictum est messoribus

et quibuscumque operariis novam et majorem, quam antea in usu erat, pro conducta operamercedem recipere, Decret. 15. Junii 1756.; Ordinatione quoque lib. 1. tit. 66. §§. 32. et 33. Decurionibus concessum fabriles operas, et artificia quotannis aestimare, et certam operariis, famulive mercedem definire: hac tamen licentia non nisi publica utilitate exigente utendum est.

Fontes, pontes, et viarum publicarum strata Senatus loci curabit, Ord. lib. 1. tit. 66. §. 24. Pro iis reficiendis Praetor Provincialis potest collectas imperare ad summam usque 4000., Ord. lib. 1. tit. 58. §. 43., Palatii Curia 200000, §. 84. ejusdem Regiminis. In civitatibus, majoribus oppidis, et locis quibuscumque certi adparitores esse debent, seu Irenarchae, id est, *Quadrilheiros*, *Jurados*, *Alcaides*, eum in finem praesertim instituti, ut itinera a grassatoribus tuta praestarent, Ord. lib. 1. tit. 73. per totum, tit. 75. §§. 8. 9., tit. 65. §. 13.; vid. L. unic. Cod. de *Irenarchis*, Ord. nostram lib. 5. tit. 61. §. 1., et Extravag. 20 Octobris 1763. Hodie strata viarum ex utraque parte Durii fluminis, dirigente in primis Collegio Vinario Portucalensi, Regina Fid. de novo faciendae, vel reficiendae curavit Diplom. 13. Decembr. 1788.

*Regia in urbe certa aedificandi forma praescripta.*

§. V. Quia vero publica praesertim et privata aedificia ad politiam quam maxime pertinent, Josephus I. pro Olisiponensi civitate reficienda, quam terraemotus horribilis fatali anno 1755. paene absumsit, plura statuit; et in primis Regio Decret. 3. Decembris ejusdem anni, et 12. Junii 1758. hujus quasi novae urbis, aedificiorum publicarum, et privatorum aedium universam ichnographiam declaravit. Postea Regio Diplomate 12. Maii 1758. certos novis aedificiis faciendis terminos constituit, et aestimatores, qui alienis areis pretium statuerent. Itaque Regia in Urbe aedificiorum exstruere contra

descriptam lineis hujusmodi formam licet omnino nemini, Extravag. 15. Junii 1759. Et haec tantum indicasse sufficiat. Item (quod hic adnotare placet) majora quaedam in Regno oppida, quae vulgo dicimus *villas*, civitates creavit, veluti Averium 11. Aprilis 1759., Pinelum 25. Aug. 1770., et Arrifanam a Sousa, quam Penafielium nominavit, 3. Martii ejusdem anni.

*Secus in reliquis civitatibus.*

§. VI. In reliquis vero civitatibus certa aedificiorum forma nulla lege publica definita exstat: *altius itaque aedificia tollere dominus eorum minime prohibetur*, ut aiunt Imperatores in l. 8. Cod. *de servitut. et aqua*, etiamsi alterius luminibus, et maris ipsius prospectui officiat; hanc enim exceptionem non admittit generalis decisio et sententia Ord. lib. 1. tit. 68. §. 24. ibi: *Qualquer pessoa, que tiver casas, póde nellas fazer . . . . quanto lhe aprouver, e alçar-se quanto quizer, e tolher o lume a qualquer outro visinho d'ante si*; neque Zenonis Constitutio, quae refertur in l. 12. Cod. *de aedific. privat.*, apud nos unquam recepta fuit, Decret. 12. Jun. 1758., cui conjungenda solemnibus Olisiponensis Senatus deliberatio habita 2. Mart. anno 1786. Namque jure suo dominus utitur, quod eidem pariter concedit, ut possit in domo quoque sua puteum aperire; quamvis, eo aperto, venae alieni putei praecisae sint, ex sententia Trebatii, Proculi, et Ulpiani in l. 24. §. ult., l. 26. *de damn. infect. l.*, 9. *de servit. praedior. urbanor.* (Inst. Lib. III. Tit XIII. §. X.).

*Quaedam hujus regulae exceptiones.*

§. VII. Quod tamen in universum intelligendum, nisi servitus vel a lege, vel ab homine, contractu scilicet aut testamento, vel a iudice demum constituta esse dicatur, ut in casu Ord. lib. 1. tit. 68. §. 37. Solarium autem super villam continentem habere, et in eam fenestram, fenestellamve aperire potest nemo; secus foramen, id est, *seteira*, eadem Ord. lib. 1. tit. 68. §. 24., vers. *Porem*, et vers. *E assi*. In angiportum quoque fenestram, vel januam non nisi de Senatus loci licentia aperire licet; ea autem semel aperta, vicinus altius extruere prohibetur, §§. 26. et 27. in plateam autem bene possunt januae, fenestraeve aperiri, dummodo recta versus vicini januam, aut fenestram non spectent, §§. 28. et 29. Potest etiam quisquam in villa sua aedificare, et vicini luminibus officere, dummodo intervallum relinquat communium sex circiter palmorum, id est, *vara e quarta*, §. 33. In plateis et viis publicis prohibitum est scalas directo ad aedis alicujus frontem aedificare, §. 30.; insuper scalas, umbraculum ramosum, et porticum ante domum habere, §. 31.; et denique ea omnia facere, quae viae publicae usum aut omnino impediunt, aut incommodum reddunt, veluti maenianum, et longos aquae pluviae a tecto prominentis canales, §§. 32. et 40. Neque praeterea, quod hic adjungendum est, quisquam potest aedes quascumque emere, destruere, et super earum saxa, caementa, et reliqua negotiari, Ord. lib. 2. tit. 26. §. 27.

*De operis novi nuntiatione.*

§. VIII. Damnum ab opere faciendo imminens nuntiare quisquam potest, et a iudice petere, ut

certam ei poenam statuatur, qui contra pristinam formam opus novum facere conatur, eum in finem, ut non pergat, donec vel causa plane cognita, vel satisdatum, Ord. lib. 1. tit. 68. §. 23., l. 1. §§. 1. et 11. *D. de oper. nov. nunt.* Nuntiatio quoque privata, quae verbis fit, et quae ipsa re peragitur, legibus nostris comprobatur, Ord. lib. 3. tit. 78. §. 4., l. 5. §. 10. *de oper. nov. nuntiat.*, l. 6. §. 1. *D. si servit. vindic.*

*Illius judicium, et similium causarum ad Aediles tantum spectat.*

§. IX. Cum vero specialem his de rebus omnibus leges nostrae Aedilibus jurisdictionem concedant, eorum tantum est lites et contentiones, quae circa operis nuntiationem, viarum munditiam, aedium aedificationem, vel destructionem, servitutes urbanas, et id genus alia emergunt, judicare, Ord. lib. 1. tit. 68. §§. 22. 23. et 42., quamvis inter Senatores et Ecclesiasticos ipsos lis oriatur, et de januis in Ecclesiam, vel illius atrium apertis, vel aperiendis, Ord. lib. 3. tit. 5. §. 9., et lib. 2. tit. 1. §. 20., Extravag. 23. Octobris 1604. Collect. I. ad Ord. lib. 2. tit. 59. N. 4., et 9. Martii 1678. ad eamd. Ord. N. 5. Horum tamen jurisdictio cum singularis sit et ad res certas circumscripta, non possunt de servitutibus rusticis, neque de vi, et interdictis ipsarum quoque servitutem urbanarum cognoscere, ut jam saepius Senatus noster Olisiponensis judicavit.

*Iis tractandis quis ordo servandus.*

§. X. Hae vero causae (quemadmodum reliquae omnes, quae ad politiam spectant) summariae sunt, et de plano cognosci debent, nec longa ad-

mittunt hiis instrumenta, vel scripturas, Ord. lib. 1. tit. 68. §. 2. Quicumque ergo jus suum vel non probaverit, vel prosequutus saltem non fuerit intra tres menses, causa cadit, ead. Ord. §. ult., l. unic. Cod. *de oper. nov. nuntiat.* Ab Aedili ad judicem in omni causa appellandum, qui eandem ad minorem usque certam quantitatem, id est, 600. solum dirimet, aliquantum vero majorem, id est, 6000. una cum Decurionibus, et loci ipsius Senatu judicabit: in gravioribus autem mulctis, et majoris momenti lite statim ad Portucalensem, Olisiponensemve Senatum recurrendum est, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 23., et tit. 68. §. 2. Similis fere apud Hispanos Ordinatio exstat lib. 4. tit. 18. l. 7. *Recopilat.*

### *Leges vere salutares.*

§. XI. Quod nemo chirurgiam, phlebotomiam, et medicinam profiteatur sine publicis et scriptis testimoniis, et quod in singulos annos Praesides provinciarum hac de re ex officio inquirent, statuit Ord. lib. 1. tit. 58. §. 33., deducta ex Sebastiani Regis Extrav. quadam 7. Julii 1561., et Ord. 3. Martii 1565. apud Leon. 4. p. tit. 17. ll. 17. et 19., qua illud etiam praeterea cautum erat, ne medici praescriptiones medicinales medicamentariis cognatis suis committerent, ullamve cum eis pactionem inirent. Huc etiam spectat Joannis IV. Diplom. 13. Mart. 1656. Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 58. N. 10., quod medicis et chirurgis prohibuit medicaminum nomina et quantitates siglis, seu notis scribere. Salutis specialis Olisipone Provisor est, qui inter alia cibariorum bonitatem in primis curabit: curare etiam debent Aediles, ne sterquilinum, canis, bestia; aelusve demortui in viam projiciantur, Ord. lib. 1. tit. 68. §§. 18. 19. 20. 21., adversamque ex odoris foeditate oritur valetudo. Hujus etiam

etiam loci non alienae prorsus sunt leges in dardaniarios, quae habentur Emmanuelis Codice lib. 4. tit. 32., Leonis Collect. 4. p. tit. 9. ll. 1. 4. 7. et 8., Philipp. lib. 5. tit. 76., et Extravag. ad eamd. Ord. Collect. I. et II., itemque in eos, qui frumentum madefaciunt, terrave commiscent, Ord. lib. 5. tit. 59., Emanan. 87. eod. lib., de quibus suo loco dicemus (Inst. Jur. Crim. Lus. Tit. V. §§. IV. et VI.).

*Pueri in primis educandi.*

§. XII. Summi in Republica Imperantes orphanorum, quorum veluti patres sunt, praecipuam curam habere debent. Leges nostrae iis, et eorum bonis tuendis specialem Magistratum crearunt, de quo integer, et verbosus titulus exstat Ord. lib. 1. tit. 88., Emanan. 67.: qui quidem illorum in primis educationi summam diligentiam adhibebit: pueros lactentes matri committet, quae filium utique admoto ubere gratis nutrire tenetur; si vero mater illustris sit, quae apud nos infantes mammis nutrire non solet, vel lacte defecerit, vel filius ipse naturalis, incestuosus, adulterinus, vel expositus almae nutrici tradetur parentis impensis et damno: is autem si inopia laborat, aut quis demum sit, ignoretur, infans in locum publicum pueris nutriendis destinatum conjiciendus, vel de bonis et redditibus Concilii et Senatus loci, vel denique in horum omnium defectum a loci ipsius incolis alendus erit; et hanc nimirum in rem, quae cunctationem minime patitur, possunt Decuriones tributum populo imperare, Ord. lib. 1. tit. 88. §§. 10. et 11. Puerum deinde septennem pro modo facultatum, et clarae obscuraeve originis vel liberaliter educare debet, vel artificii in sua et parentis arte erudiendum, vel conducta tandem opera alicui tra-

dere, §§. 13. 15. 16. 18. 38. Ord. eod lib. et tit.,  
et tit. 62. §. 36.

*Eorum bona tuenda.*

§. XIII. Neque minorem diligentiam eorum bonis tuendis adhibebit. Inventarium conficiet intra mensem a parentis cujuscumque obitu ad eum modum, quem minutissime declarat ead. Ord. lib. 1. tit. 88. §§. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Bonorum culturam, locationem, et venditionem, quando a jure permittitur, curabit; quae nequaquam emere, vel apud se quovis colore habere, vel detinere potest: neque minoribus administrationem committet, nisi XXV. aetatis annum impleverint, vel de eorum consensu sese in matrimonium collocaverint, vel veniam aetatis a Palatii Curia impetraverint, §§. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. praedictae Ord., et §. 3. tit. 9. Ord. lib. 3., et tit. 42. eod. lib. Denique lites et contentiones omnes orphanorum, sive actoris, sive rei partes agant, judicabit, Ord. lib. 1. tit. 88. §. 45. et 46.; secus criminales, §. 48.

*Et absentis, 'prodigi, furiosi, cet.*

§. XIV. Similia fere de absentibus, captivis, prodigis, furiosis, mente captis, et eorum bonis tuendis cauta sunt. Nimirum eisdem curatorem etiam dabit, Ord. lib. 1. tit. 90. in princ., et lib. 4. tit. 103., tam Laicis, quam Clericis; datio namque tutoris mere civilis est, et bona, resque externas respicit, neque ulla lege Judici Ecclesiastico committitur. Hereditati quoque jacenti curator dandus, Ord. lib. 1. tit. 90. §. 1. Potest etiam Regius Provisor absentium bona proximis cognatis addicere hanc tamen in rem ea omnia servare debet, quae providentissime constituta sunt Ord. lib. 1. tit. 62. §. 38.



*Hospitalia publica.*

§. XV. Valetudinaria publica administrat Regius Provisor, qui in primis medicum, chirurgum, et eorum curationes, aegrotos, cibum, stratum, et ipsius valetudinarii custodes in animo semper reputabit; illorum quoque bona pari diligentia curabit; itemque capellas, confraternitates, et reliqua tandem, quae montis pietatis nomine veniunt, Ord. lib. 1. tit. 62. a §. 39. usque ad §. 66. Celebre vero Omnium Sanctorum Hospitalis, et Misericordiae Sacrae Olisiponensis Sodalitas per Reginam Eleonoram anno 1498. fundata, et Emmanuelem Regem liberali manu dotata, judicem habet specialem ex Senatorum Domus Supplicationis ordine, Ord. lib. 1. tit. 16., deducta fere ex Sebastiani Regis Extravag. 18. Decembris 1565. apud Leon 1: p. tit. 14. l. 1.

*Leges sumptuariae.*

§. XVI. Leges sumptuarias, ut antiquiores omit- tam, quae habentur Ord. lib. 5. tit. 100., Emman. 102., Alphons. 43., et Leonis Collect. p. 4. tit. 1. l. 6., plures dederunt Petrus II. 25. Januarii 1677., et 9. Aug. 1686., 5. Aug. 1688., 14. Novembris 1698.; Joannes V. 6. Maii 1708. Collect. I. ad eamd. Ord. Nn. 1. 2. 3. 6. 9., et 24. Maii 1794., 19. Septembris ejusdem anni, 21. Aprilis 1751. Iis nimirum prohibita inter alia sunt tela, pannus bombycinus spissior aureis, vel argenteis floribus interstinctus, torulus, fimbria, et taenia textilis aurea, vel argentea, crystalum, vitrum, gemma servilis vestis rubens, galerus vultum tegens, muliebris vestis, larva, itemque frontem pallio involvere; dictis Extravagg., Ord. lib. 5. tit. 79. §§. 2. 3., et tit. 34. cod. lib., Regium Petri II. Diplom. 25. Augusti 1689. apud eamd. Ord. Coll. I. N. 1.; et denique

Regia in urbe vehiculum, cui duo plusquam juncti sint equi, novissima lege 2. Aprilis 1762. data.

Luxus e Republica non omnino eliminandus, et maxime in Monarchia; sed moderandus, et ita omnia temperanda, ut ratio sumtuum, redituum, et erogationum inter se congruant; quam in rem egregia multa habet Abbas Pluquetius in libello inscripto: *Traité Philosophique et Politique sur le luxe*; leges vero sumtuariae, prout illarum natura fert, temporales sunt, et non solum aliis legibus, sed moribus etiam et usu contrario derogantur. Quis enim hodie suscitaret obsoletas Sebastiani Regis leges sumtuarias 5. Jun. 1560., 22. Novembr. 1566. (apud Leon. 4. 1. 2. et 6. (, 28. April. 1570. (apud Franc. Corream p. 6.)), quae et convivarum numerum, et cibaria ad mensam adponenda in publicis, privatisque conviviis minutissime describunt; itemque Petri II. 5. Aug. 1688., 14. Novembr. 1698.; et Joannis V. 6. Maii 1708., quibus nova vestimentorum genera sunt prohibita? (Vid. Saavedra *Empr.* XXI.)

#### *Et funerariae.*

§. XVII. Funerariae vero leges, quae funerum impensas, et lugubres vestes declarant, eisdem fere Ordd. et Extravagg. habentur. Pragmatica Sanctione 24. Maii 1749. cap. 17. ob mortem Principum, parentum, conjugis, et filiorum legubria ultra semestre prohibentur; soceri, socrusve, fratris, sororis, conjugis fratris, sororisve mariti ultra quatuor menses; patrui, avunculi, fratris, sororisve filii, et patruelis ultra menses duos, et reliquorum consanguineorum ultra decem supra quinque dies. In funeribus prohibitum quoque est Ecclesiarum parietes, tecta, scamna funebribus vestimentis induere, et tumulum sublimi loco habere. Regio Diplomate 17. Augusti 1761. §§. 3. 4. lugubres quidam ritus prohibentur. Maritus intra novenos a funere uxoris dies, et contra, vel patris quisque sui, filii, fratrisve in iudicium vocari non potest,

Ord. lib. 3. tit. 9. §. 9. Poenae viduis ea de causa indictae, quod intra annum luctus nubunt, legibus nostris non debentur, Ord. lib. 4. tit. 106.; secus quae secundas ipsas nuptias, et filiorum ex primo matrimonio susceptorum favorem respiciunt, quales habentur Ord. lib. 4. tit. 91. §. 2., et tit. 105., et testamentaria lege 9. Septembris 1769. §§. 27. 28. et 29.

Mulieres intra annum luctus nubentes antiquis legibus, vel moribus (et hoc probabilius est) tamquam infames habebantur, et certas dabant poenas, quas in matrimonii favorem, et legum ecclesiasticarum obsequium abrogavit Petrus I., Ord. Alphons. lib. 4. tit. 17. Haec tamen Petri lex, ad populi rogationem lata in Comitibus Helbis civitate habitis, et posteriores Ordinationes infamiam facti, et publicae honestatis, et existimationis diminutionem abolere nunquam potuerunt, quae non modo ex matrimonio intra annum luctus, sed ex secundis generaliter nuptiis resultare vulgo existimatur: quae opinio hodie etiam viget in minoribus praesertim oppidis et pagis, et maxime in Provincia Interamnensi, quod in illius incolarum laudem dico: poenae vero, quae secundis nuptiis statutae fuerunt Const. 9. Septembr. 1769. §§. 27. 28. 29., justo graviores sunt, neque jam locum habent post Regium Decret. 17. Jul. 1778.

*Diversae apud nos unumquemque colendi rationes.*

§. XVIII. In civitate cum non omnes ejusdem ordinis sint, nec profecto esse possint, aut debeant, jam ab antiquissimis inde temporibus publicae apud nos constitutae sunt unumquemque colendi rationes; et ut antiquiores leges omittam, et ipsum quoque Philippi II. Diploma 16. Septembris 1597., Joannes V. 29. Januar. 1739. apud Ord. lib. 5. tit. 92. Collect. I. N. 3. statuit, quod Excellentis nomine, id est, *Excellentia*, et *Excellentissimo* adficiantur Regni Magnates tam Ecclesiastici,

seu Episcopi a Rege tantum nominati, quam Saeculares, veluti Duces, Marchiones, Comites, itemque Domus Supplicationis Rector, Portucalensis Gubernator, Regii aerarii Moderatores, Palatii Curiae, Conscientiae Ordinumque Militarum, Consilii Transmarini, et Senatus Olisiponensis Praesides; Indiae et Brasiliae Proreges, et castrorum, exercitus, classisve Praefectus: dominicae vero adpellationis vocabulo, id est, *Senhoria*, honorentur Vice-Comites, Barones, et eorum, Regnique Magnatum filii, Regiae Domus Administer, nobilis, qui apud Regem servit, Ecclesiae Patriarchalis Canonicus, Magnus Ordinis Avisiensis et S. Jacobi Prior, Academiae Conimbricensis Rector (hodieque etiam Prorector Diplom. 12. Januar. 1811.), Bullae Cruciatæ Commissarius, Capitulum sede plena, vel vacante, et Administri denique omnes, qui Regis a Consilio sunt, Extravag. 15. Januar. 1759., nec non Alcobatiensis Monasterii Abbas, Regis Eleemosynarius, Diplom. 20. Jun. 1764. Jam vero cum tam diversi inter cives ordines sint, plura hinc dissidia et perturbationes oriri necesse est; et huc in primis spectant quaestiones circa praecedentiam, magnis ut plurimum animi contentionibus agitatae, quas definire publice interest (Inst. Lib. II. Tit. III. §. LXII.).

Circa civium praecedentiam haec tantum adnotare sufficiat. Principes Regii sanguinis omnibus in civitate praecedunt, et inter se pro sanguinis, et gradus proximitate, quod in Gallia speciali constitutione firmavit Henricus III. anno 1576. Regum nostrorum filii, filiaeve indistincte Principes, Infantes, Reges, et Reginae olim vocabantur; Principis namque titulus filio Regis primogenito ab Oduardo primo Rege Alphonso filio natu majori fuit donatus, Brand. *Monarch. Lusit.* 5. p. lib. 16. cap. X. Joannes IV. Primogenitum Regis Brasiliae Principem et Ducem Bragantiae in perpetuum vocari jussit Regiis Literis 27. Octobr. 1645. apud Sous. tom. IV. *Probat.* ad lib. VII.

*Hist. Genealog.* N. 29. Duces Marchionibus, et hi Comitibus praecedunt, et omnes inter se pro antiquiore die, in literis donationis adscripta, *Diplom.* 29. Jun. 1556., 20. April. 1589. apud Andrad. *Chron. Joann. III.* P. IV. esp. 119., et Sous. tom. II. *Probat.* ad lib. IV. *Hist. Genealog.* N. 127. Nobiles inter se pro nobilitatis gradu et ordine praecedunt, omnibus autem in eodem ordine Regii Donatarii praeferuntur. Vice-Comites et Barones, qui in Palatii Curia, belli Consilio, vel Regio Patrimonio serviunt, praecedunt collegis antiquioribus, licet simili titulo non insignitis, *Decret.* 10. Jan. 1706., *Diplom.* 16. Jun. 1786. Administri quoque Regis Consilarii praecedunt iis, qui Regis a Consilio non sunt, *Diplom.* 20. Novembr. 1786. Senatores ordinarii honorariis antecedunt; sed honorarii minime habendi, qui in Senatu, vel extra civile aliud munus exercere jubentur, vel idem, quo fruebantur, continuare, dummodo Senatorum muneri idonei sint; namque officium suum, et major, quae ad praefatum munus habitas supponitur, nemini debet esse damnosa: itaque Conimbricenses Professores, Senatorum numero et albo adscripti, cum Senatoribus ordinariis omnino concurrunt, iisdem privilegiis, et honoribus utuntur, et eisdem antiquitate sua praecedunt, uti expresse decisum fuit *Decreto* 10. Jun. anno 1666. dato. Neque Georgii Cabedi auctoritas, quanta maxima esse videatur, qui ab adverso adlegatur *decis.* 5., vincere potest aut rationem, aut dictam legem Extravagantem. Idem dicendum de Supplicationis Senatus Deliberationibus, praecedentiam hanc contra praefactam legem decidentibus. Plura habent Jacob. Gothofred. *Diatrib. de jur. praecedent.*, Jacob. Andr. Crusius *de praeminent. sess. praecedent.*, et ex nostris Joann. Thom. Negreirus *Introd. ad leg. criminal.* cap. XXIII. a n. 28.

### *Vetita arma.*

§. XIX. Ad civitatis internam securitatem tuendam maxime spectant leges, quae quorundam armorum usum hominibus interdiciunt. Antiquis Regni legibus, quae habentur *Ord. lib. 5. tit. 80.*, *Emman. lib. 1. tit. 57.*, *Alphons. tit. 31.*, et *lib. 5. tit. 75.*, et Leonis *Collect. 4. p. integro tit. 2.*, prohibentur pilaferrea, plumbae saxea; arma ferientia, et tegan-

tia; excipitur gladius non ultra modum oblongus; neque e vagina eductus, pugio, sica; noctu tamen in civitate telorum omne genus prohibitum est, et praesertim sclopetus (*arcubus*), fistula ferrea (*espingarda*), brevis vel brevissimi modi sclopetus (*pistola*, *pistolete*): prohibitum quoque ferreae fistulae plumbeis glandibus avem petere, et hac de re debent in singulos annos iudices inquirere, eadem Ord. tit. 80. Antiquis his legibus plures aliae adcesserunt Philippi III. anno 1610. et 1613., Philippi IV. 1634., Joannis IV. 1649., Alphonsi VI. 1660., Petri. II. 1678., Joannis V. 1719. Collect. I. ad eamd. Ord. lib. 5. tit. 80. Eiusdem Extravag. 24. Maii 1749. cap. 14., et Josephi I. 21. Aprilis 1751: gladio, gladiolove sese succingere haud possunt servi a pedibus, nigrive, operarii diurna mercede conducti, et alii hujusce ordinis homines. Extravag. 25. Junii 1749., ut alias omittam, cultri, cultellive mucronati usus gravibus poenis prohibetur.

*Cum nulli, incivili atque inconsultis Principibus, quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur, l. unic. Cod. ut armorum usus incivili Principe interdictus sit, Ord. lib. 2. tit. 26. §. 2., mirum non est quam plurimas hanc in rem apud nos leges exstare, diversis temporibus et pro rei natae occasione latis, quas supra retulimus. De armorum tamen usu diversi diversa opinantur, nam quidam eum omnino interdicendum existimant, quasi incivile sit quemquam, pacis praesertim tempore, inter cives, notos et amicos armatum incedere: contra vero quidam omnibus promiscue concedendum tamquam defensionis medium necessarium. Sed profecto cum multis flagitiis causam arma praebeant, publice certe interest quorundam armorum usum omnino inter cives ipsos prohibere, quorundam pro loci, temporis, et personarum ratione concedere. Quae autem poenae civili huic delicto respondeant, difficile est definire. Credo ego poenas sanguinis, flagellationis, deportationis, et infamiae justo graviores esse: itaque Nov. Const. 29. Marti. 1719., etc., quae easdem statuere videntur, intelligenda sunt in casu speciali, quando scilicet interdicto armorum usui quaedam adjuncta fuerunt, quae crimina adgravare solent.*

*Leges in errubundos , et aleatores.*

§. XX. In errone, vagos, otiososque homines leges plures exstant jam ab Regni ipsius initio; Fernandi in primis 26. Junii 1375. apud Fr. Emmanuelem a Sanctis *Monarchi Lusit.* 8. p. lib. 22. cap. 19. , et illius successorum, quas in suos Codices redegerunt Alphons. V. lib. 4. tit. 34., Emman. lib. 5. tit. 72 , Philippi II. tit. 68. eod. lib.; Philippi III. 12. Mart. 1603 , 9. Januarii 1604 , 30. Decembris 1605., 25. Decembris 1608., Philippi IV. Decreto 13. Augusti 1639., Joannis IV. 16. Martii 1641., Petri II. 23. Septembris 1701. Collect. II. ad Ord. lib. 5. tit. 68. NN. 1. 2. et 3., Joannis V. 25. Martii 1742., Josephi I. 4. Novembris 1755., et 25. Junii 1760. Legibus itaque hujusmodi inter alia cautum est: I. ut homines vagi, quocumque loco deprehensi, qui vitam in otio agunt, artem nullam exercent, et bona, unde victum quaerent, non habent, nec in alicujus mancipio sunt, in carcerem publicum, si intra XX. dies ad meliorem vitam non redierint, conjiciantur, Ord. lib. 5. tit. 68. in princ. II. Ut eisdem adnumerari debeant quicumque turpiter, inhoneste, vel qui de ludo vivunt, Decret. Petri II. 23. Septembris 1701. III. Gens illa vaga, quam nos *Ciganos* dicimus, Ord. lib. 5. tit. 69., Extravag. Philippi III. 7. Januarii 1606., Joannis V. 10. Novembris 1708. Collect. I. ad eamd. Ord. NN. 1. 5., et Regium Josephi I. Diploma 20. Septembris 1760. IV. Alea cujuscumque generis, et folia omnia lusoria, nisi fuerint in Regni officina fabricata, prohibentur Ord. lib. 5. tit. 82. princip., et §§. 1. 2. et 3., Extravag. Philippi III. 17. Martii 1605., Petri II. 29. Octobris 1696., ibid. Collect. I. Nn. 1. 2., et Regium Diploma ultimo Julii 1760. V. Gravibus poenis coercentur, qui aleatores in domum suam recipiunt, iisve quidquam subministrant,

Ord. lib. 5. tit. 82. §. 4. ; neque iidem pro damno, injuriave sibi illata agere possunt, §. 5. VI. Quicumque festis Ecclesiae diebus globulis metulis deijciendis mane operam dederint, et profestis etiam ignobiles pecuniariam quamdam mulctam solvunt, Ord. eod. lib. et tit. §. 10., deducta ex Emman. Regis Extravag. 8. Julii 1521. apud Leonem 4. p. tit. 4. l. 1.

Gens illa vaga, quam *Ciganos* adpellant, quae ab anno circiter 1524. per universam fere Europam peregrinatur, ubique durius et inhumanius, quam par erat, excepta fuit; et fortasse non alia de causa, quam quia magiscis artibus dedita vulgo credebatur. Haec autem cum fuisset vulgi opinio, mirum non est hos homines nulla juris communione et hospitio frui, cum hostium paene loco habeantur, Ord. lib. 5. tit. 69., et citatis Extravag. Quae vero de aleatoribus scripta inveniuntur Ord. lib. 5. tit. 82., Emman. 48., Alphons. 40. 41., fere transcripta sunt e jure Romano in tit. D. et C. *de aleator.*, neque omnia hodiernis moribus conveniunt.

*Et in caupones et viatores.*

§. XXI. Eadem novissima lege 25. Junii 1760. §. 12., qui cauponiam exercent, tenentur singulis diebus nomina et comitatum eorum, quos in domum suam receperunt, coram Magistratu loci profiteri; eos similiter, quos in navim nauclerus recepit, declarare debet, §. 13. Judices ordinarii singulis quique mensibus stabula invisere debent, cibariis pretium imponere, et curare, ut rebus omnibus instructa sint, quae viatorum usui esse possunt, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 20. Stabularii, nautae, et caupones pro furto et damno in stabulo, cauponave commisso omnino tenentur, nisi eam diligentiam adhibuerint, quam statuit Ord. lib. 5. tit. 64., Emman. 39. (Inst. Lib. IV. Tit. IV. §. IX.). Liber etiam tam in Regno, quam in provinciis



transitus, et praecipue in extera Regna transmigratio civibus pariter ac peregrinis, laicis juxta ac clericis, sine commeatus literis prohibetur; quod quidem non modo lege novissima 25. Junii 1760. §§. 14. 15. 16., Diplom. 9. Januar. 1792., verum etiam antiquis ipsis legibus Joann. IV. 6. Septembr. 1645., 8. Februar. 1646., Alphons. VI. 6. Decembr. 1660. Collect. I. ad Ord. lib. 5. tit. 107. Nn. 4. 5. 8. cautum erat.

*Et in pauperes et mendicos.*

§. XXII. Egenorum inopiae subvenire leges quidem omnes concedunt; e Republica tamen est piis hujusmodi largitionibus modum imponere, quibus saepe civium vitia et otium nutriuntur. Mendicitas autem malum politicum est, modis omnibus extra urbem eliminandum. Jam dudum antiquis Regni legibus cautum est, nequis eleemosynas Sancti alicujus nomine et invocatione petat, nisi de Palatii Curiae licentia, Ord. lib. 5. tit. 103.. Emman. 104., Regim. Palatii §. 65. Joannes III. Comitiorum lege 29. anno 1538., et 4. Novembr. 1544., Sebastianus 6. Novembr. 1558. apud Leonem 4. p. tit. 13. ll. 1. 3. 4. mendicare prohibuerunt bene valentibus hominibus, iisque, qui unde viverent, habebant; debilibus vero manu, pede, brachio, vel nimia egestate laborantibus Regia in Urbe de facultate Provisoris Confraternitatis Curiae, in Regno et provinciis de loci Senatus licentia concesserunt. Speciali hanc in rem memoria digna est saepius dicta Ferdinandi Ordinatio 26. Jun. 1375. Providentissimas has leges confirmarunt Philippus III. 9. Januarii 1604. Collect. I. ad Ord. lib. 5. tit. 103. N. 1., 25. Decembris 1608. §. 13. Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 49. N. 1., et omnium plenissime Josephus I. Rex Fid. Regio Decret. 4. Novembris 1755.,

et saepius memorato Diplomate 25. Junii 1760. §§. 18. 19. (Hist. Jur. Civ. Lus. §. LXI.).

*Politiae generalis et supremus Administer.*

§. XXIII. Ut vero civilia haec instituta, et politicae leges speciales quam diligentissime servarentur, Josephus I. singularem, eumque honorificentissimum Magistratum creavit, quem propterea quod in illarum custodiam cogitationes omnes intendat, *Intendentem Generalem Politiae Curiae et Regni* adpellavit. Eidem Magistratus omnes criminales subjecti sunt, et rationes reddere debent in iis scilicet, quae ad illius amplissimam, et nullis fere limitibus circumscriptam jurisdictionem spectant ad eum modum, quem Rex ipse Fid. declaravit dicto Diplomate 25. Junii 1760.

Amplissimo hoc munere hodie fungitur Didacus Ignatius Pina Manichius, Palatii Curiae Senator, qui semper pro bono publico stat, et Patriam cognationi, amicitiaeque anteponit. Sed vero plura sunt, quae deesse videntur, et expetuntur, hanc in rem omnino necessaria. Nam quae habentur generali Edicto 25. Jun. 1760., non omnia respondent, aut conveniunt fini, quem Josephus I. illius Auctor sibi proposuit, uti Regina ipsa Fid. agnoscit Regio Diplom. 15. Januar. 1780. in princ. Quare inter alia desideratur adhuc Regimen speciale, quod generalis hujus politicae Administri jurisdictionem definiat, et cessare faciat contentiones hac de causa ortas inter judices criminales ordinarios, et Decuriones, quibus legibus Regni politia commissa erat, et extraordinarios hos judices; et quod denique omnes, vel praecipuas politicae partes comprehendat, ac tandem determinet.

*Leges theatrales.*

§. XXIV. Publica quoque theatra, comicos, actores, fabulae actionem, et comoedias vel maxime Magistratus nostri curabunt; neque enim im-

pune ferenda, quae aut verecundiam, Religionis sanctitatem offendunt, aut generaliter contra bonos mores sunt. Celebres apud nos taurorum agitationes non nisi cornuis amputatis tolerantur, Extravag. Petri II. 24. Febr. 1686., 20. Septembr. 1691. Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 66. Nu. 12. 13., Decret. 14. Septembr. 1676., 28. Aug. 1684., Collect. II. Nu. 7. 8. ibid. Musicorum instrumentorum concertus, et cantiuiculae noctu praesertim ad alterius januam prohibentur, Ord. lib. 5. tit. 81., Emman. 103.; similis apud Hispanos Ordinatio exstat lib. 8. tit. 10. l. 5. Recopilat. Musicam publicè profiteri nemo potest, nisi in ea diu multumque fuerit exercitatus, et in Sanctae Caeciliae Confraternitatem cooptatus, Diplom. 15. Novembr. 1760. In spectaculis denique, et diebus quacumque ratione festis interdictum cuicumque est vultum larva in sui dissimulationem obtegere, Ord. lib. 5. tit. 79. §§. 2. 3. 4., et tit. 34. eod. Extravag. Petri II. 25. August. 1689. Collect. I. ad Ord. eod. lib. tit. 34. N. 1.

Vetus quaestio est, an theatra bonis moribus et publicae honestati repugnent: de qua nostris temporibus disputarunt *Mess. Rousseau*, et *d'Alambert*. Ille adfirmat; contra vero *d'Alambert* magnis rationibus contendit theatra, si pro eo ac debent administrantur, bona esse et utilia. Eadem defendit *Mons. Fagan*, cet.; sed nos hanc quaestionem aliis examinandam relinquimus.

### *Oeconomicae.*

§. XXV. Praeclarum illud quoque civitatis institutum est, non modo Ecclesiarum, Clericorum et Monasteriorum acquisitionibus leges dare, quas jam suo loco memoravimus (Tit. V. §§. XI. et XII. h. lib.), Religiosas familias de novo admittere, antiquas bene meritas servare, et nocentes e civitate ejicere; verum etiam certos homines designare,

qui in Clericorum, vel Monachorum ordinem cooptentur. Jure itaque Josephus I. Episcopis, et reliquis Praelatis ecclesiasticis interdixit quemquam ordinare, vel in suum Religiosum ordinem nisi de illius licentia recipere: jure etiam meritoque Jesuitas ob horribiliora eorum facinora proscripsit saluberrima lege 3. Septembr. 1759. , et jure denique civitate privantur quicumque in Castellae Regno furtim Clerici instituuntur, Reg. Petri II. Decret. 15. Martii 1663. Collect. II. ad Ord. lib. 2. tit. 3. N. 1.

Potestas oeconomica, in differentiam civilis, judicialis et politicae, ea est, quae Imperanti competit tanquam Patrifamilias, eaque non civilis societatis securitas interna, vel externa immediate procuratur, sed domesticae ac familiaris; quamobrem exerceri debet non castorum more, et judiciali, sed naturali, oeconomico, et patrio, sola facti veritate inspecta; adeoque capitales poenae huic potestati nullo modo convenire possunt, cum subditorum justa ac legalis animadversio eadem non intendatur, sed correctio quaedam, et castigatio talis, qualis malo reparando, et praeveniendo necessaria est. Et quam multa hac ratione Principi competant, facile omnes vident, eaque referre longum esset, nec operis instituti ratio patitur. In primis autem huc spectant (et haec summa est) jura omnia circa actiones privatas, et domesticas patrumfamilias, et filiorum, res sacras, et Ministros Religionis. Eodem a non nullis referuntur leges omnes, quae jurisdictionem Regiae Coronae Donatariis concessam determinant, et naturam explicent Regiarum Donationum, de quibus in Jure Privato, cum de eisdem Donatariis sermo erit (Inst. Lib. II. Tit. III. §. XVII. et seqq.) dicemus. Illud hic notandum, sanctissimis Episcopis nunquam concessum fuisse usum potestatis civilis oeconomicae, sed judicialis tantum ad nostrarum legum praescriptum, de quo signanter agit Cresp. *observ.* 3. *de usu, et exercitio oeconomicae et politicae potestatis*, et Trobat. *de effectibus immemorialis praescriptionis* 2. p. tit. 1. quaest. 2.

*Et literariae.*

§. XXVI. Denique (neque hoc praetermittendum est) propriam hic sedem habere videntur leges circa civium studia, collegia literaria, et universitates. Praecipua nos tantum indicabimus; namque omnia prosequi et longum multum esset, et ab ea dicendi lege, quam nobismet ipsis diximus, prorsus alienum. In primis Regni Ord. lib. 5. tit. 102. cautum jam dudum erat, quod libri non nisi de Regis licentia prelo supponantur. Minora studia, ut ab iis incipiamus, et Theologia ipsa, praesertim Moralis, initio in Ecclesiis Cathedralibus, Monasteriis et Paroeciis celebrioribus Regis auctoritate instituebantur. Joannes III. Coimbricae, Olisipone, et locis aliis insignioribus eadem fundavit, et iis tradendis viros undique doctissimos arcessivit; quae quidem postea cum vel temporum injuria, vel improbissimorum hominum machinationibus tamdiu in situ et pulvere jacuissent, nostra demum aetate pristino sunt nitore restituta. Joannes V. Olisipone Regiam Historiae Lusitanae Academiam fundavit 8. Decembr. 1720., et ea efflagitante, numismata veterum, inscriptiones, simulacra, cippos demoliri prohibuit 20. Augusti 1721. Colect. I. ad Ord. lib. 5. tit. 12. N. 5. Josephus I. Rex Fid. Rhetorices, Hebraicae, Graecae et Latinae Linguae Professoribus de novo creatis instructiones sapientissimas dedit 28. Junii 1759., idem generali constitutione 6. Novembris 1772. in omnibus urbibus et majoribus oppidis tam in Regno, quam in provinciis sub Regiae Curiae Censoriae (hodie Commissionis Generalis pro examine et censura librorum) ductu ac ratione publicas scholas aperuit. Nobilium institutioni literarium Collegium Regia in Urbe fundavit 7. Martii 1761.; Mafrense Collegium in fidem suam ac

tutelam recepit 18. Augusti 1772.; et Academiam denique Conimbricensem, quam Dionysius primum Olisipone fundavit anno 1291., quamque ad Conimbricam Joannes III. transtulit anno 1537., et egregiis Professoribus ornavit, ipse demum de novo veluti condidit, et literariis novis legibus arnavit 28. Augusti 1772. datis. Eandem Collegia multa ornant; primas autem tenent tria haec, Ordinum Militarium a Philippo III. anno 1615. fundatum, Divi Pauli a Joanne III. anno 1550., Divi Petri per Rodericum Lopesium Carvalium, Episcopum Mirandensem, anno 1548., et ab eodem Rege Academiae cooptatum 17. Januar. 1549., itemque Academicum Artium Collegium anno 1548. Videsis Francisc. Leit. Ferrer. *Notit. Chronolog. Univers. Conimbr.* ad ann. 1308. n. 194., Francisc. Carneir. Figueir. illius *Memor.*, Cabed. *de patronat. Reg. Coron.* capp. 47. 48., *Alcobatia Illustr.* tit. 6. cap. 110., *Monarch. Lusit.* 5. p. lib. 16. cap. 67., Emman. Ord. lib. 3. tit. 11. §. 1., Extravag. Joannis III. 10. Octobris 1534. apud Leonem 1. p. tit. 4. l. 2. §. 8., 13. et 24. Januarii 1539., 4. Novembris 1545.; Sebastiani 20. Martii 1566., 6. Novembr. 1564. apud eundem 4. p. tit. 17. ll. 12. 13. 14. 15. 16.

---

TITULUS

## TITULUS XI.

### De Jure Militari.

#### *Belli necessitas.*

§. I. AD Civitatis externam securitatem procurandam, et bona juraque nostra tuenda, quae saepius injuria civitas alia invadit, bellum spectat, necessarium inter liberas gentes malum. Eodem etiam spectant leges cum ad bellum ipsum gerendum, denuntiandum, extinguendum, renovandum, ad milites legendos, duces creandos, et militiae vacationem dandam, tum ad honores denique, et privilegia militaria; quae omnia summaratim perstringemus.

#### *Diversa militaria instituta.*

§. II. Equidem initio aliud apud nos erat militiae genus, quemadmodum apud omnes nationes, alia vocabula, et militares aliae dignitates; quae referre nihil vacat. Ferdinandus Rex Lusitanam militiam, et officia militaria instauravit. Alphonsus V., Emmanuel, et Joannes III. anno 1549. militares multas leges dederunt, quas ferme in suum Regimen redegit Sebastianus anno 1569. Joannes IV. Regni confinium Gubernatoribus speciale Regimen dedit, et Petrus II. provinciarum Regni universis Rectoribus 11 Jun. 1678. apud novam Ord. edit. libro 5. in fin. Collect. III. Singularia multa postea addidit Joannes V. anno 1707. et 1735. Josephus I. Rex Fid. militiam ad meliorem statum, formamque reduxit: namque militarem novum Regimen dedit 18. Februar., et 15. Jul.

1763., quod secreto militiae proceres secum habere debent; commodiorem paganorum in militiae tabulas referendorum rationem praescripsit 24. Febr. 1764.; copiarum numerum mirifice adauxit 9. et 21. Aprilis 1762.; et alia denique militibus, eorumque ducibus insignia, et militaria nomina indixit 27. April., 30. Maii 1761., et 14. Aprilis 1762.

Propositum mihi non est neque Lusitanorum res bello praecclare gestas, aut eorum iusignem virtutem, cujus inter alia monumentum exstat aere perennius apud Paul. Jctum in l. 21. D. de negot. gest.; neque militaria instituta, bellicam disciplinam, militaria nomina, officia, dignitates; neque leges etiam ipsas omnes militares referre; sed eas tantum, quae usum et adplicationem in civili foro habere possunt. Videsis singulare opus inscriptum *Discursos sobre a Disciplina Militar*, Emmauelem Severinum Fariam *Notit. Discurs. II. §§. 1. 2. 3. 4.* et seq., *Monarch. Lusitan.* 8. p. lib. 22. cap. 48., Joann. Bapt. Castr. *Portugall. Mapp.* tom. 2. p. 4. capp. 3. et 4., cet.

### *Militiae genera.*

§. III. Militia, praecipua gentis nostrae laeta, vel urbana est, auxiliaris, vel lecta. Urbanae; omnium antiquissimae, in quam cives fere omnes cooptantur, praest Dominus loci, vel Doces urbani, seu *da Ordenançu*; qui omnes ea arma et equos habere debent, militari arte exerceri, et ad eam modum in senatu eligi, quem Sebastiani lex anno 1569., et Joannis V. 18. Octobris 1709. Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 67. N. 8. declarant: haec tamen militia hodie vel nullius, vel exigui admodum usus est. Auxiliari vero milites majoris aliquantulum usus esse possunt, et merito pluribus gaudent privilegiis, quae habentur Regio Diplom. 24. Novembris 1645. Collect. I. ad Ord. lib. 2. tit. 47. N. 6., et 22. Martii 1751. Milites autem lecti



et stipendiarii, eorumque Duces, ac Imperatores, de quibus praecipue leges nostrae loquuntur, digni sunt, qui hoc tantum nomine honorentur. Equidem lecta haec militia alii cuicumque ob majores commoditates praeferenda; et ipsa deinde publica civitatis ratio exigere videtur, ut res militares non nisi lectis et probatis hominibus committantur.

*Duces et arcium Praefectos creare Regis jus est.*

§. IV. Duces terra marique creare Regium jus est, Ord. lib. 2. tit. 26. in princip., et arcium Praefectos, seu *Alcaides mores*, de quibus integer tit. 74. inscribitur lib. 1. Ord.; hi quidem bene possunt sibi quemquam substituere ac nominare, §. 4. Ord. eodem libro et tit; Duces vero sic dicti nequaquam. Eisdem ars omnino custodienda committitur; eam tamen Judices, provinciae Praesides, Provisores saepius invisere tenentur, et illius refectionem, munimentumque curare, §. 14. eodem. De Africae regionis, et arcium Praefectis, transmarinis Gubernatoribus, eorumque jurisdictione specialis mentio fit Ord. lib. 2. tit. 47., et Extravag. 20. Aug. 1615., 3. Decembris 1621. Collect. I. Nu. 1. et 3. ibidem, itemque Regio Decret. 11. Septembris 1762,

*Et bellum movere, milites legere, et militaria subsidia imperare.*

§. V. Regis etiam solius est bellum in India, Brasilia et quaesitis aliis dominationibus inferre, indicere, renovare, extinguere, Ord. lib. 5. tit. 107. in princip.; armorum movendorum copiam alieni tribuere, et campum contententes inter habere, Ord. lib. 2. tit. 26. §. 2., l. unic. Cod. *ut armorum usus inestio Principe. interdictus sit*; milites le-

gère, et paganos in militum tabulas referre, quo spectant leges, quas *das recrutas* dicimus, 24. Februar., 7. Julii, 1. et 15. Octobris ann. 1764. Et quia militia publicum munus est, l. ult. D. *de muner; et honor.*, cives omnes ad illud suscipiendum cogi possunt, sed a Rege tantum, non a loci Dominis, quacumque fulgeant dignitate, Ord. lib. 2. tit. 26. §§. 5. 7., et lib. 5. tit. 96.; quorum etiam non est, sed Regis dumtaxat, tributum tempore belli populo imperare, §. 6. eadem Ord. lib. 2. tit. 26.; itemque militiae vacationem quibusdam concedere, veluti sexagenariis, cet., Ord. lib. 2. tit. 60. in princip. Ad decimam autem militarem quae spectant, quam Josephus I. coactus paene indixit 26. Septembr. 1762., et cui exigendae instructiones suavissimas dedit 18. Octobris ejusdem anni, habentur Regia Epistola 29. Maii 1764., Diplom. 11. Maii 1770., et dubitationum Regia explanatione 12. Junii ejusdem anni. Namque cives cum Republicam et ejus jura tueri debeant, non enim alia causa in civitatem coiverunt, vel ipsi militare, vel conductis militibus stipendia solvere tenentur; haec tamen huc non pertinent.

*Bello capto cui cedant.*

§. VI. Bello capta ad Regem spectant, non ad occupantes; quemadmodum inimicorum naves, quae ad litora nostra adpulerunt, Extravag. Joannis V. 20. Decembris 1713. Collect. 1. ad Ord. lib. 2. tit. 32. N. 1., quae §phum 1. ejusdem Ordinationis revocavit (Inst. Lib. III. Tit. III. §. III.). Neque distinguimus inter res mobiles et immobiles, vulgares, pretiosas, et personas; omnia enim bellum gerenti cedunt. Nam miles instrumentum est Principis, cujus auspiciis bellum geritur; ideoque stipendio suo contentus esse debet ex vetere jure,

quod Homerus jam declaravit *Iliad.* X. vers. 327. et seq.: itaque vera omnino non sunt, quae hanc in rem jus Romanum statuit l. 5. §. 7. D. *de adquir. rer. dom.*, §. 17. *Inst. de rer. divis.*, cet., ut jam alii demonstrarunt. Petrus II., seu potius Catharina soror ejus nomine 18. Junii 1704. apud Melch. Pheb. *decis.* 195. piraticam ejusdem auctoritate facientibus praedam certo sub onere concessit.

*De Saracenis a nostris captis.*

§. VII. Quamvis autem justo bello capti et Gentium et Romanorum jure servi efficiantur; tamen servitute semel inter Christianos explosa, non dubitamus adserere eam vel nunquam apud nos in usu fuisse, vel in usu jam dudum esse desiisse. Nec excipimus bellum cum Turcis licet et Saracenis habitum, vel aliis Christiani nominis hostibus: non quod illorum captivi et naturae et talionis jure, cum nostri ab eisdem capti durissima servitutis lege detineantur, tamquam servi haberi et traduci merito non possint, *Grot. de jur. bell. ac pac.* lib. III. cap. 7. §. 9.; sed quod nunquam apud nos obtinuerunt durissima omnia servitutum jura, quae legibus Romanis comprobantur. Quare ab Regni jam initio Alphonsus Henricus Saracenos captos humaniter excepit, eisque benigne suarum legum usum concessit anno 1180., ut ex scriptura quadam apud Brandanum *Mon. Lus.* 3. p. lib. XI. cap. 32. constat: et quamvis posterioribus legibus ad triremes, vel opera publica damnari aliquando soleant, non ideo pro servis vere habendi sunt; namque ita duriter, immisericorditerque tractantur, ne quid in nos, et in patriam per insidias, et hostili animo moliantur.

*Et nostris a Saracenis.*

§. VIII. Neque nostri a Saracenis capti pro  
 servis nostra in civitate haberi debent. Bene ergo  
 hanc in rem Did. Covarr. P. II. Relect. ad cap. Pec-  
 catum, de reg. jur. in 6. §. XI. n. 6. ait: *Quam-  
 obrem, nisi aliud lege humana statutum in specie  
 sit, opinor erga Christianos captos a Turcis, vel  
 Saracenis non esse servandas leges Romanorum,  
 quae de captivis apud hostes loquuntur; nec esse  
 necessarias fictiones legis Corneliae, et postlimi-  
 nii; quatinus in his, quae possint in favorem ce-  
 dere captivorum, aequissimum sit, imo omni ex  
 parte iustum, easdem leges servari. Nec enim Rei-  
 publicae Christianae convenit, praeter ipsam ca-  
 ptivitatis adflictionem, damnum aliud, aut detri-  
 mentum Christianis apud Saracenos, aut Turcas  
 captivis irrogari.*

*Eorum omnia jura servantur.*

§. IX. Itaque eorum testamenta ante et post  
 captivitatem condita valent, sive apud hostes de-  
 cedant, sive ad civitatem revertantur; neque ma-  
 trimonium illorum dissolvitur, patriae potestas  
 amittitur, vel filii in captivitate suscepti pro spurii  
 habentur, quin opus sit fictionibus legis Corneliae,  
 vel postliminii: quae omnia contra jure Romano  
 constituta erant odio captivorum, ut magno jure  
 adparatu inter alios demonstravit Cocceius ad Gro-  
 t. lib. III. de jur. bell. ac pac. cap. 9. §. 1., Covarr.  
 loc. cit.

*De captivos servandi jure.*

§. X. Jus vero captos servandi, donec pre-  
 tium, quod Graeci λύτρον dicunt, solutum fuerit (cu-  
 jus aestimatio in arbitrio victoris est, nisi certi

aliquid convenerit inter bellum gerentes, ut saepius fit) apud omnes mansit nationes; a quo nec ipsi Romani prorsus abhorrebant, ut ex l. 12. in princip. D. de captiv. et postlimin. revers., l. 7. §. 8. D. de dol. mal., ex oratione Manlii Torquati, et exemplis, quae adlegat M. Junius apud Liv. lib. XXII. capp. 59. et 60. adparet. Neque redemptus unquam servus redimentis efficitur, <sup>ἀντὶ τοῦ</sup> autem solvere omnino tenetur, vel tantumdem opera saltem suā restituere, eumque indemnem praestare; suum enim negotium gessit; et haec ferme juris quoque Romani sententia est in ll. 2. 11. 20. Cod. de postlimin. revers.

*Pro iis redimendis singularia multa instituta.*

§. XI. Ceterum majores nostri recte existimant, cives apud hostes, praesertim barbaros, detentos de publico esse redimendos. Eisdem adplicantur hereditates vacantes, Ord. lib. 1. tit. 90. §. 1., hereditatis residua, Ord. lib. 1. tit. 62. §. 26.; et ideo in testamentorum rationibus ineundis omnino audiendi, Ord. lib. 1. tit. 50. §§. 12. 13. 14., et mulctae pecuniariae, quae judicis arbitriq; relinquuntur, Ord. lib. 5. tit. 136. in pr. et §§. 1. 2. 3. 5., deducta ex Joannis III. Extravag. 16. Februar. 1525., et Sebastiani 26. Octobr. 1562., 25. Septembr. 1567. apud Leon. 4. p. tit. 20. ll. 6. 7. 9. Bonis autem hujusmodi, et poenis, et iis generaliter omnibus, quae captivis adsignantur, vindicandis speciales Quaestores constituti sunt, quos *Mamposteiros* dicimus. Illarum jurisdictionem Regimina eisdem data declarant, et huc etiam spectat Comitiorum l. 29. Januar. 1641., et Diploma 29. Octobr. 1744. Sed tandem hi Magistratus cessarunt Reg. Dipl. 4. Decembr. 1775.

*Forum militare jure Romano et Patrio.*

§. XII. Jure Romano foro militari milites gaudent in causis, et quaestionibus civilibus, l. 6. Cod. *de jurisdiction. omn. jud.*, et in propriis delictis, seu militaribus, secus in communibus, prout Arrius Menander distinguit in l. 2. D. *de re militar.* Haec tamen jure nostro non omnino vera sunt. Nam in civilibus ordinariorum judicum imperio subjiuntur omnino; in criminalibus militarium, quaedam si delicta excipiamus, veluti perduellionis, laesae Majestatis divinae, vel humanae, peculatus, vis armatae in eos, qui judicia exercent, et armorum, vel mercium interdictarum, Diplomatt. 21. Octobris 1763. §. 2. et seq., 24. ejusdem 1764., 14. Febr. 1772. §§. 2. et 3., Pragmat. 24. Maii 1749. cap. 29. (Vid. Diplom. 18. Septembr. 1784.).

*Auditores militares.*


§. XIII. Et cum jam dudum apud nos singulis provinciis Magistratus quidam militares constituti essent, qui de militum causis criminalibus cognoscerent ad eum modum, quem ultimo definivit Petrus II. Regimine universis provinciarum Rectoribus dato Calend. Junii 1678. §. 25. et seq.; Josephus I. singulis legionibus singulos Auditores praefecit 20. Octobr. 1763.; novum deinde eis Regimen dedit, et militaris civilisque jurisdictionis limites declaravit 21. Octobr. ejusdem anni, cui conjungendum inter alia Decretum 15. Decembr. eodem; et tandem judiciarum ordinem in causis criminalibus, quae ad militares judices tantum spectant, fixum certumque statuit Regio Diplomatt. 4. Septembr. anno 1765. Hodie vero Auditores militares a Regina Fidel. aboliti fuerunt Diplom. 26. Febr. 1789., et illorum jurisdictionis loci criminalibus concessa, vel restituta.

*Privilegia alia militaria.*

§. XIV. Alia deinde privilegia militibus legibus nostris concessa sunt, ut plurimum e jure Romano petita; veluti quae de testamento militari habentur Ord. lib. 4. tit. 83., deducta ex tit. D. et Cod. *eod.*; et de filiis bello amissis, qui *in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur*, et a tutela excusant, Ord. lib. 4. tit. 104. in princ., Emman. lib. 1. tit. 67. §. 31., deducta ex principio Inst. *de excusat. tutor.*, l. ult. D. *de vacat. et excusat. muner.*; et quod demum stipendia militaria, arma, equi, et reliqua militiae usui destinata pignerari nunquam possint, neque milites aeris alieni causa in carcerem detrudi, Ord. lib. 3. tit. 86. §. 24., Regium Diploma 21. Octobris 1763. §§. 13. 14. Forenses militares lites nullo tempore interquiescunt, Ord. eodem lib. 3. tit. 18. §. 10.

*Bellicum Consilium.*

§. XV. Tandem Consilium de rebus ad bellum pertinentibus jam dudum Olisipone Reges nostri instituerunt, cujus est militares lites in ultima, ut loquuntur, instantia decidere, militares dignitates, munera, officia conferre, consultationes eorundem, et id genus alia ad Regem deferre, et militiae demum communi utilitati prospicere: constat ex primoribus Civitatis, quos a Consilio bellico dicimus. Illud Joannes IV. instituit 11. Decembr. 1640., eique Regimen dedit 22. Decembr. 1643., quod XXIX. capp. constat.



## TITULUS XII. VIX. 2

## De Officiis et Jure Civium.

*Civium generalia officia.*

§. I. Imperantium jura parentium officia necessario comitantur; quae vel erga cives inter se, vel erga Rempubicam, et summos Imperantes exercentur: iis vero explicandis eo nos breviores erimus, quo eadem facilius ex imperantium juribus tanquam correlata illorum derivantur.

Ad jus etiam Publicum spectant civium jura, privilegia et exemptiones, quae vel singulis civibus, vel singulis civitatibus, et oppidis, vel singulis et certis Regni ordinibus, puta Nobilibus, Ecclesiasticis, cet., conceduntur; eaque vel respiciunt statum, seu administrationem civitatis, vel singulorum privatam utilitatem inter se, concives, et Rempubicam, de quibus hoc titulo. Inter priora, de quibus hic non quaerimus, numerandum jus dicendi suffragia in Comitibus, de quo in Not. ad § IV. tit. I., exemptiones vectigalium, immunitas munerum civilium, et alia, quae constant ex Regni *foralibus*, Regis Donationibus, et scripturis, quae vel solam referre longum esset: sed vero magni momenti sunt privilegia Civitati Olisiponensi concessa a Joanne I. anno 1384. tom. VIII. *Monarch. Lusit.* pag. 528. cum seq.; quippe quia respiciant publicam Civitatis administrationem, et regimen Regni. Haec autem singulorum civium et urbium jura, et privilegia, quae nos dicimus *foros, usanças e costumes*, Reges in solemnibus Inaugurationibus jurjurando servare promittunt: et ut exemplum Alphonsi III. Parisiis datum anno 1245. omittam, illud inter alios praestant Joannes I. Comitibus Conimbricensibus anno 1385., Philippus II. Comitibus Thomariensibus anno 1581., et Joannes IV., qui tandem illius usum perpetuo firmavit lege publica lata 9. Septembr. anno 1647. Verum jusjurandum hoc, et Fidelitatis a subjectis praestitum magni quidem faciendum et illius usus praxisque laudanda,



quamvis nihil de novo addat, nec quidquam in Regem conferat, quod ipse jam non habeat, et statim a morte antecessoris, cui jure succedit; neque profecto intelligi potest, et extendi ad usus, privilegia, consuetudines, et jura specialia, quae quoquo modo publice utilitati adversantur. Deinde (et hoc notandum est) similia privilegia quaedam jam dudum in usu non sunt, veluti quae spectant ad judiciorum ordinem, et iudices certos habendos, criminum poenas, et multas foralibus legibus contentas; quaedam difficillimis temporibus obtinuerunt, veluti privilegia Olisiponensi Civitati a Joanne I. concessa; quaedam concedi non poterant, salvo jure Majestatis; itaque nec ipsum concedentem (de successore res explorata est) obligare poterant, cum naturae Principatus, et publicae causae adversentur: ad cujus rationem omnia privilegia, nulla differentia habita inter causam onerosam et lucrativam, sunt admetienda, moderanda, vel omnino abroganda. Neque aliud dicendum de Ecclesiasticorum, vel Nobilium privilegiis, quae Reges possunt, et debent derogare, si bono publico opponantur, et insigne inde sequatur aliorum civium detrimentum. Hoc jure usi fuerunt Dionysius, Ferdinandus, Joannes I. et Alphonsus V. Reges; speciali tamen memoria dignae sunt literae Joannis III. Eborae datae 9. Octobr. 1536. apud Sous. tom. V. Probat. N. 15. pag. 63g., quibus revocata sunt privilegia oppidi Aquilarii Beriae in verbis: *Consirando eu como os privilegios . . . para que fossem sempre Realenguos, e non podessem ser dados pelo Rey, tolhem o livre poder do Principe . . . revoguo e annullo todos e quaesquer privilegios, por mim, ou pelos Reis meus antecessores dados, ou confirmados á Villa da Guimar da Beira . . . postoque as causas, por que forão concedidos, ou confirmados, fossem por proveito publico, ou por trabalhos, periguos, affrontas, em que se virão por serviço do Rey, ou do Reyno, ou por outros alguns merecimentos, e serviços feitos a elles na guerra, ou na paz, e postoque sejião passados em força de contracto, ou fossem por causas piãs, ou onerosas em Cortes, ou por outra qualquer maneira humu e muitas vezes concedidos e confirmados . . . sem embargo do sobredito, e de quaesquer leis e ordenações, determinações, fords, usos, costumes da dita Villa, ainlaque sejião de tempo immemorial, graças, liberdades, favores, indultos, etc.*

*Erga Remp. et Imperantes.*

§. II. In primis securitate, ac salute publica nihil sibi prius, nihil antiquius habebunt. Quare civitatem non solum armis oppetere, et convellere prohibentur; sed eidem pro sua virili parte prodesse debent: itaque tenentur pro salute Reipublicae non tantum arma capere, commissa sibi munera suscipere, pupillorum tutelam, et minorum curam gerere, verum etiam ab otii, et effusionis vitio abstinere, Ord. lib. 5. tit. 66. §. 7., et tit. 68., et summos in Republica Imperantes summo honore et veneratione prosequi, proxime autem Magistratus, qui eorum nomine judicia exercent; neque fas erit Principem, vel ejus Administros dictis, factisque impetere, male eisdem loqui, in eosve quidquid in buccam venit garrere, vel illorum denique legibus, aut jussibus promptum obsequium non praestare. Haec et similia publici juris universalis principia leges nostrae saepe numero inculcant, veluti Ord. lib. 5. titt. 6. 7. 39. 48. 49. 50. 51. 96. 97. 104. 105., et novellae Constitutiones 26. Septembris 1762., 24. Octobr. 1764., 16. Novembr. 1771., eaque nos uberius in Institutionibus Juris Criminalis Lusitani explicabimus.

*Et concives.*

§. III. Erga alios officia tam multiplicia sunt, ut vix comode referri possint. Summa autem haec est; quod ita nimirum cum sociis vivere socii debeant, uti communis societatis finis exigit; itaque honorum civium est cives suos humanitatis, et officiorum, caritatumque omni genere complecti, eosdem honorare, praecipue vero manus ab alieno abstinere, et denique, ut verbo dicam, suum cuique tribuere. Hinc famosi libelli, Ord. lib. 5. tit. 84.,

odiosae, et malignae delationes, id est, *mexericos*, tit. 85., injuriae, tit. 117.; homicidia, 35., latrocinia, 60. et 87., severius vindicantur, et id genus multa alia, quae suis locis indicabimus.

### *Officia specialia.*

§. IV. Sunt etiam specialia civium officia, quae ex speciali, quo in Republica funguntur, munere oriuntur; ea vero quasi ex contractu descendunt, et quae sint, facile ex fine ipsius muneris, publicique officii intelligitur. Apud nos certis legibus definiuntur militum, et Imperatorum officia, tutorum, curatorumve, Ord. lib. 4. tit. 102. 103. et 104., Quaestorum, lib. 2. tit. 51., et lib. 5. tit. 9. et passim. Nullum autem cives ambire munus debent, cui se impares esse animadvertunt. Vid. omnino Puffendorf. *de offic. homin. et civ. lib. II. cap. 18. §§ 7. 8. 9. et seq.*

### *Civium jura.*

§. V. Civium jura ex Imperantium officiis fluunt, quorum duo nos tantum, sed praecipua, adnotabimus. Primum, quod jure ab Imperantibus postulare possint, ut eosdem tueantur ac defendant; alterum, quod ad Reipublicae munera obvianda vel ipsi tantum eligantur, vel saltem exteris et peregrinis hominibus praeferantur.

### *Regia in primis protectio.*

§. VI. Ad primum quod adinet, illud certe fuit ex societatis fine, et ex primario Imperantium officio. Jure ergo cives a Principe Regiam protectionem et auxilium non modo verecunde et mo-

deſte rogare, ſed et vehementer, ſi res ita poſtu-  
laverit, flagitare poſſunt. Ad Regem itaque recur-  
rere fas eſt finitis licet temporibus litium, quae  
fuerunt legibus publicis definita, §. 2. Edict. 18.  
August. 1769,; ſecuritates Regias ab eodem, vel  
illius Adminiſtris poſtulare, Ord. lib. 5. tit. 128.,  
Emman. 50.; reſcurſum ad Regiam Coronam inter-  
ponere, Ord. lib. 1. tit. 9. §§. 11. 12., et tit. 12.  
§§. 5. 6. 7., cet. Et nimirum adeo Reges noſtri  
propriam ſibi ſubditorum ſecuritatem fecerunt, ut  
iſ interdiſerint qualibet in pugna et concertatione  
alterius, quam Regis ipſius, auxilium implorare,  
Ord. lib. 5. tit. 44.

*Et publicorum munerum collationes.*

§. VII. Et quemadmodum ad civium officium  
ſpectat munera publica obire, ita eiſdem jus eſt a  
Rege iſſorum collationem poſtulare. A publicis ergo  
muneribus vel omnino exteri removendi ſunt, vel  
cives eiſ, quod ſatius quidem eſſet, ceteris pari-  
bus, praeferendi: hac tamen in re utilitas publica  
ſumma regula habebitur, et ad illius modum omnia  
erunt a ſummo civitatis Rectore adtemperanda.  
Apud nos jam dudum Alphoſus II. in Comitibus  
Conimbriceniſibus anno 1211. apud Brandanum  
*Monarch. Luſit.* 4. p. lib. XIII. cap. 21. in benefi-  
ciis Eccleſiaſticis non modo cives exteri (Tit. V.  
§. *XV. h. l.*) antepoſuit, verum etiam Clericos ejuſ-  
dem loci Clericis alterius loci, dioceſiſve. Eiſdem  
deinde prorsus interdictum fuit Diplom. Emman. 18.  
Februar. 1512. apud Cabed. *de patron.* cap. 29.,  
et Philippi III. Calend. Mart. 1602. apud eundem  
*de patron.* in fine poſt Arest. 6., et ipſa Regia Ord.  
lib. 2. tit. 13. §. 1., Beneficia in Regno obtinere,  
Bona Regiae Coronae habere, Ord. lib. 2. tit. 35. in  
princ. in verbis: *entre ſeus vaſſallos, e naturaes;*

publica officia a Senatu quocumque, Diplom. Petri II. 15. Julii 1671. Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 66. N. 5.; et demum Notarii, Tabellionis, Scribaeve officium exercere, Ord. lib. 1. tit. 81. Plura omitto; quaestio namque hujusmodi, an scilicet peregrini ab administratione Reipublicae sint arcendi, et aliis in civitate muneribus et honoribus fungi, ad scientiam politicam proprius spectat, de qua inter alios vid. Bynkersoock, lib. II. *quaest. Jur. Publ.* cap. 11.

**F I N I S.**

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

2017

**INSTITUTIONES**  
**JURIS CIVILIS LUSITANI.**





PASCHALIS JOSEPHI MELLII FREIRII,

IN REGIO EQUESTRIUM ORDINUM COLLEGIO  
OLIM COLLEGAE,  
JURIS PATRII APUD CONIMBRICENSEM ACADEMIAM  
PROFESSORIS EMERITI,  
ACADEM. REG. SCIENT. OLISIPON. SOCI,  
CET. CET. CET.

**INSTITUTIONES**  
**JURIS CIVILIS LUSITANI**  
**CUM PUBLICI TUM PRIVATI.**

**LIBER II.**  
**DE JURE PERSONARUM.**

*Editio quarta in usum Auditorii Conimbricensis, juxta  
primam ann. 1815., et secundam ann. 1827.*



CONIMBRICÆ,  
TYPIS ACADEMICIS.

---

1845.

*Da veniam scriptis , quorum non gloria nobis  
Causa , sed utilitas officiumque , fuit .*

**OVID.** *Epistolae. ex Pont. III. 9. 55. seq.*

*Quujus . . . mentem non percussit ille senator ,  
Interpres legum , quo nec praestantior olim  
Scaevola Serbidius , gravior neque Caius ipse ,  
Nec melior , clarum cui gens dedit Ulpia nomen ?*

.....  
*Curia quando parem depletæ munus in urnæ  
Adleget , aut simili subsellia celsa prementur ?*

**L. ANDR. RASSEND.** *Epist. II. ad Lupum Scintillam Jurisconsultum.*

**JOANNI**  
**BRASILIAE PRINCIPI**

P. F. A.

**PATRIAE SPEI**  
**PERPETUAM FELICITATEM**  
**PRECATUR**

**PASCHALIS JOSEPHUS MELLIUS FREIRIUS.**



PASCHALIS JOSEPHUS MELLIUS FREIRIUS

JURIS PATRII IN ACADEMIA CONIMBRIGENSI

STUDIOSIS

S. P. D.

**H**abetis hic, Auditores, Juris nostri Privati Institutiones qualescumque; eas tamen inter nos ne tentare quidem quisquam ausus est. Iis tradendis eam methodum elegimus, quam Caius, et Justinianus in suis Institutionibus probarunt; non quod eam meliorem aliis, et concinniorem existimemus; sed quia veluti authentica est, et ab Academia in Jure Civili Romano tradendo recepta. Hoc libello, quem in vestrum omnium gratiam ordinavimus, primum tantum juris objectum, id est, *Personarum* continetur: reliqua duo, quae ad *Res* pertinent, et *Actiones*, sequentibus tradenda. Et quamquam ea omnia conjunctim dare promisimus, tot tamen nos curis et negotiis impediti, et tanta praeterea animi et corporis aegritudine debilitati, ac paene confecti, fidem nostram liberare haud potuimus; eam vero liberabimus aliquando, et brevi quidem, uti speramus, si Deo, Supremo rerum omnium Arbitro, ita visum fuerit. Cum enim a nobis jam dudum expeditus sit novus Lusitani

**Publici Civilis Juris et Criminalis Codex**, nihilque amplius supersit, quam tentaminis, quod dedimus, adcuratum examen et censura (quod fieri jussum Decreto 3. Februarii 1789.); et nos hodie singulari misericordis Dei beneficio non tam infirma valetudine laboremus; in magnam spem adducimur fore, ut possimus inchoatum apud vos opusculum perficere, et consummare: et, ut a vobis majorem gratiam inire videamur eidem subjungere intendimus nostri quoque Juris Criminalis Institutiones, quae non minus ac Civiles utiles sunt, atque necessariae. Non equidem ignoramus hoc veluti in fatis nostris esse, ut quibusdam, quos minime decebat, obtractatoribus omnia, quae a nobis proficiscuntur, non alia de causa displiceant, quam quia a nobis proficiscuntur. Sed hujusmodi homines suoapte ingenio abundare nos aequissimo animo patimur. Non enim iis scribimus, qui aliena scripta carpentes (absit verbo invidia) nihil aliud, quam naevos in eis quaerunt, de suo nihil omnino producentes; sed bonis, et bene moratis, qui amoris, vel odii causas omnes procul habentes, suum cuique tribuere solent; et vobis in primis, **Adolescentes Optimi**, quorum scilicet utilitati et commodis praecipue servire semper in animo habuimus. Nam ab Academia non animo et mente, sed corpore, et loci dumtaxat intervallo disjuncti, nostri adhuc muneris et officii esse

ensemus vestra studia, si non jam viva voce, scripto saltem, et quomodocumque juvare. Quare vobis tantum haec nostra scripta et labores commendamus atque dirigimus; et vestrorum omnium gratia, humanitateque suffulti, alteri, quae superest, hujus operis parti perficiendae nos jam adcingimur; et eo quidem alacrius, quo experientia ipsa magis docemur, nihil esse, quod homo, conscientia recte factorum tectus, metuat ab anticis (si Diis placet) inimicisve. Ad propositum igitur nostrum revertendo, pauca quidem sunt, quae praefari oporteat *Personarum* jura ex statu naturali et civili derivantur. Itaque naturae, et civitatis jure homines vel liberi sunt, vel servi, patres, vel filii familias, nobiles, vel plebei, majores, vel minores, cet.; iique omnes pro diversa singulorum qualitate, seu statu diversis fruuntur juribus, quae nos hic secundum hanc divisionem nostro modo explicavimus. Haec methodus, si non Mathematica, vel Geometrica, naturalis est et perspicua; eaque volentes nos coëgit, ut Titulo III., quo de Nobilium jure agitur, subjiceremus *Legem Mentalem* apud nos celeberrimam, quam e suis genuinis fontibus, id est, ex Lusitanis antiquitatibus explicare conati sumus. Operae pretium an fecerimus, videant nostrarum rerum paulo intelligentiores, ii praesertim, quibus nostra *Heroica* jurisprudentia et amori, et cordi est: nobis sufficit in re adeo difficili et

intricata, quam scilicet nemo ad hanc usque diem pro dignitate tractavit. fundamenta jacere, et regulas quasdam, et positiones generales dare, quibus positis, et antiquarum, et posteriorum legum ratio et nexus inter se constet. De cultiori autem stilo non multum solliciti fuimus, nihilque amplius curavimus, nisi ut incultus omnino non esset; praesertim vero, ut omnia clare, perspicue, et dilucide, quantum fieri potuit, proponerentur. Quamquam, si dicendum quod res est, Juris Patrii Institutiones non alium, quam Patrium sermonem admittere videbantur; Latium tamen initio, cum easdem edere meditabamur, quodam quasi jure a nobis in primis deposcebat Academica nostrorum studiorum instituendorum ratio, cui tunc temporis omnino obsequendum; nec jam licet ab incepto proposito recedere. Et haec sunt, Auditores, quae scire vos e re vestra, et nostra putavimus. Valet:

---



# INDEX TITULORUM

## LIB. II.

### DE JURE PERSONARUM.

TIT. I.	DE LIBERIS ET SERVIS.....	pag. I
TIT. II.	DE CIVIBUS ET PEREGRINIS...	14
TIT. III.	DE PATRICIIS, EQUITIBUS ET PLE- BEIIS.....	27
TIT. IV.	DE PARENTUM IN LIBEROS PO- TESTATE .....	101
TIT. V.	QUIBUS MODIS JUS PATRIAE PO- TESTATIS ADQUIRITUR, ET QUI- EUS SOLVITUR.....	111
TIT. VI.	DE JURE LIBERORUM ET AGNA- TORUM.....	133
TIT. VII.	DE MARITI IN UXOREM POTESTA- TE .....	151
TIT. VIII.	DE COMMUNIONE BONORUM IN- TER CONJUGES .....	156
TIT. IX.	DE JURE DOTIUM .....	169
TIT. X.	DE DONATIONIBUS INTER VIRUM ET UXOREM .....	194
TIT. XI.	DE TUTELIS .....	198
TIT. XII.	DE CURATIONIBUS .....	216
TIT. XIII.	DE PERSONARUM ALIIS DIVISIO- NIBUS .....	224

---



---

# INSTITUTIONES

## JURIS CIVILIS LUSITANI

### CUM PUBLICI TUM PRIVATI.

---

## LIBER SECUNDUS.


DE JURE PERSONARUM.

---

### TITULUS I.

De liberis et servis.

*Jus personarum quid.*



§. I. **O**Mne jus; quo in Civitate nostra utimur, vel ad *personas* spectat, vel ad *res*, vel ad *actiones*. Per *jus personarum* non hic intelligimus ea jura, quae ex hominum qualitate et differentia, aut statu cum naturali, tum civili oriuntur.

Absolute utcumque Jure Patrio *Publico*, sequitur *Privatum*; quod nos ad Justiniani exemplum explicare intendimus secundum tria juris notissima objecta *personarum*, *rerum*, et *actionum*: haec enim methodus, cui juvenes jam adsueti sunt in jure Civili Romano tradendo, omnibus praeforenda.

Tom. II.

*Summa hominum divisio:*

§. II. Personarum, seu hominum jus, quod idem apud nos significat (leges enim nostrae haec vocabula haud distinguunt), maxime consistit in libertate, civitate, et familia: itaque et Romano, et Patrio jure summa hominum divisio est in *liberos*, et *servos*.

*Servi aut nascuntur, aut fiunt.*

§. III. Servi, aut a *servando*, aut a *serviando* dicti, aut nascuntur, aut fiunt. Nascuntur ex ancillis nostris; fiunt aut jure gentium, id est, ex captivitate, aut jure civili. In servorum conditione et jure nulla est differentia; in ministeriis eorum multiplex.

*Hodie nemo servus nascitur.*

§. IV. Hodie vero post novellam Constitutionem 16. Jan. 1773. filii nati ex ancilla, vel uxoris, vel concubinae loco habita, liberi, et ingenui nascuntur, statimque *cum libertate solem respiciunt*, ut loquitur Imp. in l. 14. C. de *fideicommiss. libert.*; ad servos autem jam natos ante dictam Constitutionem miserrima parentum conditio non extenditur ultra nepotes.

An servitus jure Naturali, vel Gentium ad natos extendatur, disputat inter alios Grot. de *jur. bell. ac pac.* lib. II. cap. V. §. 29. et lib. III. cap. VII. §. 5. cap. XIV. §. 8. Quaestio frustra movetur de iis, qui consensu suo aliis se subjiciunt, et ex pacto operas praestant, quia servi non sunt; sed de iis tantum, qui in veram servitutem sunt redacti ex captivitate, vel delicto. Qualescumque autem Grotii, vel aliorum haec de re judicium sit, hodie facile omnes intelligunt filios neque in parentum libertatem, cum eam a natura habeant, neque in

servitūtem succedere; difficile tamen est hanc naturae vocem cum civilibus, politicisque rationibus componere.

*Partus quem sequatur.*

§. V. Quia vero ex principiis juris Romani partus ventrem sequitur, l. 5. §. 2., l. 24. D. de stat. homin., l. 9. D. de decurionib.; dubitari non potest, quod Lusitani hoc principium statim cum ipso jure Romano receperint, quamvis ex Wisigothorum legibus lib. X. tit. I. l. 17. servi et ancillae domini liberos ex eisdem natos inter se partirentur.

Lex Wisigothorum lib. X. tit. I. l. 17. ita se habet: *Si enim filius ab utroque parente gignitur, et erratur, cur idem ad conditionem tantum pertinet genitricis, qui sine patre nullatenus potuit procreari? Hac rationabiliter naturae lege compellimur agnitionem ancillae, quae servo alieno juncta pepererit, inter utrosque dominos aequaliter dividendam.* Apud Longobardos et Saxones sequitur partus partem deteriorem, *Specul. Saxon.* l. 16: quod apud Wisigothos in Hispania Isidori tempore obtinuisse discimus ex can. ult. Caus. XXXII quaest. IV. Vide illorum Codicem III. tit. II. 3., IV. tit. V. 7., IX. tit. I. 16., et cap. *Licet* 3. X. de conjug. servor.

*De captivis alienis.*

§. VI. Quamvis autem justo bello capti et Gentium, et Romano jure servi efficiantur; tamen jam a saeculo XIII. servitute inter Christianos explosa, Bodin. de Republ. lib. I. cap. V., Selden. Mare Clausum lib. I. cap. XXVI., non dubitamus adserere eam vel nunquam in usu fuisse, vel jam dudum apud nos in usu esse desiisse: nam ab Alphonsi I. tempore Mauri in Lusitania degentes suis legibus, et moribus vivebant, ut ex quadam scriptura constat anno 1180. apud Brand. Mon. Lus. 3. p. lib. XI. cap. 32.; et captivi quamvis in viculis publicis, ne quid in Patriam auderent, deti-

nerentur, nunquam fuerunt tamquam veri servi aestimati.

Quamvis Vinnius in §. 3. *Inst. de jur. personar.* adfirmare non dubitet: *In Lusitania, aliisque Hispaniae partibus, et non nullis aliis Regionibus, quae Turcis, aut Scythis vicinae sunt, vetera captivitatis, et belli jura adversus Muhametistas adhuc exercentur; ego contra existimo Mauros a nostris captos nunquam apud nos servos fuisse in sensu juris Romani: mitius enim a dominis tractabantur, neque eis licebat captivos malis quibusvis conditionibus vendere, impune in eos saevire, eosve tamquam res habere. Qui vero in Lusitania Regis permissu morabantur, suis legibus et moribus vivebant ab Alphonsi I. tempore. Adeesserunt postea plures leges ab Alphonso III., Dionysio, Alphonso IV. et Joanne I. latae, quae multa eisdem privilegia concesserunt, et illorum jurisdictionem cum civilem, tum criminalem aestimarunt, quae habentur in Alphons. Cod. lib. 2. tit. 99. 100. 101. Olisipone certa Regio Mauris, quam ipsi incolerent, adsignata erat, quae Lusitane *Mouraria* dicitur, idque primum constitutum fuit, vel firmatum a Joanne I. speciali ordinatione, de qua in Codice Alphons. V. lib. 2. tit. 102. Similia de Judaeis constituta inveniuntur eodem Codice tit. 71. 76. 80. 81. Vid. *Histor. Jur. Civ. Lusit.* §. LXVI. in Not., *Brand. Mon. Lus.* 6. p. lib. XVIII. capp. 4. et 5. p. 12. cum seqq.*

### *De nostris captivis.*

§. VII. Nostri quoque a Saracenis capti in nostra Civitate liberi habentur. Quare Legis Corneliae, et postliminii jus, a Romanis civilibus rationibus introductum, nullum apud nos hodie usum habet, nec habuit unquam. Vid. *Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. XI. §§. VII. et VIII.*

Universa igitur Juris Romani doctrina de capitis diminutione *maxima*, per quam libertas, civitas, et familia mutabatur, nullius certe usus est; cum servitus ex captivitate jam dudum sit explosa, et poenae ab ipso Justiniano sublatae (§. XI. h. t.): neque liber homo major viginti annis, qui ad pretium participandum sese venen-

dari passus est, servus jure nostro efficitur; et hoc ipsum Romae quoque suggillavit Leo Imperator Novell. 59. Capitis etiam diminutionem *maximam* Juris Germanici, per quam liber homo per conventionem expressam, vel tacitam servus propius efficiebatur, leges nostrae nunquam agnoverunt (§. XIII. h. t.)

### *De redimendi jure.*

§. VIII. Receptum tamen servandi, et redimendi jus: itaque pro captivis redimendis adplicentur hereditates vacantes, Ord. lib. 1. tit. 90. §. 1., hereditatis residua, Ord. lib. 1. tit. 62. §. 26. (ideoque in testamentorum rationibus reddendis audiuntur, Ord. lib. 1. tit. 50. §§. 12. 13. 14.), mulctae pecuniariae legibus non definitae, Ord. lib. 5. tit. 136. in princ., deducta ex Joannis III. Extravag. 16. Febr. 1525., et Sebastiani 26. Octobr. 1562., 25. Septembr. 1567. apud Leon. 4. p. tit. 20. ll. 6. 7. 9.

Redimendi jus ex servitute oritur, qua explosa, illud cessare necesse est; sed ubi invalescit captivorum redemptio, *magnum* certe atque *praeclarum* justitiae munus est, ut loquitur Lactant. *Divin. Inst.* lib. VI. cap. 12. Ambrosius *vasa Ecclesiae etiam initiata confregit*, ut captivi redimerentur, quod factum ipse defendit lib. 2. *de Offic.* capp. 15. 28., et probant antiqui canones, quorum mentio fit in Synodo VIII. universali, habita tempore Hadriani II. contra Photium, apud Grat. *Caus. XII.* quæst. II. can. 13. Quare mirandum non est, quod multa in favorem captivorum legibus nostris sint constituta, quae constant ex citatis Ordinationibus, et Extravagantibus apud novam Collect. I. ad Ord. lib. 5. tit. 136. Nn. 1. 2. 3. 4. et Collect. II. Nn. 1. 2. Redemptionis praeterea causa, et pro elemosynis, quae captivis erogantur, procurandis speciales Magistratus, Lusitane dicti *Mamposteiros*, jam diu constituti erant, quibus Regimen dedit Sebastianus Rex; ii vero cum non semel officio suo et jurisdictione in Reipublicae et civium perniciem abuterentur, primum coerciti fuerunt Regio Diplomate 29. Octobr. 1754. dato, et tandem aboliti 4.

Decembr. 1775. Illud hic subjungendum, promiscuum redemptionis usum non nullos politicis rationibus improbare; et ita profecto frequentes barbarorum irruptiones effugiantur, spe omni lucri praeclusa. Et quot inde, quantaque mala Lusitania nostra est perpressa? Satis est in memoriam revocare captivitatem Ferdinandis Infantis in Tingis infelici expeditione.

### *Redempti conditio.*

§. IX. Redempti sive de publico, sive a privato, redimentis servi nunquam efficiuntur; a privato vero si redimantur, redemptionis pretium solvere tenentur *negotiorum gestorum* actione, ll. 2. 11. 20. C. de *postlimin. revers.*

Redemptio captivorum *belli commercium* vocatur a Virgil. *Aen.* X. 532., et Tacit. *Annal.* XIV. cap. 33., et *Hist.* III. cap. 81., et favore libertatis legibus Romanis et Atticis introducta, Demosth. in *Nicostrat.* pag. 724. Qui vero libertatem meo pretio consequutus est, illud mihi restituere naturali jure tenetur, l. 6. C. de *postlimin. revers.* Hodie tamen, cum bello captus, servus non fiat, conventio de certo redemptionis pretio nulla est, sed bene exigi possunt adcepta et expensa captivi liberandi gratia. Valasc. *Cons.* 30., Aegid. *ad leg.* 5. D. de *just. et jur.* P. I. cap. I. n. 7.

### *De Indorum libertate leges.*

§. X. De Indorum statu plures leges exstant. Nam primo Sebastianus Rex Eborae 20. Martii 1570. edixit liberos eos esse, nisi justo bello illius jussu suscepto capiantur. Philippus II. 11. Novembr. anno 1595. Sebastiani legem firmavit: Philippus III. 5. Jun. 1605., et 30. Jul. 1609. libertatem Indorum adsevit, quamvis fuissent justo bello capti, apud novam Ord. Collect. l. lib. 4. tit. 42. N. 1. Idem Olisipone 10. Septembr. 1611. decrevit, quod servi efficerentur Indi rebellantes, et quod a suis capti, et detenti emitoris fierent, apud eand. Collect. lib.



4 tit. 42. N. 2. Joannes IV. 9. April. 1655. Indos servos esse declaravit: 1) si justo bello a nostris, exteris, aut ab Indis ipsis illato capiantur: 2) si promulgationem Evangelii impediunt: 3) ad funem adligati si vendantur. Petrus II. 1. April. 1680. captivitatem prorsus abolevit, et Indis personae, commercii, et bonorum libertatem omnino restituit. Josephus I. 6. Jun. 1755. Petri II. legem transcripsit, et de novo firmavit. Idem 7. mensis ejusdem et anni Jesuitis Indorum administrationem interdixit, eosque, ut par est, in spirituali Episcopis, in civili Regiis Magistratibus subiecit. Idem postea 8. Maii 1758. et praedictas suas leges, et auream Benedicti XIV. Bullam Romae datam 20. Decembr. 1741. approbavit.

Supervacaneum prorsus videtur, ne dicam ineptum, rem notissimam, qualis profecto est Indorum libertas, tot, tantisque legibus definire; eas tamen necessarias effecit vel juris Romani de bello captis et captivis doctrina, vel Hispanorum insolentia et saevitia incredibilis, qui in eos, tamquam si veri servi essent, omnia sibi licere existimabant. Neque Sebastiani, Philippi III., et Joannis IV. Extravagantes superius citatae, ex genio saeculi omnino intelligendae, quae certis in casibus, et conditionibus Indorum tandem servitutem admittunt, ea jam dudum inter Christianos explosa, hodie locum habere possunt; quod admonere supervacaneum quoque hodie esse videtur. Moenet. *Chron. Sebast. Reg.* cap. 120. pag. 349.

### *Poenae servitus.*

§. XI. Servos poenae nullos etiam agnoscimus: ultimo namque supplicio damnati libertatem non amittunt, nisi nominatim sententia servi pronuntientur, et ita adicienda est Ord. lib. 2. tit. 26. §. 28. Quare naturaliter, et civiliter obligantur; de tertia bonorum parte ad pios usus possunt disponere,

Ord. lib. 4. tit. 81. §. 6., exceptis criminibus ead. Ord. in fin. comprehensis: neque testamentum antea factum irritatur, excepta dispositione bonorum, quae fiscum sequuntur, Ord. lib. 2. tit. 26. §. 28. et seq., neque tutela, substitutio pupillaris, cetera, quae cum sententia et condemnatione stare possunt.

Quia in vitam civis nihil statui poterat, jure Romano ultimo supplicio damnati servi poenae fiebant, l. 29. *de poen.*, l. 8. D. *qui testam. fac. poss.*, §. 3. Inst. *quib. mod. jus. patr. potest. solvit.* Verum Valentinianus l. 8. Cod. Theod. *de poen.*, et Justinianus Nov. 22. cap. 8., ex qua deducta fuit Auth. *Sed hodie C. de donationib. inter. vir. et uxor.*, poenae servitutem damnatorum ad mortem sustulerunt. Si ergo apud Romanos a Valentiniani tempore servi poenae nulli sunt, eruntne hodie apud nos? Itaque Ord. lib. 4. tit. 81. §. 6., quae contrarium statuere videtur, vel ad ipsum jus Romanum in Dig. contentum referenda est, vel eo casu intelligenda, quo nominatim sententia damnati libertate privantur. Societas enim jus habet et in vitam, et in libertatem subditorum, et eadem expresse privantur, qui alienos servos fugientes juvant, vel occultant, Ord. lib. 5. tit. 63.

### *De nigris in Brasilia servis.*

§. XII. Nulli ergo hodie apud nos servi sunt ex nativitate, captivitate, vel delicto. In Brasilia tamen servi nigri tolerantur; ii vero si ad Lusitaniam transmittantur, nativam libertatem recipiunt, Const. 19. Septembr. 1761. De hujusmodi servis nigris intelligenda est Ord. lib. 5. tit. 86. §. 5., quae de *noxali actione*, et lib. 4. tit. 17., quae de *redhibitoria* loquitur, Ord. lib. 3. tit. 56. §. 3., quae servum a ferendo testimonio repellit, nisi tamquam liber omnium opinione se gerat, lib. 4. tit. 85. in princ., lib. 4. tit. 102. §. 1., quae a tutela, lib. 4. tit. 81. §. 4., quae a testamento, et tit. 63. §§. 7. 8. 9. eod. lib., quae libertatem ob ingratitude[m]

revocari concedit. Hae nimirum Ordinationes, ex legibus Romanis petitae, et quae de ingenuis et libertinis eodem jure magno adparatu tractantur, usum hodie ferme nullum habent.

Servi nigri in Brasilia, et quaesitis aliis dominationibus tolerantur: sed quo jure, et titulo me penitus ignorare fateor. Scio equidem commercium, agriculturam, opificia, auri fodinas, cetera, quas his regionibus lucro esse possunt, non nisi per stupidos hos homines commode posse exerceri; sed aliud est eorum opera et servitio uti, aliud eos tamquam servos, et in vera proprietate habere. Optandum erat, quod in re adeo gravi convenirent quoquo modo inter se honestatis rationes, et civiles: eas vero, si fieri potest, componere hodie tentant Politici non nulli; et interim videndus Montesquieu *Esprit des Loix* lib. XV. cap. V., Smith. tom. V. *Recherches sur la nature et les causes de la richesse des nations*, cap. VII. *des Colonies*, M. de Felice *Code de l'humanité* tom. 6. art. *Esclavage*, Schwartz *Reflexions sur l'Esclavage des Nègres*, Ravnal *Histoire Philosophique et Politique* tom. V. lib. XI. § 22.

### *Et adscriptitiis.*

§. XIII. Nullos etiam servos adscriptitios habemus, Ord. lib. 4. tit. 42., Emman. 46. lib. 2. Si tamen quisquam promiserit certum locum, terraeve tractum colere et habitare vel ad tempus, vel perpetuo, obligatur; nec propterea eum dicimus adscriptitium; quia talis non est natura, sed ex pacto: nativa namque, non adscita sponte conditio Ord. lib. 4. tit. 42. in fin. improbatur; illa quippe libertatem naturalem adiimit; haec autem effectus est libertatis.

Ord. lib. 4. tit. 42. et illius rubrica hoc modo concepta: *Que não sejam constrangidas pessoas algumas a pessoalmente morarem em algumas terras, ou casas*, in odium juris feudalis statuta esse videtur. Quamvis enim negari haud possit, non pauca hujus juris ve-

stigia etiamnum exstare, quae suo loco indicabimus (Tit. III. §. XIX. Not. h. l.); certum tamen est Reges nostros adeo dominium feudale esse exosos, ut ab ipso etiam *feudi* vocabulo, quod vix usurpare solebant, ex consulto abstinere videantur. Hinc plures leges natae, et praeclara jam a Regni initio instituta, quorum non nulla referre placet: 1) privilegia universis fere oppidis concessa iudices, quos vellent, et Curiae officiales eligendi: 2) antiqui Magistratus dicti *Meirinhos*, *Adiantados*, *Regedores*, *Vigarios do Rei*, *Fronteiros*, *Veadores* jam sub Alphonso I. cogniti: 3) Praetores provinciarum postea instituti: 4) Regum visitationes, id est: *Correicões*: et 5) Majorum Magistratum nobilium in primis violentiarum coercendarum gratia: 6) repetitae de illorum honoratis locis, et asyilis, dictis *honras e coutos*, inquisitiones: 7) Recursus, adpellationes ab eis, eorumque iudicibus ad Regem, vel ad Regis Curiam semper concessae: 8) generales, municipalesque leges, quibus Dominis prohibitum erat quibusdam in locis iudices designare: 9) victualia, et alia jura, quae *comedorius* et *tomadias* adpellant, exercere: 10) precarias exactiones, seu *pedidos* imperare: 11) in civilis Concilii, iudicium, aliorumque officialium electionibus sese ingerere: 12) bona in terris Regum propriis habere: 13) libertas eum naturalis, tum civilis subjectorum pluribus in legibus confirmata et adserta: 14) servitorum omnium personalium integra abolitio, si militaria excipiamus, quo spectat Ord. citata lib. 4. tit. 42., Emman. 46. lib. 2.: et denique 15) diversa verbi *vassalli* significatio, quod cum in jure feudali contrarium esset libertati, et servum designaret, postea in honoris titulum mutatum hodie subditos generaliter omnes significat: quae omnia, et alia multa juris feudalis minuendi causa, vel penitus abolendi constituta sunt.

### *De servis alienis, seu famulis.*

§. XIV. Qui alicujus in famulatu fuerint, servi proprie non sunt; sua enim voluntate serviunt, Ord. lib. 4. tit. 28., Emman. 17., Alphons. 25.: parente tamen orbatus ab orphanorum iudice alieno servitio, si ejus conditionis sit, supponendus est, Ord. lib. 1. tit. 88. §§. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

Ord. lib. 4. tit. 28. originem suam debet Alphonso II., qui speciali lege ex parte relata in Cod. Alphons. lib. 4. tit. 25. statuit: *Que qualquer homem, que for livre, per todo nosso Regno filhe qualquer senhor que quizer, tirando aquelles, que moram nas herdades atheas, cet.:* quae ultima verba intelligi non debent de colonis adscriptitiis, seu servis, eos quippe non habemus; sed de iis, qui sua sponte terras, et possessiones alienas colere, et habitare promiserunt. Neque praeterea regula initio ab Alphonso II. adposita intelligi debet de his, qui alieno servitio ad publicarum legum praescriptum subjiciuntur; quae intelligentia seu declaratio authentica Alphonsum V. auctorem habet, et optime convenit Joannis I. legi in Ord. Alphons. lib. 4. tit. 34, ad populi rogationem in Comitibus Eborensibus latae, quae otiosos homines, qui unde victum quaerant non habent, alieno servitio per Provinciae Praetorem supponendos jussit sub poena carceris et flagellationis.

*Merces his semper debetur.*

§. XV. Salarium eisdem omnino debetur, nisi septennio minores sint, Ord. lib. 4. tit. 31. §. 8., sive illud stipulentur, sive incerta et indicta mercede serviant, Lusitane dicimus *a bem fazer*: et tunc aestimatur ex ministerii genere, et ex generali in provincia recepta consuetudine, Ord. lib. 4. tit. 29. in princ. et §. 1., deducta ex Joannis III. Extravag. anno 1538. apud Leon. 6. p. tit. 1. l. 3. Emmanuelis Ordinatio eod. lib. tit. 19. actionem, pretio, seu mercede non definita, denegare videtur. Hac tamen in re consuetudine provinciae, et moribus maxime standum est. Phoeb. *Decis.* P. I. arest. 49., Perer. *Decis.* 102., Cabed. P. I. *Decis.* 162. (Salarium illorum, qui alicujus in famulatu mercatorio sunt, ad primos tres annos quod adtinet, statutum est in l. 30. Aug. 1770. §. 12.)

*Pœna servi dominum relinquentis.*

§. XVI. A famulatu qui, tempore non finito, discedit, et mercedem adceptam restituit, et gratis deinceps servire cogitur; a domino vero si ejiciatur, integram mercedem adcipit, Ord. lib. 4. tit. 34., Emman. 21., Alphons. 32., l. 38. D. *locati*. Alicui qui, indicta mercede, servit, ab eo si pallium et vestem adcepit, integrum annum; si vero pallium tantummodo, aut vestem, dimidium servire tenetur; et præterea si, invito domino, discedat, et duplum restituit, et in carcerem detruditur, Ord. lib. 4. tit. 30. Aulico qui, non dicta etiam mercede, servit, quamdiu Regis aulam sequitur, vel ad aliud Regnum non transit, in aulici alterius servitium, illo invito, haud admittitur; si vero non aulicum, sed alterius ordinis hominem, plebei, equestris, vel patricii dominum habeat, et ad alium confugerit, ejus servitio non eximitur; is tamen de damno, quod priori domino fecerit, tenetur, Ord. lib. 4. tit. 30. §§. 1. 2. 3. et 4. Ferdinandi Regis Ordinatione quadam prohibitum erat servis belli tempore dominum relinquere, cui in pace et otio servierunt.

Pœna servi, indicta mercede, servientis, qui a domino discessit, a quo pallium, aut vestem adcepit, ab Alphonso IV. primum statuta esse videtur. Ferdinandus lege 24. April. aer. 1414. Salvaterrae Magorum data, famulis et *vassallis*, nobiliores alios et potentiores *vassallos* servientibus, prohibuit ab eis ne discederent sub pœna capitis, et amissionis honorum, dominis, a quibus discesserunt, adplicandorum: quae lex, *vassalli* nomine et juribus ferme cessantibus, servis, aulicis hominibus, id est, *Cortesãos* servientibus sub mitiori alia pœna adplicata invenitur Ord. lib. 4. tit. 30. §§. 3. 4. Haec tamen Ordinatio, et similes, quae ex antiqua Regni militia proficiscuntur, hodie cessant.

*Merces quo tempore petenda.*

§. XVII. Mercede triennium non petita, ad eam petendam actio denegatur; si vero singulis mensibus conducta quisquam mercede serviat, quod Lusitane dicimus *a reção de comer*, post trimestre; si aere tantum mereat, hoc est, diarium non pane, vino, opsonio, sed in pecunia numerata adcipiat, dicimus *a dinheiro sêcco*, post decimum diem, relictis jam dominis, actio denegatur, Ord. lib. 4. tit. 3a. in princ. et §. 1. Emmanuelis Ordinatio eod. lib. tit. 20., et Alphons. tit. 27. triennium generaliter statuit.

*De illius probatione.*

§. XVIII. Scriptura famuli privata, qua de mercedis solutione constat, obligatio tollitur, Ord. lib. 4. tit. 33 §. 1.: mercede per conservos probata, illius quantitas ad certam usque summam domini juramento relinquatur, et illius adsertioni testamento factae, vel rationario fides adhibetur, si Equestris, Patricii, vel Senatorii Ordinis fuerit, ead. Ord. lib. 4. tit. 33. in princ. §. 2.

*De damno a servis illato.*

§. XIX. Servus de damno, ejus culpa in re domini dato, omnino tenetur, dum illius in servitio est; ab eo autem si discedat, non tenetur, nisi denuntiatione de damno facta coram iudice, honestis, vel probis viris; hanc enim si dominus omittat, exceptio in fraudem petitae mercedis esse videtur. Ad illius probationem dies quatuor dantur, si velit autem dominus mercedem statimolvere, et postea de damno agere, dies arbitrio iudicis prorogantur, Ord. lib. 4. tit. 35. in princ. et §. 1.

Jus hoc in favorem servorum constitutum, quod in

commoratus, ibidemque sedes animo perpetuo permanendi posuerit, Ord. lib. 2. tit. 55. §. 1.

Peregrinus, quod jam superius diximus (§. III. not. h. t.), nullo tempore civis efficitur. Civitatis ergo jus domicilio, et habitatione non acquiritur, Ord. lib. 2. tit. 55. in princ. et §. 1.: acquiritur tamen jus vicinitatis §§. 1. 2. tit. 56. eod. lib., quod notandum est. Sed civitas universam Reipublicam complectitur, et jura omnia civibus generaliter concessa: vicinitas autem respicit certa tantum jura, et privilegia circa civilium praesertim publicorum munerum excusationes loci incolis specialibus legibus adtributa, quae non ejusdem momenti sunt; itaque facilius adquiri et concedi potest.

### *Id quomodo contrahatur.*

§. V. Hoc vero domicilium ex animi contestatione, et habitationis facto simul aestimatur Romano et Patrio jure, l. 20., l. 27 §. 2. D. *ad municipal.*, l. 7. C. *de incol.*, Ord. lib. 2. tit. 55 §. 1., et tit 56 §. 1. Romanae tamen hae leges tempus non definiunt, quo domicilium contrahitur, et decennium ex Glossa, et Bartoli opinione in l. 19 §. 4. verb. *habuit* D. *de judic.*, l. 2. verb. *constituerint*, l. 3. verb. *incolas* C. *de incol.*, cui occasionem dedit l. 2. C. *eod. tit.*, dicta Ord. lib. 2. tit. 55. §. 1. constituit, quae quidem singularis est; abest enim ab Emmanuelino, et Alphonsino Codice, et ad literam fere transcripta fuit ex l. 19, tit. 3. lib. 1. *de la Recopilacion.*

### *Municipes.*

§. VII. Municipes inde dictos, quia muneris publici participes erant, proprie non habemus, nullum enim apud nos municipium est, quod propriis, et non communibus civitatis legibus utatur: quaedam tamen magna oppida, et urbes sunt, quae praerogativa quadam, et certis privilegiis gaudet  
non



non civibus promiscue omnibus, sed illarum tantum indigenis, et incolis concedendis. Tales ergo habentur: 1) eodem oppido, urbe, vel intra illius civilis jurisdictionis fines nati: 2) qui ibidem morantur, bona, familiam, et domicilium habent: 3) eodem loco manumissi: 4) adoptati: 5) munera et officia publica exercentes, Ord. lib. 2. tit. 56., Emman. eod. lib. tit. 21., deducta ex l. 1. in princip. et §. 1. *ad municipal.* Adoptionem in hac Ordinatione tit. 56. in princ., et tit. 35. §. 12. significat verbum *perfilhado* et *perfilhamento*.

Jus municipale, seu vicinitatis acquiritur nativitate, et modis aliis hac Ord. lib. 2. tit. 56., Emman. 21., Alphons. 30. relatis, quos e jure Romano petitos Oduardus Rex speciali lege apud Stremotium lata 20. Jan. ann. 1436. definiivit. Hac tamen in lege, et citatis Ordinationibus ex eadem deductis excipiuntur antiqui mores (*usanças* vocamus), qui quidem hac in parte omnino servari jubentur dicta Ord. tit. 56. §. ult., eos enim Reges nostri non nisi ex magna causa abolere solent. Illud hic notandum, privilegium loci incolae concessum illius domino, et Donatario non nocere, si post donationem factam concessum proponatur, Ord. lib. 2. tit. 57., Emman. 25., Alphons. 45., deducta ex Joannis I. lege quadam Alphonsino Codice relata: privilegium vero superveniens non solvendi *jagationis* tributum, nobili, aut clerico censualibus legibus concessum, omnino servandum est, et Donatario nocet, quippe novum non est, cum in ipsis antiquis foralibus legibus continentur; et hoc modo Alphonsus V. praefatam Joannis I. legem intelligendam esse declaravit, cujus nimirum declaratio habetur §. 1. ejusdem Ord. Cabed. P. II. *Decis.* 93. (Tit. III. §. LXIV. h. 1.)

### *Jura civium*

§. VIII. Civium jura jam alibi (Inst. Lib. I. Tit. XII. §. 5. seqq.) recensuimus: praecipua haec sunt. Ad Regem omni tempore recurrere, §. 2. Edicti 18. Aug. 1769., Ord. lib. 1. tit. 9. §. 11., et

*Tom. II.*

tit. 12. §§. 5. 6. 7.; *securitatem ab eodem petere*, Ord. lib. 5. tit. 128.; *Reipublicae, et Ecclesiae munera obire*, Extravag. 15. Jul. 1671., *Tabellionis veluti, et Scribae officium*, Ord. lib. 1. tit. 81.; *Beneficia Ecclesiastica*, Ord. lib. 2. tit. 13. §. 1., Extravag. 18. Febr. 1512., et *Regiae Coronae bona sibi tantum praesumere et occupare*, Ord. lib. 2. tit. 35. in princ. verbis *entre seus vassallos, e naturaes*, et.

Civium inter jura privata non minimum certe est jus, seu facultas a Rege petendi honores, privilegia, et praemia ob servitia cum militaria, tum civilia Reipublicae causa facta; et hoc jure jam diu utimur, de quo Cabed. P. II. *Decis.* 36. Hanc in rem in primis spectat speciale Regimen dictum *das Mercés* (quod manu scriptum tantum habemus) a Petro II. ordinatum 19. Jan. 1671., cui conjungendum est Decretum 13. Aug. 1706. *Summa eorum, quae ibi disposita inveniuntur, haec est. Dicta servitia, quorum remuneratio praetenditur, possunt 1) cuicumque etiam extraneo, tam in testamento, quam inter vivos donari; quae quidem libertas praemii quoddam genus est, Ord. lib. 4. tit. 97. §§. 10. 12., l. 7. C. de honis, quae liber. : 2) in eis, si alicui non fuerint data, vel legata, succedunt heredes omnes legitimi; et quidem descendentes et ascendentes sine differentia gradus; transversales autem intra secundum tantum: 3) illorum veluti mercedem et remunerationem descendentes et ascendentes bene et jure petunt, personalibus licet servitiis destituantur, ut ea namque proprio quodam jure succedere videntur; collaterales non item: 4) illorum renuntiatio in favorem alicujus, qui de Republica quoquo modo bene meritus non sit, nec servitia similiter propria habeat, inutilis est, Decret. 28. Decembr. 1676.: 5) semel et utcumque remuneratis, frustra augmentum petitur, nisi nova adpareant, quorum antea mentio facta non esset, Decret. 26. Febr. 1678., Diplom. 30. Decembr. 1615. Collect. I ad Ord. lib. 2. tit. 12. N. 2.: 6) per instrumenta tantum primordialia et originalia probantur, Reg. Diplom. 10. Mart. 1690., Resolut. 2. April. 1756.: jurejurando firmata, confecta, et expedita in Regno intra semestre, et intra annum in quaesitis alijs dominationibus a die, quo gesta dicuntur, computandum, Diplom. 24.*

Jul. 1609. Collect. I. ad Ord. lib. 2. tit. 42. N. 5.: 7) probari prius, et judicari debent in Regii Patrimonii Consilio ad eum modum, quem praescribit Edictum 22. Decembr. 1761. tit. 2 §. 1.: 8) non petita triginta annorum spatio praescribuntur, Decret. 13. Aug. 1706.: 9) is, cui anni reditus, id est, *tenças*, in servitiornm remunerationem sunt concessi, eos amittit, quando cumque fuerit *Commendatoris* vel *Commendae* lucro et titulo insignitus, Diplom. 5. Januar. 1606. Collect. I. ad Ord. lib. 2. tit. 12. N. 1.: 10) annui reditus, licet non percipiantur, quia scilicet dies et tempus iis exigendis nondum venit, quod nos *cabimento* dicimus, morte illius, cui fuerint concessi; extinguuntur: neque praeterea jura, quae beneficii et liberalitatis hujus ratione solvuntur, repeti possunt, cum jure soluta fuerint, Decret. 28. Mart. 1689., 10. Decembr. 1753.: 11) Regiae donationes, et liberalitates cujuscunque generis non nisi literis Regis patentibus obsignatis datae valent, Ord. lib. 2. tit. 42., quod jam dudum speciali Alphonsi IV. Ordinatione 20. Jun. aerae 1370. cautum erat: 12) et intra quatuor menses in specialem iis describendis codicem destinatum referri debent, Ord. lib. 2. tit. 42., deducta ex Joannis III. Extravag. anno 1547, et Sebastiani 1567. apud Leon. 5. p. tit. 9. ll. 1. et 2. Haec, et alia multa, quae consulto omittimus, et in favorem civium bene de Republica meritorum, et in favorem Coronae, seu Regii Patrimonii constituta fuerunt. Jam vero, ut in viam revertamur, a qua tantillum discessimus, animadvertendum, quod ea, quae supra diximus de muneribus publicis, et bonis civibus tantum concedendis, generaliter, et per viam regulae, ut loquuntur, intelligenda, a qua, salva semper civium praerogativa, non semel est recessum. Exemplo esse potest nostris temporibus, ut antiquiora omittam, Comes Schonbergius, Lusitano exercitui a Petro II. praefectus, ab eoque creatus Myrtalis Comes, et decem mille aureis supra octo in singulos annos, quoad vixeret, donatus Moenetus Ericerius Comes Portug. Restaur. tom. 2. p. 2. lib. 11. pag. 762.

### *Municipalia jura.*

§. IX. Ceterum municipia (quo nomine hic intelligimus civitates, et majora oppida) non solum publicis legibus, quibus omnino subjiciuntur, sed

municipalibus praesertim, quarum ipsi Auctores sunt, vivunt. Nam Curiam in primis, seu Collegium habere eis licet, quaecumque ad utilitatem Reipublicae, decusque urbis pertinent, curaturum, quod ex Judicibus *Ordinariis*, Decurionibus (*Verreadores*), aliisque officialibus constat, a municipibus tantum electis; qui omnes, pro munere quisque suo, communi municipii bono invigilare debent, et illius militiam, agriculturam, commercium, et opificia curare, leges et statuta hanc in rem adinentia condere, municipium dissidia et controversias judicare, officiales non nullos tam militaris, quam civilis jurisdictionis exercendae causa nominare, oppidanorum negotiationes, artificia, et nundinas singulis hebdomalibus, mensibus, vel annis institutas dirigere, in Comitii Regni generalibus suffragium habere, ceteraque obire, quae ad municipii, municipumque utilitatem, verum emolumentum, et oeconomiam quoquo modo spectare videntur. Pluribus deinde honoribus, privilegiis, juribus, et exemptionibus fruuntur, quas vel solum referre longum esset.

Collegio huic municipali, seu Curiae olim praecerat oppidi Dominus, qui una cum nobiles, id est, probis honestisque viris, res universitatis, et oppidanorum civium initio curabat, eique officiales suo arbitrio praeficiebat; quod jus paulatim remissum fuit, et posterioribus tandem ordinationibus ademptum, Ord. lib. 1. tit. 67. §§. 11. 12., Emman. 45., Alphons. 28. Ad hanc Curiam praeter officiales superius nominatos pertinent iudices orphanorum, et pedanei, seu *da vintena*, populi iudex, quem non nulli cum Romano plebis tribuno inepte confundunt, mechanici quidam officiales, Lusitane *Mesteres* a ministerio, seu officio dicti, liberalium artuum procuratores, et certus plebeiorum numerus eodem modo a loci Senatu electorum, quorum scilicet omnium est, pro munere singuli suo, popularium rationum curam habere. *Ordinarij* iudicis Regimen habetur Ord. lib. 1. tit. 65, pedanei §. 73. et 74. cod., orphanorum tit. 88., Decurionum tit. 66, Aedilium 68.,

Civilis Concilii Procuratoris 69. Specialia praeterea regimina non nulla municipia habent, et Regni civitates celebriores. Dignum inter alia est, quod hic referatur, Regimen dictum *das vereações*, Olisiponensi Curiae 30. Julii 1591. datum, et aliud dictum *da Camara* 5. Septembr. 1671. apud Peg. tom. 5. ad Ord. lib. 1. tit. 67. §. 15. pag. 365. cum seq. Omitto alia multo antiquiora, et recentiora regimina Olisiponensi Curiae data; praetereundum tamen non est officiorum mechanicorum Regimen per Oduardum Nonium Leonem, in quo egregia multa continentur, quae municipiorum jura et privilegia juvare possunt. Haec enim satis sunt, ut intelligamus municipales has republicas populares esse, vel mixtas; illarum quippe Decuriones, et reliqui officiales a plebe fere adsumuntur. Plebeii autem, seu *peão* nomine hic significantur opifices artes illiberales profitentes, mercatores circumforanei, seu tabernarii, et generaliter quicumque operas suas locare solent; ingenui ab ingenuis procreati, Academicis honoribus insigniti, negotiatores, agrorum cultores, ceteri, qui omnes in Curiam adlecti, quoties de republica agendum erat, in consilium adhibebantur. In primis autem antiquam militiam, quae inter Reges, Dominos, et loci Senatum erat divisa, pro parte curabant, eaque a Regis, et Dominorum cohortibus, Senatus insignibus, quibus portandis specialem signiferum eligebant, distinguebatur. Privilegia deinde quam plurima jam a Regni initio eisdem municipiis concessa fuerunt. Generalia, et omnium fere municipiorum communia haec erant: 1) certa tributorum genera: 2) fiscales poenae in delictis privatis Domino, et Regi solvendae: 3) exemptiones in locis *honoratis*: 4) in *Behetriis*: 5) tributorum, et munerum publicorum immunitas militibus data, id est, nobilibus: 6) Clericorum immunitas, quia tamquam milites habebantur, quos inter haec in re eminebant. Canonici Viscenses, quibus Equitum privilegia Dionysius dedit, *Mon. Lus. P. V. lib. XVI. cap. 39. fol. 76. v.º* Specialia quibusdam oppidis, et municipiis concessa inter alia haec erant, et primo ex forali Conimbricae ab Henrico Comite dato aer. 1149. apud Brand *Mon. Lus. P. III. fol. 281. v.º* illius incolis concessum: 1) *quod iudices tantum haberent, et Alcaules ex suis naturalibus*: 2) *quod nullus viduum militis, vel filiam adcipiat in conjugem sine voluntate sua, et parentum suorum*: 3) *quod Infanciones in urbe domum non habeant, vel vineam, nisi voluerint habitare vobiscum, et servire sicuti vos*: 4) *quod nullus miles extraneus introeat domum alicui sine voluntate domus*

*domini: 5) quod si aliquis vestrum voluerit servire alio domino, vel ire in aliam terram, habeat potestatem suae hereditatis habendi, vendendi, vel donandi* Curiae quoque Conimbricensi concessum, Seribae orphanorum munus Pro arbitrio dare; quod probant inter alia Joannis III. literae 19. Decembr. 1547, ad eandem Curiam datae, in illius tabulario diligenter servatae. Mercatores Leirien- ses ex forali lege ab Alphonso I. data aer. 1180 apud eumd. Brand. fol. 286. a portugio immunes erant in oppidis Regum propriis, cet Municipales *das Alcaçovas* ex forali ab Episcopo, et Capitulo Eboresi dato aer. 1267, et a Dionysio Rege repetito, vel confirmato aer. 1317, apud Brand. *Mon. Lus. P. V.* fol. 308. immunes erant a censu; eadem immunitate gaudebant tabernae, moletrinae, et praefurnia; illorum mercatus tamquam loci quidam sacri habebantur, eosque exercentes ab omni molestia, et ab ipsa pignoris causa forali lege exempti erant; in illorum quoque non usu tantum, sed et proprietate erant agri inulti, *maninhos*, qui, ut hoc obiter adnotem, ad loci Senatum pertinent, si a Rege speciatim non fuerint reservati, Ord. lib. 4. tit. 43. §. 9. verbis *coutados nem reservados*. Plebei, hoc est, *peões*, seu *pedones*, uti in forali vocantur, in judicio conventi, a vicini oppidi Equitibus *villanis* judicabantur; ii autem qui sint in differentiam eorum, quos *filhos d'algo* dicimus, explicat Brand. *Mon. Lus. 5. p. lib. XVI. cap. 39. fol. 76.* Oppido, quod *Caldas da Rainha* vocant, Joannis II. literis 4. Decembr. 1488, apud Sous. tom. II. *Probat. ad lib. IV. Histor. Genealog. N. 32. p. 187.* jus asyli concessum fuit, et immunitas a militia, civilis Concilii muneribus, *portagio*, et *jugatione*. Innumera fecerunt privilegia Olisiponi per Joannem I. concessa fuerant, et aliis oppidis, quorum multa recensentur et summatim referuntur part. VIII. *Mon. Lus. cap. 32.* Nobiles Alphonsi V. privilegio, quod tandem abrogavit Emmanuel ann. 1503., ultra tres dies Portucalensi in civitate non poterant commorari. *Cogn. Catalog. Episcop. Port. P. II. cap. 32. pag. 280.* Quaedam etiam municipia privilegio *Realenga* erant, ita dicta, quia a Rege donari non poterant, veluti *Vimaranum*, Sous. tom. III. *Probat. ad lib. VI. N. 79. pag. 629*, *Cornelianum*, idem ibid. N. 10. p. 463., *Portalegre*, *Mon. Lus. 5. p. lib. XVII. cap. 54.*, *Vianna Linii*, et *Algarbiense Regnum*, Sous. tom. V. *Probat. ad lib. VIII. N. 15. pag. 463.* Suffragium in Comitibus omnia fere Regni municipia habent, quae ordine suo recenset Joann. Bap- pt. *Castr. Mapp. Portug. tom. I. P. II. cap. 13.* Eisdem, id

est, populo Lusitano, qui in municipiis suffragium habentibus significatur, concessum, et quidem a Regni primordiis, supplices de communi Reipublicae bono libellos Regi offerre, Lusitane *representações dos povos*, qui in Regni scriniis magna cura adservati, iisque perpetuo inclusi nihil profectò valent, cum alioquin publicae luci dati multum illustrare possent Patriam Jurisprudentiam. Hoc etiam jure et libertate seorsum gaudent singula municipia, eaque ann. 1624. usum fuit *Celoricum*, celebre in historia nostra oppidum, Epistola quadam, seu Senatusconsulto ad Regem celebri hac etiam inscriptione dato: *A ElRey Nosso Senhor, ou quem seu cargo servir*, in quo, si apocryphum non est, non solum mirus in Patriam amor, et summa ingenuitas relucent, sed plura civilis sapientiae specimina.

*Et quae eorum sanctitas.*

§. X. Haec vero jura vel Principum mera liberalitate, vel in servitorum remunerationem a principio municipiis data, vel quae ab antiquo moribus obtinuerunt, in magna semper veneratione haberi debent, eaque non nisi ob magnam et publicam causam limitari possunt, vel abrogari.

Jura, quae nos speciatim *usanças* dicimus, omnino servari jubentur Ord. lib. 2. tit. 56. §. ult., Emman. 21., deducta ex Oduardi lege apud Siremotium data 20. Jan. 1437, Ord. Alphons. tit. 30. eod. lib. Haec autem in universum jura vel ob revertentiam antiquitati debitam magni quilibet faciendâ sunt, neque unquam temere revocanda; alia tamen aliis sanctora sunt. Nam quae ad speciale municipii regimen et oeconomiam spectant, liberamque Curiae officialium electionem, vel quae ad jus suffragii in Comitibus dicendi, vel ad ea pascua habenda, quae antiquis municipii colonis assignata fuerunt; vel quae ad liberi comitatus, liberarum nuptiarum, liberamve de re quisque sua disponendi facultatem; vel quae demum ad hospitiorum publicorum, aliorumque numerum immunitatem pertinent, cetera, quae municipium libertatem civilem confirmant, eosve a Dominorum immani potestate, vel insolentia defendunt, quamvis uno vel alio casu limitari quidem possint, et praesenti rerum statui accommodari, penitus tamen tolli et abrogari non debent. Non idem dicendum de militiae, et tributorum tam

publicorum, quam municipalium immunitate, et aliis antiquis exemptionibus; quae facilius, quaecumque justa causa interveniente, revocari possunt, quarum plures jam hodie non obtinent, neque profecto in posterum obtinere debent, si publicae utilitati, quae suprema lex est, quovis modo adversentur, ut jam alibi notavimus, Institutionibus nostris Juris Publici Lusitani Tit. XII. §. I. Quod vero municipia in poenam suis privilegiis non omnibus pro modo, et qualitate delicti privari possint, nullus dubitat. Et huc spectat sententia in plebis tumultu Portucalensis civitatis 14. Octobr. 1757. lata, et alia Emmanuelis Regis, uti a Goesio vocatur illius *Chronic.* p. 1. cap. ult., 22. Maii ann. 1506, super tumultu, et carnificina in Judaeos Olisipone commissa 19. April. ejusdem, quo Olisipo privilegio eligendi viginti supra quatuor Officiales, seu *Mesteres*, et quatuor populi Procuratores in perpetuum spoliata fuit, et ad tempus exemptione, qua ab antiquo fruebatur, hospitiorum non nisi sua sponte recipiendorum, quam dicimus *apostentadoria*. Jam vero haec, et similia privilegia, utut antiquissima, cum a Rege tantum proficiantur, distinguenda omnino sunt a legibus *fundamentalibus*, quae populum et Regem auctorem habent, et ab iis etiam, quae Regni constitutionem ingrediuntur.

### *Forum peregrini, et Legatorum.*

§. XI. Peregrini, quos gens nostra quasi naturales cives, et humaniter semper exceptit, iis jure apud nos utuntur, quae liberis hominibus, et alterius civitatis civibus liberarum gentium legibus, aut moribus concedi solent. Quapropter jus illud, *droit d'Aubaine* dictum, nunquam a nostris fuit cognitum, vel servatum. Ii vero territoriales omnino subditi sunt, et civitatis nostrae legibus, et imperio subjecti, dum eadem commorantur; nam, ut bene ait Jureconsultus in l. 29. D. *ad municip.*: *Incola et his Magistratibus parere debet, apud quos incola est, et illis, apud quos civis est.* Quare peregrini Olisipone inventi recte ibidem conveniuntur, Ord. lib. 3. tit. 3,



et conveniri quidem poterant apud civilem Curiae Praetorem, Ord. lib. 1. tit. 39. §. 1. Quae de Legatorum foro statuta inveniuntur Ord. lib. 3. tit. 4., Emman. et Alphons. 5., hodiernis moribus haud conveniunt (Inst. Lib. IV. Tit. VII. §. XXVI.).

Curiae Praetores civiles et criminales de peregrinorum, exterorumve hominum litibus et contentionibus tam civilibus, quam criminalibus in Curia agitatis quasi de exentis cognoscebant, Ord. lib. 1. tit. 7. 8. 39. §. 1., et lib. 3. tit. 3 : reliquis in locis forum sortiebantur contractus, vel delicti, ex generali Ordinatione lib. 3. tit. 11. in princ. et §. 3. : et ita nimirum postulare videbantur principia jurisprudentiae de actionibus in tribus Regni Codicibus contenta. Ab hoc tamen jure recessum tandem est. Et primum de exterorum controversiis mercaturae causa ortis notionem habuit Olisiponensis Portorii Auditor, Ord. lib. 1. tit. 52. in princ. et §. 4., etiam Anglorum, §. 9. verbis : *E conhecerã dos Ingrezes no modo, que no foral, que de nós tem, he ordenado.* Adcesserunt postea Consules, et judices Nationis Conservatores specialibus legibus, et pactionibus communibus creati, quarum non nullae habentur Collect. I. ad Ord. dicto lib. 1. tit. 52. Nn. 1. 2. 3. Jus vero illud, quod exterorum in Regno alieno decedentium bona non fisco, sed eorum legitimis heredibus aut testamentariis concedit, Gentium humaniorum veluti jus est, et omnino servandum, quamvis nihil de illius usu inter politiores Gentes actum, pactum, conventumque sit. Illud hodie inter se expresse convenerunt Regina Fidelissima et Catharina II. Russiae Imperatrix in solenni amicitiae, navigationis, et commercii tractatu habito ann. 1787. (Cujus ratihabitio facta 24. Mart. 1788. ; renovatoque postea tractatu a Paulo I. 27. Decembr. 1798. , nova iterum ratihabitio facta 19. April. 1799.) Ad liberarum vero Gentium, vel Summorum Principum Legatos quod attinet, certum est ex Ord. lib. 3. tit. 4. conveniri eos posse tam ex contractibus, quam ex delictis legationis tempore commissis, et ita jure Romano l. 2. §§. 3. 4., l. 8., l. 24. §. 1.; l. 25. D. *de judic.*

*Qui civitatem amittant.*

§. XII. Exsules nostri, in Africam licet, Indiam, Brasiliam, vel remotissimas alias regiones

amandati, cives adhuc manent, quemadmodum publicis carceribus detenti, vel ad metalla, triremes, operave publica aut ad tempus, aut perpetuo damnati. Proscripti vero, quos Lusitane dicimus *desnaturalizados*, vel, ut habet Emmanuelis Codex (nec non et Philippi lib. 2. tit. 13.), *desnaturalados*, civitatis jure privantur (Inst. Jur. Crim. Tit. I. §. XVI.). Thomasius in Not. ad tit. *de capit. deminut.*

*Et quibus juribus priventur.*

§. XIII. Civitate tamen ipsa, et bonis, nisi id expresse agatur, haud privantur; sed civitatis tantum juribus, iis scilicet, quae solis civibus competunt; qualia superius (§. VIII.) memoravimus, quae magis ad civitatem, quam ad cives ipsos spectant: itaque non possunt magistratum, vel tutelam gerere, testamentum facere, imperium et civilem potestatem in liberos exercere, cetera publica munera in societate obire, cujus jam membra, et socii non sunt, nec profecto digni, quibus civilia officia committantur: bene tamen possunt adquirere, negotiari, ex delicto, vel ex contractu conveniri, et in judicio agere; civitatis enim imperio subjecti sunt, quamdiu in civitate vivunt.

Peregrinus, et advena, et deportatus quoque jure Romano potest vendere, emere, conducere, locare, permutare, foenus exercere, et pignori dare, l. 15. D. *de interd. et relegat.*; potest etiam mandare, l. 22. §. 5. D. *mand.* Peregrinus directis actionibus in cives etiam utitur, et conveniri potest coram Praetore Peregrino; non enim jus civile prorsus incapax est, sed ejus tantum juris, quod civium Romanorum proprium habetur, veluti testamenti, l. 1. *ad leg. Falcid.*, patriae potestatis, §. 2. Inst. *ead.*, connubiorum, *princ.* Inst. *de nupt.* Actiones vero quod civibus tantum Romanis, et in cives tabulam dantur, cum eorum injuria conjunctum est; non enim possunt tunc exigere, quod sibi exteri deberent. Deportatus

vero, et eticumque civitatem amisit, ut illius, non directis actionibus convenitur, et in iudicio agit, l. 14. §. ult., l. 22. §. 5. *mand.*, vel quia capite minutus est, vel quia bona jam acquisita statim, acquirenda autem, eo mortuo, publicantur, l. 2. *C. de bon. proscriptor.* Legibus nostris inutilis, et nullius momenti est differentia inter actiones utiles, et directas, deportationem inter, et relegationem: neque ad hodiernos mores aptari possunt, quae Romani de suorum civium jure non temere aliis concedendo nimia tenacitate tradiderunt.

## TITULUS III.

### De Patriciis, Equitibus et Plebeis.

#### *Alia civium divisio.*

§. I. IN societate civili, utpote inaequali, diversus civium ordines esse oportet; primas autem tenet *Patricius ordo*, deinde *Equestris*, et *Plebeius*; et haec tertia divisio personarum est.

#### *Patricius quis.*

§. II. Patricii nobiles per excellentiam dicuntur, qui in civitate apud Regem principem locum obtinent. Diversa olim, hodieque eorum nomina ac jura.

Non hic Patriciorum ordinem nos dicimus, adcipimusve in sensu juris Romani, et frustra agit, ne dicam inepte, manifestamque proinde ignorantiam, qui differentiam non agnoscit. Hoc igitur loco Patricios eos tantum nobiles vocamus, qui olim *filios d'algo*, hodie *fidalgos* adpellantur.

#### *Rici-homines.*

§. III. Hoc nomine olim insignes erant in primis *Rici-homines*, *Infanciones*, et *Vassalli*, quo-

rum primi omnium clarissimi ita dicebantur initio a divitiis, quibus adfluebant. Regum vero majestate postea, ac potentia aucta, honorificentissimum *Rici-hominis* titulum Reges ipsi dare coeperunt ad Alphonsi V. tempora, qui primus eundem abolevit; illius tamen mentio fit non modo in legibus antiquis passim; verum etiam in Codice Emmanuelis lib. 1. tit. 56. §. 21., et lib. 3. tit. 5. §. 5. Hujus honoris tituli insigne erat vexillum, et *caldarium* honorarium, quasi significans virum nobilissimum cum facultate ad conscribendum milites, et facultatibus ad eos alendum. Emman. Sever. de Far. *Notit. Portug.* Discurs. III. §. 20., Cabed. P. II. *Decis.* 108., *Nobiliarch. Portug.* cap. VII., *Mon. Lus.* 3. p. lib. IX. cap. 13., Alvar. Ferrer. de *Vera Orig. Nobilit. polit.* cap. II. (Ludov. Sous. *Hist. S. Domin.* P. I. lib. I. cap. 1.).

#### *Infancias.*

§. IV. *Ricos-homines* proxime sequuntur *Infancias*, dignitate aliquantulum inferiores, ut constat ex monumentis apud Cabed. P. II. *Decis.* 107., Barb. *Remiss.* ad Ord. lib. 2. tit. 21., Sever. de Far. eod. Discurs. III. §. 22, Ferrer. de *Vera dict.* cap. II.; ita dicti, vel quia ab iis descendunt, qui *Infantis* Pelagii partes sequuti fuere post generale Hispaniae excidium, vel quia *Rici-hominis* filii minores nati erant, et quemadmodum antiquissimis temporibus Regis filium secundo partu genitum Infantem vocabant, ita *Rici-hominis* *Infancionem*. Alii aliter.

In Comitibus Vimarani habitis aer. 1294. ann. 1256. sub Alphonso III. apud Brand. *Mon. Lus.* P. III. lib. IX. cap. 13. *Rici-homines* *Infancionibus* iudubitanter praecedunt. In libello quoque pervetusto victualium Grigensis Monasterii a Petro I. ordinato aer. 1403. ann. 1365. *Infancio-*

nes post *Ricos* tandem *homines* nominantur: quod satis horum praelationem et praecedentiam probat, quam demonstrare quoque videtur celebris vel sola antiquitate iudicis quaedam pronuntiatio 3. Jul. 1486. apud Peg. tom. VII. ad Ord. lib. 1. tit. 91. §. 2. Glos. 4. pag. 379. n. 8.

### *Vassalli.*

§. V. *Vassalli* olim dicebantur, 1) qui oppida cum jurisdictione et imperio, et arces a Rege habebant: 2) qui stipendium in bello merebant: 3) qui bello certis, et statutis armis pro cuiusque facultatibus serviebant. Primus hic honoris gradus erat, quo qui fruebantur, proprie clientes, seu *Vassalli* dicebantur, Ord. Emman. lib. 4. tit. 35., et tit. 71. §. 3., Sever. de Far. Not. Discurs. III. §. 21., Cabed. P. II. *Decis.* 106. Vid. Tit. I. §. XIII. Not.

### *Duces.*

§. VI. A Joannis I. tempore alii honorum tituli in Lusitania fuerunt; ipse namque ann. 1415. filios suos Infantes D. Petrum Ducem Conimbricensem, Henricum Visensem; et Alphonsus V. ann. 1442. Alphonsum alium, ejusdem Joannis I. filium, Brigantiae Ducem creavit. Primus hic a Rege dignitatis ordo et gradus est, de cuius origine, privilegiis, et creationis ritu Sever. de Far. eod. Discurs. III. §. 23., Sous. *Histor. Genealog.* tom. V. lib. VI. cap. 1., et in libello inscripto: *Memorias Historicas e Genealogicas dos Grandes de Portugal* in praefat.

### *Marchiones, et Comites.*

§. VII. Sequuntur Marchiones. Hoc titulo primum insignitus fuit Alphonsus, Comes Oroniensis, Alphonsi I. Brigantiae Ducis filius natus major, Regis, Legatus in Concilio Basileensi, quem Alphonsus

Portugalliae Rex hujus nominis V. hac de causa Valentiae Marchionem creavit ann. 1451. Comites antiquitate Ducibus et Marchionibus antecedunt; hoc autem titulo primus omnium decoratus fuit Joannes Alphonsus Tellesius, a Dionysio Rege Barcelensis Comes creatus literis Scalabi datis 8. Maii aer. 1336. ann. 1278. Antonius Pereria Dissert. *Origem do Titulo, e da Dignidade dos Condes* §. V.

*Vicecomites et Barones*

§. VIII. Atque hi Lusitaniae proceres: proxime sequuntur Vicecomites, et Barones. Alphonsus V. Joannem Fernandum Silverium Baronem Alyiti, et post suum e Gallia reditum Leonelum Limium primum Villae-novae Cerveriae Vicecomitem creavit anno 1476. Idem Perer. cit. Dissert. §. VI.

Inter Lusitaniae Magnates numerandi quoque sunt 1) Ducum filii, filiaeve: 2) Magnus Prior Cratensis: 3) Archiepiscopi, et Episcopi etiam Titulares a Rege nominati, Extravag. 29. Januar. 1739.: 4) Ecclesiae Patriarchalis Canonici, *Principales* dicti, Diplom. 24. Decembr. 1716. Patriarcha civilibus honoribus, et privilegiis iis omnibus gaudet, quae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus in Regno concedi solent, Decret. 12. Febr. 1717. Nobiles Titulares etiam privilegiati cooperto capite apud Regem sedent, et ab eo certum stipendium annuum habent, quod vocatur *Asentamento*; non Titulares in nobilitate numerum adscripti aperto capite stant, et certo quoque stipendio annuo a Rege donantur, quod ad illius differentiam dicitur *Moradia*.

### *Oppidorum Domini titulus.*

§. IX. *Domini* titulus honoris et dignitatis species est, quo utuntur, qui imperium et jurisdictionem civilem in oppidum aliquod exercent, videturque suffectus in antiquum *Vassalli* honorarium titulum, qui ab Alphonsi V. tempore, quemadmo-

dum *Rici-hominis*, et *Infancionis*, frequentari de-  
siit. Sever. de Far. *Notit.* Disc. III. §. 26. et 27.

Ipsè tamen Alphonsus V. (et frustra aliud exemplum  
quaerendum) Calend. Jun. 1451. Nonium Martinum Silve-  
riam, Puritatis, ut vocabant, Scribam, *Ricum-hominem*  
creavit literis in publicis Regni scriniis lib. III. *dos My-  
sticos* dicto, fol. 263., quarum mentionem facit Sous. *Hi-  
stor. Genealog.* tom. III. lib. IV. cap. 1. pag. 36.

*Regiae domui addicti, id est, fidalgos.*

§. X. Alphonsus V. eos praesertim nobiles vo-  
cari voluit, quos specialium nobilium codice ipse  
adscripterit, iique proprie *fidalgos* dicuntur. In  
nobilium autem codicem haec cooptatio plures gra-  
dus et amplificationes recipit secundum ordinem  
Regiminis Sebastiani Regis ann. 1572. Regiae domus  
Praefecto dati, quo hodie utimur. Joan. Pint. Riber.  
tractat. *sobre os titulos da nobresa e seos privile-  
gios.*

De Regni tantum proceribus et dynastis intelligenda  
videtur Ord. lib. 5. tit. 35. §. 1. verbis: *fidalgo de grande  
solar*, et tit. 92. §. 9. *fidalgo de solar conhecido*, et tit.  
43. §. 1. *fidalgo notavel*, et lib. 5. tit. 119. §. 3. *fidalgos  
de grandes stulos e poder*; nobili enim genere nati, vel  
nobilium codice adjecti dicuntur simpliciter *fidalgos de  
solar*, ou *assentados em nossos livros*, Ord. lib. 5. tit. 120.  
in princ., et lib. 3. tit. 59. §. 15.

*Equites antiqui, seu, ut aiunt, Escudeiros.*

§. XI. Antiquissimis temporibus nobiles tan-  
tum erant Scutigeri homines, hoc est, in nobilium  
ordinem rebus in bello ab eisdem, aut a majoribus  
suis praeclare gestis adscripti, quos *Escudeiros* vo-  
cabant, vel Equites, ita dicti, quia equo in bello  
mererent, vel quia in Equitum ordinem statis cae-  
rimonius cooptarentur, quae jam in usu non sunt.

*Et qui hodie hoc nomine vocantur.*

§. XII. Praeter antiquos hos Equites . et *scutatos* homines, hoc est , *Escudeiros* , qui certe clarissimi sunt , hoc etiam nomine ab Alphonsi V. tempore vocantur , qui tales a Rege creantur , et simplicis nobilitatis juribus fruuntur , Ord. lib. 1. tit. 74. §. 4. , et lib. 2. tit. 45. §. 39. Eodem fere loco habentur *scutigerulus* , vel nobilis viri , feminaeque *antambulato* , aut *educator* , Ord. lib. 1. tit. 66. §. 42. , et lib. 5. tit. 138. in princ. , Joann. Pint. Riber. tractat. *sobre os titulos da nobresa e seos privilegios* , Phoeb. P. II. *Decis.* 106. , *Nobiliarchi Portug.* cap. XVII.

*Ordinum Militarium Equites.*

§. XIII. Nobiles maxime censentur Ordinum Militarium Equites , Christi , Divi Benedicti , et Jacobi , Ord. lib. 5. tit. 120. in princ. , cum antiquis Equitibus haud confundendi. Avisiensem Militiam Alphonsus I. instituit , eique D. Petrum Alphonsum , ipsius fratrem , praefecit ; Divi Jacobi ab Hispanis adceptam Sancius I. benigne in regno excepit ; eandem postea Dionysius Rex ab Hispani Magui Magistri jurisdictione exemit ann. 1290. Idem Christi Ordinem de novo fundavit ann. 1319. Et haec tantum indicare sufficiat.

Sacris his Militiis adjungendus quoque est Ordo Hospitalarius , hodie Melitensis , a Callisto II. adprobatus anno circiter 1118. , et in Portugallia jam cognitus , et admissus sub Alphonso I. anno 1130. *Mon. Lus.* 3. p. lib. IX. cap. 11. fol. 81. Equites hujus Ordinis et Templarii , paulo antea sub Theresia Regina admissi , Regis servitio statim mancipabantur , eique homagii solenne jusjurandum praestabant , cujus formula habetur apud Fr. Bernard. Brit. *Chron. Cisterc.* lib. II. cap. 27. Hodie Regina Fideissima Regni Militiis Equites duodecim adju-

xit ,



xit, quos ad hujus Ordinis exemplum *Grão-Cruzes* nominavit, eisque specialia insignia dedit generali Edicto 19. Jun. 1789., in quo multa praeterea habentur in honorem Militiarum praeclare constituta.

*Nobilitatis genus aliud*

§. XIV. Quia vero Portugalliae Regnum militare est, mirum videri non debet nobilitatem initio non nisi rebus bello praeclare gestis adquiri; quod satis superque demonstrant insignia gentilitia, quibus utimur. Hinc est, quod majores nostri non modo commercium, et negotiationem tamquam rem sordidam, et eorum dignitati parum aptam abhorrent, Ord. lib. 4. tit. 16.; verum etiam parvi facerent magistratus honores, et civilia officia, eisque tantum in pretio haberentur militaria instituta, vel militiae cujusdam speciem prae se ferentia, veluti ludicae cataphractorum, hastatorumque equitum pugnae, taurorum agitationes, venationes, singularia ad certamina provocationes, et id genus alia. Melioribus tamen temporibus exortis, et bellico furore refrigescente, officiis, muneribusque civilibus debitus tandem est honor exhibitus, et nobiles alii cogniti, qui proprie neque Equites, neque viri Patricii dici possunt; sed tamen eorum privilegii, et juribus ferme omnibus fruuntur. Et huc in primis spectant Senatores, et reliqui Magistratus, Regii Professores, Doctores, cet., Ord. lib. 2. tit. 59. §. 15., lib. 5. tit. 120., Emman. 67., Alphons. 94. eod.

Judices Ordinarii loci, ut jam alibi diximus (Hist. Jur. Civ. Lus. §§. XLI. LXV.), ex bonis, honestisque viris, et non ex *Ricis-hominibus*, seu Dominis desumebantur; Magistratibus vero majores, veluti Praetores provinciarum, id est, *Corregedores*, Praefecti civiles, id est, *Adiantados*, seu *Adelantados*, supremi judices, id est, *Sobrejuizes*, cet., ex Patriciorum tantum ordine. Romano

autem jure, tam in foro, quam in Academia recepto, illud tandem effectum est, ut ad civiles magistratus in Republica honores aditus a Joannis II. tempore Jureconsultis tantum pateret. D. Franc. Emman. *Epanaph.* 1. pag. 27.

### *Plebeius quis.*

§. XV. Qui nobilium codice adscriptus non est, neque in Equitum ordine, plebeius homo vocatur: non nulli tamen veluti erciscundi sunt, quales superius memoravimus, et alii fortasse, qui licet neque domui Regiæ addicti inveniantur, neque in Equitum ordinem cooptati, nobilium jure fruuntur. Plebeii ergo ordinis potissimum sunt quicumque conducta opera serviunt, illiberalesve artes exercent; agrorum vero cultores nobilium semper in grege adnumerandi.

Plebeius hoc loco idem est, atque *peão*. Sed vero quis hoc nomine intelligatur, non omnes conveniunt. Quidam eo significari volunt hominem, qui nulla prorsus nobilitate gaudet; quidam peditem, quasi *peão* is omnis dicatur, qui Eques non est. Authentica hujus vocis significatio in tributo, quod *oitavo* dicimus, habetur Regio Joannis III. Diplom. 6. April. ann. 1538. apud Peg. ad Ord. lib. 2. tit. 33. tom. IX. n. 294. ad petitionem Magni Prioris Thomariensis Conventus dato his verbis: *E quanto á duvida, que nessa Villa ha ácerca do foral sobre a paga dos oitavos, declaramos: que as pessoas, que disso hão de ser excusadas, são os que forem Escudeiros daquellas pessoas, que os podem fazer, e estes taes sendo seus criados, e tendo delles recebido casamento, e tendo sempre cavallos; e os que taes não forem, pagarão o dito oitavo, como se peães fossem.* Alvar. Ferrer. de Vera cap. II. orig. nobilit. polit. fol. 9. plebeius post *Ricos-homines*, et eorum filios, et *Infanciones* in aula servientes ponit, et per eos ab Emmanelis tempore intelligit *famulos a pedibus*, et stabularios, quem tertium ordinem ab eodem primum ordinatum fuisse ait.

*Cum infami haud confundendus.*

§. XVI. Distinguendus perpetuo plebeius homo a vili et infami, et tenendum infamiam ex delicto tantum, et turpibus factis provenire. Eo jure notati, ab omnibus officiis publicis arcentur, Ord. lib. 5. tit. 6. §. 13., ll. 2. 12. C. *de dignitat.* Quare infames non sunt praecones, macellarii, tortores, quae vulgi opinio est, sed plebeii; namque infamiam ex statu, et vitae genere, utut contemptibili, dummodo salvis legibus exerceri possit, incurrit nemo. Heinecc. *Dissert. de lev. not. macul. ad leg. 27. C. de inoffic. testam.*

*Donatarii qui dicantur.*

§. XVII. Regni proceres, et quicumque jurisdictione et imperio civili fruuntur, Donatarii vocantur; quia jurisdictionem a Rege, a quo omne imperium et potestas, datam, donatamve habent, eandemque illius nomine veluti quidam Administrati exercent; et hoc nomine veniunt Regina ipsa, Infantes, Duces, Magni Ordinum Equestrium Magistri, Marchiones, Comites, Magnus Prior Cratensis, cet.

*Illorum jurisdictioni limites positi.*

§. XVIII. Quia vero Optimates majore, quam par erat, et publica civitatis ratio exigere videbatur, jurisdictione utebantur, eidem Reges nostri jam dudum justos statuerunt limites, et hac de causa merito laudandi Dionysius, qui diversas super hac re inquisitiones fieri jussit ann. 1290. 1301. 1308., Ord. lib. 2 tit. 48., Alphonsus IV. Edicti generalis auctor, cujus mentio fit Ord. lib. 2. tit. 45. §. 6., et Ferdinandus, qui speciale Nobilibus Regimen dedit Comitibus Atouguiensibus 13. Se.

ptembr. 1375. , ex quo discripta fuit Ord. lib. 2. tit. 45. , Emman. tit. 26. eod. lib. , Alphons. V. tit. 39. 40. et 63. (Hist. Jur. Civ. Lusit. §. LX.).

### *Lex Mentalis.*

§. XIX. *Lege praeterea Mentali , Scalabi data* 8. April. 1434. , quam ad magni parentis mentem Oduardus Rex vulgavit , et authentice fuit interpretatus speciali lege Olisipone lata 30. Jun. eod. ann. , Donatariorum jurisdictio definita in primis fuit , et restricta de bonis Regiae Coronae tam in testamento , quam inter vivos disponendi facultas.

Cum Joannes I. , felicitis recordationis Princeps , intelligeret , bonorum Regiae Coronae donationes , quas ipse coactus paene fecit , quasque Majores , sui fecerunt , exitiales esse , inofficiosas , et magno cum Reipublicae detrimento conjunctas , nec vellet ad exemplum Dionysii Regis easdem revocare , quod summo jure ei licitum erat : Joannis ab Aregis consilio , quo Administro in primis utebatur , legem mente concepit , quae donationes Regias non aperte quidem revocaret , quod quidem difficillimis his temporibus invidiam et odium facile poterat concitare ; sed indirecta quadam via reduceret ac limitaret. Itaque statuit ad filium tantum seniorum horum bonorum successionem pertinere , servata sibi dispensandi facultate ; quo uno effectum est , et quod donationes Regiae inutiles paene redderentur , et cessarent , filio non exstante , qui casus per rerum naturam frequenter adidere solet , ex eisque aerarium , quod in votis erat , locupletaretur ; et quod Nobiles Regis , a quo dispensationes petendae , hoc peculiari vinculo magis tenerentur , et obnoxii fierent. Providentissimam hanc legem , quam nimis inciviler tractat Emmanuel Faria Sousa tom. II. *Europ. Port.* p. 3. capp. 1. 2. , non Joannes I. , illius Auctor , sed Oduardus filius promulgavit : ea tamen scripta fuit in publicis Cancellariae libris , et statim omnibus nota atque perspecta , et non semel ab eodem executioni mandata , quod satis solennem promulgationem supplere videtur. Exemplo fortasse Jcanni fuit Henricus II.

Castellae Rex, dictus *das Mercés*, qui in testamento suo eam inseruit clausulam, quam Philippus II. postea adposuit lib. 5. Recopil. tit. 7. l. 11., quod scilicet Regiae Coronae bona tanquam majoratus omnino haberentur, et ad Coronam, a qua discesserant, filiis masculis non exstantibus, reverterentur. Sed in primis sequutus fuit iura, et constitutiones feudorum, quibus *leuda* annalia principio erant, deinde ad vitam filio cuiusque concessa ad Domini arbitrium, et tandem ad primogenitum, eorum alienatione omnino interdicta, certis sub oneribus, praestationibus, et servitiis adhaerebant; in quibus praesertim consistit systema feudale, quod non a Romanis petendum est, uti Cujacius, vir summus, existimavit, sed a Longobardis, et similibus populis. Robertson *Histoir. de Charl. V.*, Montesquieu *Esprit des loix* lib. XXX. Ab hoc certe systemate Reges nostri semper abhorruerunt, ab eisque in illius odium quam plurima constituta sunt, quae supra indicavimus Not. ad §. XIII. tit. I.; abhorruit autem vel maxime Joannes I., qui Regiae Coronae Donatarios nunquam pro feudatariis habuit, Ord. lib. 2. tit. 35. § 3.: sed tamen non una hujus juris et systematis vestigia et in antiquis, et novis legibus invenire licet. Nam decuma pecuniaria sententiarum, quae etiamnum legibus nostris adprobatur; ab hoc jure repetenda, quo prohibitum erat litigatoribus amice de causa in judicio agitata transigere in praejudicium Dominorum. Eidem juri tribuenda Ord. lib. 2. tit. 37., Emman. 47.: nam Vassallus, Domino inconsulto, se non poterat in matrimonium collocare. Et hinc etiam est, quod tributorum jus, cum feudali constitutioni prorsus adversetur, Reges nostri una cum reliquis Europae Principibus liberum non haberent ad annum circiter 1445., quo illud in Gallia sub Carolo VII. per jus, nefasve obtinere se videtur. Haec quamvis ita sint, Joannes ex constitutione feudali ea tantum praesumpsit et hausit, quae utique bona erant, et proposito suo utilia, veluti quod masculi solum in haec bona succedant, et solus primogenitus; quod dividi ea non possint, nec alienari sine Regis tanquam majoris Domini licentia; quod ad vitam tantum data et donata videantur, cet. Inutilia autem, et a suo proposito aliena, quae scilicet ad Dominorum jurisdictionem spectant, vel ad Vassallorum servitia personalia, non recepit, imo improbavit. Mentalia Joannis I. lex sex prioribus paragraphis Emmanuelis Ordinatione lib. 2. tit. 17. refertur, quibus octo priores re-

spondent in Philippino eod. lib. tit. 35. Oduardi lex 30. Jun. eod. ann. sequentibus §phis continetur, qui in utroque Codice eisdem ferme verbis scripti inveniuntur; sed tamen in Philippino integer. §. 2., et versiculus: *E não ao neto, filho do filho mais velho* in §. 1. usque ad finem ab illius Architectis additus fuit; abest enim ab Emmanuelis Codice. Mitto alias differentias, et diversas verborum positiones, quae nihil ad rem faciunt. Oduardi vero interpretationes ad eandem legem, seu Commentaria magis privati Doctoris officio, quam Regis dignitati convenire videntur.

*Illius summa,*

§. XX. Hac lege prohibetur bonorum Regiae Coronae alienatio et pignoratitia, Rege inconsulto. Eadem in his bonis successio denegatur feminis, adscendentibus, et collateralibus, et filio tantum conceditur natu majori legitimo, et naturali, petitis prius, et obtentis diversis confirmationis literis pro diverso successionis jure; qui tandem succedit ad eum modum, conditionemve, et secundum eas clausulas, quae in Regia donatione continentur, vel subintelliguntur; quae omnia nos breviter, et summam explicabimus.

Ante omnia tractanda erat quaestio praejudicialis, an scilicet Rex possit Regiae Coronae bona donare, de qua inter alios Grot. *de jur. bell. ac pac.* lib. I. cap. III. §§. 12. 13., Pufendorf. *de jur. Nat. et Gent.* lib. VIII. cap. V. §. 1., Henr. Cocceius *Dissert. de Autonomia Gentium* cap. 12. Sed donationes remuneratoriae omnino ad Regis officium spectant, et bona publica, si non in ejus dominio et proprietate, certe in imperio et administratione sunt; quare bene poterit de eis disponere in communi civitatis bonum, quod ex juxta et necessaria praemiorum distributione resultat; et si jus hoc Episcopis et reliquis bonorum ecclesiasticorum Administratoribus concessum est in cap. *Intellecto* 33. *de jurejur.*, qua ratione Regi denegandum? Adcedit quod Rex haec bona jure quodam privato, et tamquam Major Dominus majoris feudi donare videatur: similes autem donationes necessario ingrediuntur naturam constitutionis feudalis.

*Et regulae generales.*

§. XXI. Sed prius quam eo deveniamus, speciales hae regulae tenendae ex antiquis, hodiernisque Ordinationibus hinc inde petitae. I. Quod ex donatione bonorum Regiae Coronae verum dominium non acquiritur Donatario; cui consequens est: 1) liberum ei non esse de bonis sibi donatis disponere: 2) Regem posse donationes has limitare, vel revocare ex publica causa: 3) bona haec etiam post factam donationem Regia vocari, et esse quoad certos juris effectus; non enim amittunt pristinam naturam: 4) in eis locum habere reversionis jus: 5) Regem de eis disponere posse non tam jure Majestatis, quam particularis dominii, et dispensare in legibus generalibus, illorum alienationem, oppignerationem, successionemve prohibentibus. II. Quod Donatarius in haec bona non succedit jure hereditario; quare ad aes alienum antecessoris non omnino tenetur, sed ad eum tantum modum, quem praescribit Ord. lib. 4. tit. 101. III. Nec jure sanguinis, alioquin femina succederet, sed jure tantum speciali, et titulo donationis. IV. Quod donatio semper intelligitur ad vitam Donatarii facta, nisi contrarium expresse actum sit. V. Quod nec ex donatione perpetua, quam *de juro e hereditate* dicimus, jus perpetuum acquiritur; semper enim vel nova gratia, vel confirmationis literis opus est.

Haec generalia principia, seu regulae omnino supponendae, originem quoque suam debent juri, et constitutioni feudali, paucis additis, vel detractis. Distinguenda ergo perpetuo erit donatio bonorum Regiae Coronae, seu publicorum, a donatione bonorum Regis patrimonialium, et praesertim a donationibus privatorum, quibus verum dominium transfertur et acquiritur.

*In quibus bonis locum habeat.*

§. XXII. Bona Regiae Coronae, de quibus lex loquitur, et in quibus tantum locum habet, praecipua haec sunt: 1) Tituli honorificentissimi Ducis, Marchionis, Comitis, Vicecomitis, Baronis, Edict. Jul. 1789.: 2) Oppidorum Domini Titulus. *Senhor de Terras*, Ord. lib. 2. tit. 45.: 3) Ducis perpetui, hoc est, *Capitão de juro e herdade*, Titulus in Brasilia, et insulis quibusdam, cui certus terrarum tractus (*Capitanias* dicimus) adsignatus a principio fuit, Cabed. P. II. *Decis.* 28.: 4) Auctoritas omnis, imperium, et jurisdictio civilis, criminalis, militaris, literaria, oeconomica, tit. 35. et 26. eod.: 5) jus patronatus, Ord. lib. 2. tit. 35. §§. 5. 24.: 6) decima saecularis vel ecclesiastica Regio Patrimonio unita, ead. Ord.: 7) tributa, et onera personalia, realia, vel mixta, lege, aut consuetudine imposita, tit. 26. §. ult.: 8) bona immobilia jam diu in libris Regis censualibus (quos *dos propios* vocamus) scripta, tit. 35. in princ. et §. 22.: 9) bona de novo quaesita, et Regiae Coronae incorporata, tit. 36.: 10) jura quaecumque Regalia, redditus, pensionis et census emphyteutici, tit. 35. §§. 6. 7., cetera, quae ex Corona Regia sunt profecta, et quae a Rege tantum haberi, vel ejus nomine exerceri possunt. Et haec summa regula est.

Pensiones et census emphyteutici inter bona Regiae Coronae recte quidem numerantur, quando Rex emphyteusim alicui perfecte dedit, et jus pensiones has percipiendi; secus si emphyteusim ipsam retinet, et dominium directum, eique dictae pensiones sunt solvendae; quo casu emphyteusis, et pensiones haberi debent tamquam bona Regis patrimonialia; et ita intelligenda Ord. lib. 2. tit. 35. §§. 6. 7., quae sibi constare non videtur, quod notandum est. Illud etiam animadvertendum, bona vacantia majoratus, et capellas quovis titulo ad Coronam Regis petentes bonis Regalibus adnumeranda non esse,



neque legi nostrae subjecta censerī ante verbalem, vel realem, ut loquuntur, incorporationem ex Ord. lib. 2. tit. 36., quae cum generaliter loquatur, ad bona quaecumque de novo adq̄sita adplicari debet. Jus vero patronatus Regio Patrimonio semel unitum cum inter bona Regiae Coronae legi nostrae obnoxia referatur, Ord. lib. 2. tit. 35. §. 5., quare non idem prorsus de decimis (in eadem quippe causa sunt) sive saecularibus, sive ecclesiasticis origine sua eidem Patrimonio unitis dicendum erit? Vide quae diximus Instit. Jur. Public. Lusit. Tit. V. §. XXXVIII. Not.; et ita iudicatum apud Peg. ad Ord. tom. X. pag. 20. Duces insularum perpetui (a Gubernatoribus temporariis, et officialibus Militaribus omnino distinguendi), quibus jus et imperium cum *Capitania*, id est, obligatione oppida adsignata defendendi concessum, veri Donatarii sunt, itaque legi nostrae subjecti. In Regno (quod hic adnotare placet) oppidorum Domini Titulus sine *Capitania* datur: vix enim unum aliq̄ve exemplum adparet similium donationum in domo Marchionis Villae-Regalis, Abrantii (*Abrantes*), et Vicecomitis Villae Novae Cerveriae. Constitutione autem feudali *Capitania*, id est, oppida concessa defendendi obligatio Dominorum omnium commune jus erat.

### *Et donationibus.*

§. XXIII. Horum igitur bonorum et jurium donationes, etiam remuneratoriae, et ad vitam tantum Donatarii concessae, quocumque tempore factae dicantur, Legi Mentali sunt obnoxiae.

Quidam existimant Legem Mentalem locum tantum habere in donationibus perpetuis, quas *de juro e herdade* dicimus, quasi ex iis dumtaxat praedictum Regio acrio inferri videatur. Quidam legem solum intelligunt de posterioribus donationibus, cum lex nulla retro respiciat, et ad praeterita extendatur. Sed vero Joannes I praecipue in mente habuit donationes antiquas; et cum ex novis, ad vitam licet concessis, praedictum quoque non lex sequatur, dicendum est Legem Mentalem in omni et quacumque donatione, antiqua, nova, gratuita, remuneratoria, ad vitam, perpetua, quocumque modo, tempore, et quacumque de causa facta locum habere;

et hac eadem opinio est Georg. Cabed. P. II. *Deciz.* 4., et celebris Regiae Coronae Procuratoris Emmanuelis Lopesii Oliveriae, cujus hac in re auctoritas non omnino contemnenda est, apud Peg. ad Ord. tom. XI. cap. 266. pag. 623.

*Et in quibus non habeat.*

§. XXIV. Quaedam tamen Regiae Coronae bona sunt huic legi non subjecta, veluti 1) bona Regis mobilia: 2) emphyteutica, Ord. lib. 2. tit. 35. §. 7., et lib. 4 tit. 41.: 3) a Rege vendita, permutata, et quovis titulo oneroso habita, §. 23. lib. 2. tit. 25.; lex enim tantum de donationibus fuit concepta: 4) bona, quae *Reguengos* nos dicimus; in perfecto enim dominio possessoris sunt, eaque libere vendere potest, et alienare, Ord. lib. 2. tit. 17. (Inst. Lib. I. Tit. IV. §. II. Not.); 5) bona, et possessiones dictae *jugadeiras*, Ord. lib. 2. tit. 33. §. 9., cum in dominio quoque possessoris sint: 6) bona Regia inculta *de sesmaria* data, Ord. lib. 4. tit. 43 §. 13., et ita agriculturae favor exigere videtur; de quibus omnibus diximus Inst. Jur. Publ. Tit. IV. §. II. Not.: 7) bona de novo quaesita ante illorum incorporationem, Ord. lib. 2. tit. 35. §. 22: 8) bona tamquam patrimonialia habita, et divisioni, partitione jam subjecta legis Mentalis tempore, §. 27.; 9) justitiae, et Regii Patrimonii officia, Regiae Coronae bonis adnumerata generali Constit. 23. Novembr. 1770, quod cum magno officialium detrimento conjunctum esset; et ita usus antiquus servat: 10) Equestrium Ordinum bona, et Commendae: Regiae quippe Coronae Magni tantum Magistri Dignitas, non Militiarum bona, quod vulgo non animadvertitur, unita fuerunt a Julio III. notissima Bulla 4. Jan. ann. 1551. data.

Petrus Barbosa in l. 13. D. *solut. matrim.* n. 96. Ordinum bona, posteaquam Regiae Coronae sunt unita,

cum Regis confundit; et indiscriminantim Regia adpellat. In eadem opinione est Regius Coronae Procurator Emmanuel Lopesius Oliveria; sed praeterquam quod Coronae Regni Magni tantum Magistri Dignitas unita fuit, itaque Regibus nostris antiqua solum Magistrorum jura, et libera administratio concessa, hodie horum honorum donationes, successionesve, etiamnum gubernantur non legibus generalibus Regiae Coronae bonis et juribus datis, sed specialibus Statutis, ac Definitionibus. Sed tota haec quaestio nominis est; re enim ipsa nihil refert Ordinum bona a Rege qua tali, an Magni Magistri jure donari, illorumque donationes intelligi, regi et gubernari communibus legibus, an particularibus Definitionibus; dummodo a Rege omnia proficiantur. Animadvertendum tamen est, quod arcium praefecturae, et cetera jurisdictionalia Ordinibus concessa inter Regiae Coronae bona numerantur Regiae Resolut. 17. Augusti 1770. Quod autem dicitur in Ord. lib. 2. tit. 35 §. 27. de bonis Regiis tamquam patrimonialibus habitis, et partitioni subjectis, ante Legem Mentalem eidem non subjiciendis, intelligi non debet de jurisdictione eisdem bonis adnexa, quae omnino ad legis nostrae praescriptum exercenda est; sed de aliis ejusdem legis capitibus, quod scilicet in haec bona possint succedere feminae, et transversales, quin dispensatione aliqua, vel confirmatione opus habeant. Idem dicendum prorsus videtur de honoribus antiquis, et Donatoriis oppidorum *de Ervededo, Villa Verde, Furlaens*, et similibus jam ab initio Regni cognitis, et Dominorum titulo insignitis.

*Alia numerantur.*

§. XXV. Legi quoque Mentali non subjiciuntur 1) annui redditus, quos *Tenças* vocamus: 2) nobilium stipendium dictum *Moradia*: 3) aliud stipendii genus dictum *Assentamento*: 4) mercedes, et Regis dona, quae *Desembargos* adpellat Ord. lib. 4. tit. 14., Emman. 40.

Annona civilis, quam *juros* dicimus, si in perpetuum *tença*, si ad vitam concedatur, Legi Mentali subjecta non est: quippe quae de donationibus tantum, et non de obligationibus fuit loquuta, et de his tantum bonis,

quae a Regia Corona sunt profecta; ad eamque reverti possunt; quare in haec bona femina succedit, quin ulla indigeat dispensatione: quod tamen intelligendum est, si seorsum data proponantur; nam in generali bonorum Regiae Coronae donatione contenta illius naturam ingrediuntur. Hanc in rem videantur omnino Diplom. 17. Febr. 1655.; Decret. 17. Jan., 28. Mart. 1689., Diplom. 17. April. 1789.; pronuntiatio in favorem Comitum Calthetae ann. 1660. apud Maced. *Decis.* 117. et *Decis.* 79.: Cabed. P. II. *Decis.* 39. Stipendium, quod Regiae Domui addictis datur, et in specie *Moradia* dicitur, ab Emmanuelis Regis praesertim tempore repetendum videtur, quo regnante, virorum nobilium educatio Regia in Domino cessavit. Illud autem ab stipendio alio, quod *Assentamento* adpellant, et nobilibus aliis honoris titulo a Rege donatis conceditur, vel maxime differt, quod lucro tantum cedat iis, qui Olisipone vivunt, et morantur; neutrum tamen Legi Mentali obnoxium est.

*Et qui in haec bona succedant.*

§. XXVI. Quia vero in haec tantum bona filius legitimus major natu succedit, Ord. lib. 2. tit. 25. §. 1., sequitur: 1) ut non succedat filia, §. 4., 2) nec filius ex filia susceptus, §. 14.: 3) nec pater avusve §. 16.: 4) nec frater fratri, §. 15., Extravag. 28. April. 1587. apud Cabed. P. II. *Decis.* 32.: 5) nec primogeniti nepos, patre vivo, avo defuncto, nisi in bello contra Infideles decessisset; nam *qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur*, ead. Ord. §. 1. et 2., deducta hac in parte ex princ. Inst. *de excusat. tutor.*: itaque filius secundo genitus nepotem ex filio majori excludebat, in his quippe bonis representationi ex hac lege locus non erat, quemadmodum in bonis emphyteuticis ex Ord. lib. 4. tit. 36. §. 2. Hodie tamen raepraesentatio inter descendentes admittitur, et nepos ex filio seniore patrum excludit, Extravag. 2. Maii 1647. Collect. I. ad Ord. lib. 2. tit. 35. §. 1. N. 1., quod jam antea constitu-

tum erat in favorem Brigantinae Domus Sebastiani Regis Diplom. 4. Octobr. 1559. apud Sous. tom. IV. *Probat.* ad lib. 6. *H. G.* pag. 182. N. 161.: 6) nec filius naturalis, tit. 35. §. 12.: 7) nec legitimatus per rescriptum Principis, adoptatus, adrogatusve, nisi donationis literis expresse fuerit vocatus, eod. §. 12.; quod semper intelligendum est, filio naturali, et legitimo non exstante, §. 13.: legitimatus autem per subsequens matrimonium omnino succedit, §. 12. Denique non succedunt Religiosi, et Clerici sacris ordinibus constituti, §. 10.: succedunt tamen Ordinum Militarium Equites, §. 11; matrimonio enim habiles sunt post Bullam Alexandri VI. anno 1496.,

Haec fere omnia e jure feudali repetenda. Filius in Lege Mentali is tantum intelligitur, qui ex legitimo matrimonio natus est; quare naturalis, legitimus factus vel rescripto et auctoritate Principis, vel parentis nominatione, adoptioneve, non succedit: itaque Alphonsus Sancius a Dionysio patre legitimatus, et Gundisalvus Vasquius Azevedus, D. Francisci Piresii, Sanctae Crucis Conimbricensis Monasterii Prioris, et Theresiae Lorbaniensis Monialis filius., a Ferdinando Rege legitimus factus, legitimisque natalibus in integrum restitutus, aer. 1413., Jos. Soar. *Silv. Joannis I. Memor.* Docum. N. IV., ceteri plenissime legitimi, et cujusvis successionis tam ex testamento, quam ab intestato capaces redditi, non poterant in haec bona, illorum speciali mentione non facta, succedere: nec hac in parte Joannes I. jus novum constituit, sed antiquum reduxit. Succedit ergo in haec bona filius tantum legitimus et naturalis, sive vivo patre, sive eo mortuo, nascatur, isque hoc casu sororem, vel patrum, qui, quaeve Regis, permissu in possessione honorum erat, excludit, Ord. lib. 2. tit. 35. §. 13. vers. *Porque*; Regis enim licentia et dispensatio facta semper intelligitur; salvo illius jure. Repraesentatio nepoti concessa Comitiorum Joannis IV. lege 2. Maii 1647. solum inter descendentes locum habere videtur; in praxi tamen ad transversales extenditur, et admittitur inter fratres et filios fratrum, quam improbare non audeo, cum legis sensui, et rationi, quae eidem ferendae causam dedit, sit consentanea. In ho-

dierna Ordinatione §. 1. vers. *e não ao neto* usque ad finem, quod jam supra monuimus Not. ad §. XIX., superadditus fuit Emmanuelis Codici; et Legi Mentali, quippe quae de filio tantum, et non de nepote fuit loquuta. Femina non succedit, nisi hac lege specialiter soluta sit; sed dispensatio simpliciter, vel ad ejus vitam concessa, ei tantum prodest; quare filia nova dispensatione opus habet, Perer. *Decis.* 59. Clericus autem hujus successione adeo incapax est, ut Regiae Coronae bona nec de novo possit acquirere, in eisve parenti succedere, nec jam acquisita retinere, itaque Donatarius, si in sacris ordinetur, horum bonorum administratione ipso facto privatur, eaque statim ad filium seniore[m] legitimum et naturalem, eo vivo, deferuntur, Cabed. P. II. *Decis.* 27. Equites vero, matrimonio licet jure inhabiles; succedunt: diversum quippe est illorum et Clericorum institutum, neque praeterea natura bonorum, et legis ferendae ratio ullo modo obstat videntur.

*Horum bonorum alienatio prohibita.*

§. XXVII. Cum Regiae Coronae bona restitutioni sint obnoxia, eaque quodammodo et in dominio Coronae et Donatarii esse videantur, cui jus utendi fruendi, non libera administratio concessa, sequitur: 1) ut dividi non possint inter heredes, Ord. lib. 2. tit. 35. §. 3.: 2) ut clausula in contrarium literis donationis adposita non valeat, §. 17; bona tamen ab antiquo dividi solita aestimatione dividuntur, §. 27.: 3) nec a Donatario vendi. et alienari sine Regis licentia, ei licet hac cum facultate donata sint, §. 19. in princ. et vers. ult.: 4) ut Regi vendi possint, vel cum publicis aliis bonis permu-  
tari sine primogeniti consensu, §. 21., res enim facile revertitur ad suam naturam: 5) et filio quoque juniori sine illius consensu Regis auctoritate donari, §. 18., dummodo donatio non excedat dimidiam bonorum, quae Donatarius a Rege habet: 6) et in dotem similiter et arrhas Regis tantum permissu obligari, §. 20., cui jungenda Diplomata

17. Aug. 1761., 4. Febr. 1765. Literarum formulas, et clausulas, quibus haec licentia concedi solet, ex dicto §. 20. petitas exhibet Cabed. P. II. post. arrest. 106. pag. 202. 7) donationes inofficiosas, ex quibus praepjudicium non leve Regio Patrimonio resultat, quocumque tempore posse revocari; venditionem vero, vel alium quemvis contractum onerosum non nisi intra quatuor annos, vel quindecim, si laesio sit immoderata, et dimidiam justi pretii excedat, §. 23., Ord. lib. 4. tit. 13. §. 5.: 8) obligationes, et contractus super his bonis initos, Rege inconsulto, Donatarium tantum obligare, quare eisdem neque illius successores, neque Regia Corona tenetur, §. 25. verbis: *taes contratos não devião durar mais, que a mercê feita ao donatario.*

Alienatio bonorum Regiae Coronae tam in testamento, quam inter vivos, Rege non permittente, facta, quamvis Donatarius filium non habeat, qui in ea possit succedere, nulla est, isque ipso facto bonis privatur, quae in commissi poenam Regni Coronae cedunt, Ord. lib. 2. tit. 35. §. 19. vers. *E no caso.* Filio tamen juniore, non filiae (lex enim solum de filio loquitur) de Regis licentia donari possunt ad eum modum, qui habetur in §. 18. Contractus autem, ex quibus nec dominium, nec jus in re dominio proximum, sed obligatio dumtaxat, seu jus ad rem acquiritur, valent, sed vivo tantum Donatario; quod etiam eo casu intelligendum est, quo eidem bona in perpetuum, id est, *de jure e herdade*, conceduntur; namque bona, quae restitutioni sunt obnoxia, sine ullo onere restitui debent Quare Ord. lib. 2. tit. 35. §. 25. non solum de Regia Corona, de qua nominatim loquitur, sed de Donatario quoque successore intelligenda videtur.

### *Donationis hujus natura et indoles.*

§. XXVIII. Horum bonorum donatio non fit ex mera liberalitate, sed sub modo, et ad certum finem; quare natura sua semper est remuneratoria,

et respicit benemerita Donatarii, et illius successorum in perpetuum.

Cum Rex honorum publicorum dominus non sit, sed administrator, illud consequitur, ea pro arbitrio non posse donare. Quare haec donatio ut justa sit, benemerita omni tempore conveniant oportet; quae si abierint, nec a principio recte fieri potest, nec postea in prioris Donatarii heredibus conservari. Illud etiam consequens est, Donatarios, quamvis haec bona lege feudali donata non habeant, neque propterea personarum aliquibus oneribus subjiciantur, Ord. lib. 2. tit. 35. § 3.; tamen cum illorum causa Reipublicae, Regisque servitio aetiori vinculo adstricti videantur, teneri omnes pro modo et quantitate donationis publicae omnia munera vel propriis sumptibus et expensis obire, vel certe minoribus stipendiis militare, quam reliqui cives, qui similia bona non habent. Cabed. P. II. Decis. 29.

*Et modus.*

§. XXIX. Ea autem fit vel simpliciter, vel ad vitam Donatarii, quod re ipsa idem est, cum utroque casu illius morte finitur, vel ad libitum Regis Donatoris, id est, *em quanto for mercé nossa*, quae statim revocari potest; vel in perpetuum, quae dicitur *de juro e herdade*, in qua primogenitus ex masculino perpetuo vocatus censetur; vel ad duas, aut tres vitas, quibus finitis, extinguitur, vel ad filios demum, et descendentes Donatarii refertur, quae descendentes, et filios non omnes, sed primi tantum gradus comprehendit.

Hic sub nomine filiorum non intelliguntur nepotes, neque favor Coronae, quam lex praecipue intendit, hanc extensionem admittit. Heredum similiter, vel descendentium nomine primi tantum heredes et descendentes ex masculino intelliguntur, nisi contrarium ex donationis literis manifeste adpareat. Eadem ratione donatio concepta *por duas vidas*, *e mais* temporalis dicenda est, et secunda finita, si alia non concedatur, extinguitur, neque



neque verbum *é mais* donationem perpetuam reddit. Illud etiam certum est, quod cum, Donatario mortuo, jura omnia, quae ipse in Regiae Coronae bonis habebat, statim in illius legitimum successorem transeant, Extravag. 9. Novembr. 1754., eidem omnino pertinent illorum fructus exstantes, percepti et percipiendi: hoc tamen intelligendum est in donationibus perpetuis, vel ad vitam, quae adhuc superest, concessis; nam, ea finita, cum bona ex hac lege ad Regni Coronam, ex qua sunt profecta, revertantur, fructus in bonorum donatione, quae ex mera liberalitate fit, non continentur, si specialis eorum mentio facta non fuerit. Quae omnia ad legis sensum mentemque adcommodata in favorem Regii Patrimonii constituta esse videntur.

### *Legis Mentalis dispensationes.*

§. XXX. Cum in legis hujus dispensatione ea tantum remissa et dispensata intelligantur, quae ex dispensationis literis et verbis manifeste constant (privilegia enim ad exemplum trahi non debent; §. 6. Inst. *de Jur. Nat. Gent. et Civ.*, neque in eis locus est interpretationi extensivae), sequitur: 1) ut dispensatio ratione sexus non comprehendat defectum natalium: 2) ut donatio, sive dispensatio hac formula concepta: *Faço mercê dos bens da Corôa por uma, ou duas vidas fóra da Lei Mental*, abrogare tantum videatur legis illud caput, quo feminae et transversales succedere prohibentur: 3) ut praedicta clausula naturales et legitimated non veniant, quim hoc caput specialiter derogatum sit: 4) ut in specifica quoque feminae vocatione transversales non veniant: 5) ut Donatarius, cui facultas nominandi simpliciter et indefinite concessa fuit, nominare tantum possit descendentes ex masculis: itaque feminae et transversales eadem non continentur, nisi fuerint expresse vocati. Omitto plura alia exempla.

Princeps legibus a se latis non tenetur, Ord. lib. 2.  
11. 4

tit. 35. §. 21. verbia : *Porque nenhuma lei por o Rei feita o obriga, senão em quanto elle, fundado em razão e igualdade, quizer a ella sometter seu real poder. Bene igitur Rex hanc legem poterit abrogare, vel eidem derogare, obrogare, subrogare, ut Ulpiani verbis utar in Fragm. I 5. At verso illius derogatio, seu dispensatio semper erit striete, literaliterque ad legis ipsius mentem, et secundum materiam subjectam intelligenda; itaque ex conjecturia et argumentis induci non potest, neque de uno ad alium casum extendi. Et haec summa regula est, ex qua illud etiam inter alia consequitur, ut anni redditus, id est, *tenças*, cum Regiae Coronae bonis legi huic subjectis non adnumerentur, generali illorum donatione non contineantur, quod hodie decisum exstat Diplom. 17. April. 1789. §. 2. In donatione cum clausula, quae proximum transversalem nominare concedit, dubitari solet, an proximus possessori, an priori Donatario intelligatur? Ego hujus causam potiore existimo cum Valasc. *de jur. emphyt.* quaest. 44. n. 19. Scio equidem in majoratu ultimo possessori sanguine proximiorum vocari, Ord. lib. 4. tit. 100. §. 2.; sed in publicorum bonorum successione eorum in primis ratio habenda est, qui a primo Donatario minus distant: et hoc ipsum Reipublicae ipsius utilitas quodammodo postulare videtur.*

*Reversionis jus.*

§. XXXI. Eadem lege donatio semper intelligitur facta cum clausula reversionis. Quare bona ad Regni Coronam revertuntur, cessante quacumque de causa jure Donatari, vel casu veniente, quo successio ad ejusdem legis praescriptum locum habere non potest.

Reversionis jus legis hujus ferendae unicum fortasse fundamentum fuit, neque alia de causa Joannes I. Regias donationes limitavit et reduxit. Jus Donatarii, eo vivo, in poenam cessat, si Regiae Coronae bona is alienaverit, vel se in matrimonium dederit sine Regis licentia, Ord. lib. 2. tit. 35. §. 19., et tit. 37., Extravag. 23. Novembr. 1616., vel aliud simile in legem nostram commiserit. Nam ex delicto communi, cui privationis bonorum poena publicis legibus est imposita, bona Re-

giae Coronae propria non publicantur, cum non sint in dominio et proprietate Donatarii, eaque ad Regem quidem spectant non fiscali, sed reversionis jure speciali, etiam liberis exstantibus: Regis enim in his bonis, quae a Regni patrimonio sunt profecta, potior causa est, quam filiorum; contra vero in bonis patrimonialibus, in quibus filii fisco praeferuntur, Ord. lib. 2. tit. 26. §. 28. Sine culpa Donatarii ad Coronam Regni haec bona revertuntur, eo sine filiis, qui ei succedere possint, decedente; namque illorum successio in defectum primi geniti et masculorum ex illius linea, ad feminas vel masculos ex alia linea ex filio secundo genito descendentes non deferitur; et hoc notandum est.

*Confirmationum necessitas et divisio.*

§. XXXII. Necessitas confirmationum, quarum non una species est, eadem quoque lege continetur. Confirmatio alia dicitur et fit per *successionem*; alia *de Rey a Rey*; alia certis et definitis temporibus extra ordinem a Rege indicitur, et in Confirmationibus fit generalibus; alia in Comitibus quacumque de causa indictis, vel in solenni populorum Regis Adclamatione *in forma communi* siue ulla causae cognitione.

Confirmationis necessitas optime deducitur ex verbis et sententia legis, et ex fine praesertim, quem Joannes I. illius auctor in mente habuit. Confirmatio autem, cum jus Donatario quaesitum omnino supponat, solum adplicari potest donationibus perpetuis, vel ad vitas, quae adhuc durant, factis; eis namque extinctis, non confirmationi, sed novae donationi et gratiae locus relinquitur. Ea vero fit (et haec summa divisio est) vel *in forma communi*, quando nulla causae cognitio praecessit, quae nihil denuo addit, nec actum nullam validum efficit, Ord. lib. 2. tit. 45. §. 11. verbis: *nem confirmar o que já pelas Ordenações do regno era revogado, ou em outra maneira interpretado e limitado, remque in eodem, quo erat, statu relinquit; vel in forma specialia*, quae *specialis* dicitur, et causae cognitionem requirit, et eos effectus omnes operatur, qui illius ver-

his sunt contenti De hac speciali confirmatione loquitur Ord. lib. 2. tit. 45. §. 12. vers. *Porém.*

*Confirmatio per successionem.*

§. XXXIII. Confirmare donationem debet Donatarii filius, vel quicumque in bona Regiae Coronae vult succedere, intra sex menses ab antecessoris morte, sub poena praescripta Ord. lib. 2. tit. 38. §. 1., Emman. 18. eod.

Confirmationis hujus, quae in specie *per successionem* vocatur, sedes est citata Ord. lib. 2. tit. 38. §. 1., de qua intelligendum quoque Regium Diploma 16. Febr. 1574. apud Cabed. P. II. prope finem Arest. Quare qui in bona Regiae Coronae, quae pater habet, vult succedere, ante omnia probare debet illius filium legitimum esse, et natu majorem, eique jus successionis ad Legis Mentalis sensum competere: quae probatio olim fiebat coram iudice, quem *das justificações* dicebant, hodie in Consilio Regii Patrimonii, Const. 22. Decembr. 1761. Tit II., Dipl. 14. Octobr. 1766. Ea vero, quod jam supra monuimus (§. XXXII. not.), locum dumtaxat habet in donationibus perpetuis, vel ad vitas nondum extinctas concessis, quas dicimus *de juro e herdade, e em vidas*: confirmatione intra annum non petita, donatio in vita successoris nulla est ex dicta Ord. lib. 2. tit. 38. §. 1. in fin., quae in hac parte in usu non est; hanc enim poenam facile Reges nostri remittunt, teste Cabed. P. II. *Decis.* 4. n. 15., Peg. ad Ord. tom. X. cap. XXI. n. 259. Haec vero confirmatio, quae semper intelligi debet ad sensum donationis, quae eadem inferri solet, et ad Legis Mentalis modum, *in forma communi* ut plurimum expeditur; in illius enim concessione non de justitia donationis, sed de jure tantum successoris inquiritur: Regius tamen Coronae Procurator, et Palatii Curia clausulas insolitas in donatione, cujus confirmatio petitur, contentas, quae bono publico, et Regiae auctoritati adversantur, officio suo rejicere, Regemque ea de re consulere tenentur, Dipl. 14. Octobr. 1766., quo casu illius confirmatio in forma speciali dicenda est.

*Confirmatio de Rey a Rey.*

§. XXXIV. Confirmatio, quae a Rege in Regno succedente petitur, dicta *de Rey a Rey*, necessaria quoque est, et intra idem tempus, et sub eadem poena peti debet.

Confirmationis hujus dictae *de Rey a Rey* hoc nomine mentio non fit in Ordinationibus Regiis: ea tamen aliis verbis designatur, et subintelligitur multis in locis, in quibus illius etiam necessitas probatur, videlicet Ord. lib. 2. tit. 45. §. 1. verbis: *suas doações per nós confirmadas*; §. 2. in fin: *e per nós confirmado*; §§. 16. 19. 34.: *doações nossas, ou dos Reys nossos antecessores per nós confirmadas*; similia verba habentur tit. 48. §. 8. eod., et lib. 5. tit. 104. §. 1., et passim. Et hanc nimirum confirmationem exigere omnino videtur specialibus honorum Regiæ Coronæ naturæ, quæ cum restitutioni, et veluti fideicommisso sint obnoxia, illorum donatio non confirmata in vita tantum Regis donantis et Donarii valere potest: itaque confirmatio per successionem necessaria est, ut constet de jure successoris, hæc vero, ut constet de jure et voluntate Donatoris, et utraque expediri solet *in forma communi* sine causæ cognitione. Quapropter Joannes J. novas alias confirmationes, quas *generales* vocamus, indixit, ab iis distinguendas: eas tamen, de quibus in §pho sequenti, Scriptores vulgo confundunt, et noster etiam Georg. Cabed. P. II. *Decis.* 5. Tempus autem, quo confirmatio hæc petenda, in jure quoque expresse definitum non est; idem tamen adsignandum videtur, quod in confirmatione per successionem statutum exstat Ord. lib. 2. tit. 38. §. 1.

*Confirmatio specialis in Confirmationibus generalibus.*

§. XXXV. Solennior omnium illa confirmatio est, quæ fuerit habita in Confirmationibus generalibus, Regiarum donationum examinandarum, limitandarumve causa indictis; eaque originem suam Joanni II. debet.

Joannes II. in Comitibus Eboresibus 12. Novemb. 1487. apud Garc. Resend. Chron. cap. XXIX. inter alia statuit: *Que todas as pessoas, de qualquer estado e condição que fossem, assi Ecclesiasticos, como Seculares, e todos os Mosteiros, e Igrejas de seus Reynos, e todas as Cidades, Villas, e lugares dahi a certo tempo viessem offererer aos Officiaes deputados para suas confirmações todas doações, graças, privilegios, que tivessem, para lhes confirmar os que razão e justiça lhe parecesse: e não no cumprindo, que dahi em diante perdessem a graça de todo.* Jam vero quae fuerit causa harum confirmationum indicendarum, constat ex eodem Resendio loco citato, qui quidem diserte ibidem easdem distinguit ab iis, quae antea fieri solebant *in forma communi*, et sine ulla causae cognitione. Illarum necessitatem non solum agnovit Joannes II., *Perfectus* Princeps a nostris exterisque jure merito vocatus, sed agnoverunt etiam Sebastianus, Philippus II., Philippus IV., Joannes IV., qui generales Confirmationes indixerunt, et omnium maxime Josephus I. Regio Diplom. 6. Maii 1769., quo eis perliciendis triennium concessum: sed profecto tanti momenti res (nescio quo fato) nunquam ad finem usque producta fuit.

*Generalis, et in forma communi.*

§. XXXVI. *In forma communi* facta vel maxime dicenda est confirmatio in Comitibus generalibus, vel Regis publica Adclamatione habita, cum ipse Regni leges, consuetudines et privilegia jurejurando servare promittit.

Hae sunt generales confirmationes, de quibus loquitur Resendius Chron. Joannis II., quas ille nihili fere reputavit: expediebantur enim sine causae cognitione, quin iudicium aliquod et inquisitio circa modum, clausulas et circumstantias donationum praecederet; quibus idcirco substituit speciales confirmationes generali lege edicto-que omnibus Donatoriis indictas, de quibus supra, ab eo primum recte sapienterque inventas. Jam dudum Lusitaniae Regibus, cum a populo proclamantur, solenne erat jusjurandum dare de Regni in universum legibus et consuetudinibus servandis, nec minuendis Ecclesiarum Ec-

clesiasticorum, Nobilium, civitatum, et civium denique omnium juribus, privilegiis, exemptionibus et libertatibus, quae nos *foros* adpellamus; quod quidem hodie Regni Successores in perpetuum praestare jubentur Comitiorum lege a Joanne IV. lata anno 1642., quae non ideo *Fundamentalis* adpellanda, cum non populum universum, sed Regem auctorem habeat. Hoc autem ipsum jusjurandum est, ex quo confirmatio generalis *in forma communi* resultat, cui parum tribuendum; ea tamen pro confirmatione, quae dicitur *de Rey a Rey*, quodammodo haberi potest. Sed quae jurisjurandi hujus vis erit ac potestas? Quidam hic maximo conatu maximas nugae agunt; res vero in aperto est, leges scilicet, consuetudines, privilegia, libertates, quae bono publico quoquomodo adversari videntur, jurejurando non confirmari, neque Regem prohibitum easdem, si e Republica erit, tollere, abrogare, vel eisdem derogare. Imperantes porro et subditi communibus jurisjurandi legibus omnes utuntur, ex jure Naturali, et Christi Domini Evangelio deductis, iisque pariter tenentur, et jure pariterque soluti sunt. Quare jusjurandum hoc, et Fidelitatis, quod Rex et populus more institutoque majorum in solenni ejusdem Adclamatione praestare soleat, nihil quidem denuo addit, vel detrahit Imperantis subditorumque officio: cum enim natura sua actus adcessorius sit, novam obligationem non producit, sed antiquam confirmat. Jurisdictio autem omnis, majestas et imperium, quod Rex defunctus habebat, statim ab illius morte in legitimum successorem transit, quin opus sit publica aliqua proclamatione vel jurejurando, quod quidem pro implicita quadam electione haberi nullo modo potest (quae opinio eorum est, qui hodie Regna fere omnia electiva statuunt sive implicite, sive explicite, cui confutandae hic locus non est); sed pro instrumento quodam authentico et publico, ex quo novi Regis quasi possessio, et libera Regni administratio constat: quae tanta res multas utique caerimonias requirit, et magno apparatu peragenda videtur. Cabed. P. II. *Deris.* 8.

*Prorogatio temporis confirmationis petendae.*

§. XXXVII. Distinguendae autem omnino sunt confirmationis literae cujuscumque generis a Palatii

Curiae Diplomate , quod Donatario uti concedit intra annum , vel biennium jurisdictione , et reliquis juribus , quorum in quasi possessione est.

Hoc Palatii Curiae Diploma , cujus concepta verba exhibet Cabed. P. II. *Decis.* 6. , interdictum quoddam possessorium est , et recte vocatur *Alvará de manter em posse*. Illud autem in confirmatione quoque per successionem dicta locum habet , et fieri solet , eoque justa de causa prorogatur tempus eidem petendae definitum , Ord. lib. 2. tit. 38. §. 1.

*Jurisdictio Donatariorum restricta.*

§. XXXVIII. Lege autem nostra restricta in primis fuit jurisdictio Donatariorum , et haec praecipua illius fereudae causa. Ferdinandus speciali Ordinatione Comitibus Atoùguiensibus data 13. Septembr. ann. 1375. (Cod. Alph. lib. 2. tit. 63. §. 9.) jurisdictionis donationes omnes , paucis quibusdam exceptis , revocavit verbis : *E queremos , mandamos , e defendemos que nenhum outro , de qualquer estado , e condiçom que seja , afora as pessoas , que suso som nomeudas , o Prior do Esprital , e os Mestres das ordens da Cavallaria , e os d'Alcobaça , nom ajam nenhuma jurdiçom temporal , ou sagral , criminal , ou civil em nenhum lugar , nem sobre pessoas quaesquer dos nossos Regnos per nenhuma maneira , postoque lhes per nós , ou per nossos antecessores fosse , ou seja outorgada sob titulo de graça , nem per privilegio , nem per outra qualquer maneira , ou figura , salvo se lhes fosse dado em escaimbo por outro lugar , que a nós , ou a cada hum de nossos antecessores fosse dado , e o nós ajamos com semelhaven jurdiçom*. Hujus autem Ordinationis decidendi ratio his verbis , dignis profecto , quae hodie referantur , concepta est : *Ca de razom , e direito*



*natural, e civil parece sem duvida que a jurdiçom, per que mais conhecidos som, e demonstrados o poderio, e alteza do nosso Principado, que per Deos, e per lei Divina, e humanal he cometida aos Reis em sinal de mayor, e de mais alto senhorio, nom deve ser dada a outro, nem outro deve usar della no nosso Senhorio, nem nos nossos Regnos, senom nós, ou aqueles, a que nós mandarmos per nós e em nosso nome, ou a quem nós dermos logar, e poder por honrado estado, que tem de condiçom mais nobre, e mais alta a sob nós (§. XVIII.).*

Duo praesertim capita Lex Mentalis complectitur, quorum unum respicit jura utilia Donatariorum, quae emolumentum continent, aliud jura honorifica, id est, jurisdictionem et imperium. Joannes igitur I., qui in bonorum Regiae Coronae successione deferenda proxime sequutus fuit leges et consuetudines Feudorum, easdem fere quoad Dominorum jurisdictionem improbavit et rejecit. Nemo ignorat quanta maxima fuit Dominorum in Vassallos jurisdictionis patrimonialis, et quam multa Reges omni tempore tentarunt recta indirectaque via illius minuendae causa. Ad Lusitaniam nostram quod adinet, perfectum certe juris feudalis systema non fuit unquam apud nos receptum; illius namque progressui Principes nostri jam inde a Regni initio multis modis, de quibus in Not. ad §. XIII. Tit. I., obstarunt: itaque effectum est, ut nunquam obtineret. Hac in re speciali memoria digni sunt Alphonsus IV., Edicti perpetui auctor, cujus meminit Ord. lib. 2. tit. 45. §. 6.; Ferdinandus celeberrima lege Comitibus Atouguiensibus lata 13. Septembr. aer. 1413. ann. 1375., Codice Alphons. lib. 2. tit. 63. relata, cui jungendum ejusdem Regis Diplom. 9. Jul. aer. 1415. apud *Mon. Lus.* tom. VIII. lib. XXII. cap. 30., quorum mentio fit Ord. citata §§. 10. 14.; Joannes I. in nostra lege; Oduardus filius in illa, quam Obidis (Vimeiri?) dedit 2. Maii 1434. in Cod. Alphons. tit. 39. lib. 2., quae ex parte refertur Ord. Philipp. eod. lib. tit. 45. §. 37.; Alphonsus V. speciali Ordinatione illius Codice tit. 40.; et tandem Joannes II., qui novum homagii jusjurandum, quo etiam hodie utimur, adin-

venit, generales confirmationes introduxit et indixit, et Praetores in Dominorum oppida misit, qui Regiam auctoritatem et jurisdictionem tuerentur, illorumque excessus corrigerent, Garc. Resend. *Chron.* capp. 27. 28. 29. 32. Et ex his omnibus tamquam ex fonte derivatur prolixus in Philippino Codice tit. 45. lib. 2., Eman. 26. eod. Ferdinandus in praefata Ordinatione, qua jurisdictionis tam civilis, quam criminalis donationes abrogavit, exceptit 1) Reginam, Infantes, Comites, Equestrium Ordinum Magistros, Priorem Hospitalarium, Jacobatae Monasterium, Arium Gomesium Silvium, ejusdem Regis Signiferam, et D. Joannem, maris Praefectum: 2) jurisdictionem donationis titulo, permutationis, vel alio oneroso habitam verbis: *salvo se l'he fosse dado*, etc.: 3) eam jurisdictionem, quajam Donatarii sub Alphonso IV. utebantur, et quae ab eo generali Edicto confirmata fuit.

*Hac in re principia generalia.*

§. XXXIX. Qua quidem in re principia haec generalia tenenda.

1. Jurisdictio Donatariis concessa literalem tantum interpretationem recipit; itaque ex argumentis, et conjecturis, licet vehementibus, non inducitur, Ord. lib. 2. tit. 45. §. 1. verbis: *expresamente l'hes for outorgado*.

2. Jurisdictio, qua Domini oppidorum nostra in civitate utuntur, feudalis non est, sed Regia, et Regis tantum nomine, a quo pendet et derivatur, exercetur.

3. Illud quidem et nostri, et Juris Publici Universalis principium est, ea scilicet privilegia Donatariis nequaquam concessa videri, quae cum Regia potestate ita conjuncta sunt, ut ab ea vel nullo modo, vel salva Regia Dignitate, separari non possint; similis itaque donatio nullius prorsus momenti est. Jurisdictio similiter tanta dari non potest, Ord. lib. 2. tit. 45. in princ. vers. ult.

4. Hoc etiam generaliter tenendum, jurisdictionem a Ferdinando Rege restrictam, vel abrogatam Ordinatione saepius citata anno 1375., hodie exerceri tantum posse et suscitari virtute novae donationis, qua illius mentio fiat cum expressa derogatione; non enim satis est confirmatio posterior generalis, quibuscumque verbis et clausulis derogatoriis concepta, ut ex ea jurisdictio et privilegia praefata Ordinatione limitata denuo data, vel confirmata videantur, Ord. lib. 2. tit. 45. §. 11.

5. Denique animadvertendum clausulam donationum: *Que as tenham quomo as tinham, e haviao aquelles, cujas antes forão*, singularia ea jura non comprehendere, quae eisdem speciali ratione sanguinis, vel amicitiae fuerunt concessa, illorum expressa mentione non facta, §. 12. eod. lib. et tit.

Ex primo principio illud inter alia consequitur: 1) literis donationis, quibus loci dominium conceditur, datam non videri ejusdem loci jurisdictionem, cujus expressa mentio facta non fuit: datus tamen videtur Domini Oppidorum titulus honorificus, qui a dominio concessio vix separari potest: 2) jurisdictionis donatione non contineri facultatem iudices loci creandi, eligendive, vel Officiales, eadem non contentam; sed potestatem lites in secunda instantia, et adpellationis causa decidendi ad legis hujus et Regiarum Ordinationum praescriptum. Omitto alia exempla in re adeo nota.

Ex secundo vero, jurisdictionem Dominorum propriam illorum non esse, sed a Rege tantum haberi, in quo vel maxime differunt jurisdictio Feudalis, et Regia. Heinec. *Elem. Jur. German.* lib. III tit. 1., et Exercit. *de origine atque indole jurisdictionis patrimonialis.* Ex quo uno sequitur, ut Regis dumtaxat nomine, et ad illius arbitrium exerceatur, et ut ab eo limitari possit, restringi, vel abrogari, cetera, quae ex hoc principio sua sponte fluunt, quae facile unusquisque animadvertere potest. Quare verba *meri et mixti imperii* ex jure Romano, et *altae et bassae jurisdictionis* ex Feudali

petita, quae in perantiquis praesertim donationibus scripta inveniuntur, ad legis nostrae mentem omnino interpretari debent, quasi nihil fere aliud hodie significant praeter simplicem jurisdictionis donationem (Inst. Jur. Crim. Tit. XII. §. XII. Not.). Cetera nulla indigent explanatione.

*Quae res expresse donari non possunt.*

§. XI. Quibus consequens est 1) jura belli ac pacis, tributorum, cetera, quae majora dicuntur, et ab Imperante vix abesse possunt, non recte donari: 2) Regem loca *honorata*, et donata posse pro libito invisere, visitare, corrigere: 3) licitum non esse Donatoriis ad Regem, vel ad Regis Curiam provocationem, vel querelas impedire, Ord. lib. 2. tit. 45. §§. 26. 27. 28.: 4) novas exactiones et tributa imperare, Ord. lib. 2. tit. 49.: 5) pensiones annuas, et redditus quoscumque quacumque ratione augere, Ord. lib. 2. tit. 45. §§. 34. 35. 36., et lib. 1. tit. 66. §. 14.: 6) res cibarias, vehicula, jumenta, habitationem, dominis invitis, habere, vel a Vassallis munus, nisi levissimum, adipere, Ord. lib. 2. tit. 49. §§. 1. 2. 3. 4., et tit. 50., Emman. 36., et lib. 5. tit. 69., Alphons. titt. 61. 62. lib. 2.: 7) exterarum mercium portorium, *Portagem*, et illud vectigalis genus, quod pro rerum venditionibus solvitur, id est, *Sisas*, *Alfundegas*, *Terças*, exigere, Ord. lib. 2. tit. 28. §§. 1. 2.: 8) Ecclesiae, vel Monasterii, cujus sunt patroni, hospitio uti, invito Abbate, Ord. lib. 2. tit. 21.: 9) subditos immunes praestare a Civilis Concilii muneribus, Reginam et Principem si excipiamus, Ord. lib. 2. tit. 45. §. 37., deducta ex Oduardi Regis lege 2. Maii 1434.: 10) crimina condonare, perditae famae damna sarcire, rescriptum emancipationis, vel moratorias literas debitoribus concedere, Ord. lib. 2. tit. 45. §. 40.: 11) aetatis veniam, donationum insinuationes, literas *tuitivas*, vel rei judicatae revisiones (Inst. Lib. IV. Tit. XXIII. §. XXVIII. Not.),

quas *Revistas* adpellamus, concedere, §. 40. verbis : *nem alguma outra carta graciosa, que contenha em si graça e mercê geral, ou special*: 12) Doctores creare, §. 40. : 13) plebeium hominem nobilem, vel equitem facere, §§. 33. 38., L. 4. Maii 1305. a Dionysio Rege Scalabi lata: 14) non legitimum legitimis natalibus restituere, §. 40. : 15) iudicis Ordinarii, Decurionis, Civilisve Concilii Procuratoris electioni interesse, eidemve quovis modo obstare, §§. 2. 13. : 16) Tabelliones, Scribas vel denuo, vel ad tempus creare, vel suo arbitrio ab officio remove, vel alieni officii functionem alicui dare, §§. 23. 24. 25., et lib. 1. tit. 97. §. 7. in fin.

Haec jura fere omnia ne expresse quidem donari possunt, neque profecto jam in usu erant sub Joanne I. Nam Alphonsi III., Dionysii, et aliorum legibus jam dudum Donatoriis prohibitum erat nobilitatis literas, et privilegia quaecumque concedere, civilium munerum vacationem, excusationem, et publicarum generaliumque legum dispensationes dare, novas exactiones imperare, vel exigere, vel antiquas augere; a Vassallis munera, nisi levissima, petere, vel etiam oblata recipere; cibaria, vehicula, jumenta, hospitiumve per vim, et propria auctoritate extorquere. Quamvis enim Domini haec et similia jura ambirent, et in primis jus hospitii, Lusitane *apostatadoria*, quod a jure Feudali et Romano derivabant, tit. 41. *de metatis et epidemeticis* lib. 12. C., Novell. 130. cap. 9.; tamen in Lusitania, si illud unquam obtinuit, revocatum tandem fuit Dionysii lege in Cod. Alphons. lib. 2. tit. 61. 62., ex parte relata Ordinatione, qua utimur, eod. lib. tit. 49. §. 5., Emman. 69. lib. 5. §. ult.: quippe jus hoc, cum Dominorum juri et proprietati multum adversetur, iis dumtaxat concessum erat, qui Regem, vel Regis Curiam ex officio sectabantur, vel Regis Magistratibus, eorumve Officialibus commodam aliam habitationem non habentibus, Ord. lib. 1. tit. 1. §. 47., et tit. 24. §. 38., Regim. 7. Septembr. 1590. tom. 4. Nov. Regimin. Regal. Collect. per Joseph. Robert. Monter. Itaque Domini oppidorum qua tales hospitii jure non fruebantur; eo autem gaudebant qua Regis Officiales, eisque, et illorum dome-

sticis necessariis recipiendis publica ab initio hospitia Olisipone, et in Regni quibusdam oppidis constituta erant, quae *Estaos* vocabant, Diplom. 13. Octobr. ann. 1499. apud Brigantinae Domus scrinia, Oduard. Non. Chron. Alphons. V. cap. 8., Castr. Mapp. Portug. tom. III. pag. 319. *Tertia* omnino saecularis ex bonis Civilis Concilii deducta, quae pro muris reficiendis adplicatur, donari non potest, Ord. lib. 1. tit. 70. §. 3., et lib. 2. tit. 28. §. 2., Emman. tit. 45. §§. 6. 7. eod: *Tertia* vero decimalis origine sua ecclesiastica, quae diversam habet adplicationem, Regium jus est, et expresse potest donari, Cabed. P. II. *Decis.* 63. Jus revisiones sententiarum concedendi etiam expresse datum non valet, Diplomatt. Sebastiani Regis ann. 1576. 1577. apud Cabed. P. II. *Decis.* 67.; hoc autem jure aliquando usi fuerunt Archiepiscopi Bracarense. Officio etiam suo manifeste abutuntur, et Regiam jurisdictionem usurpant Episcopi, qui tempus ad adpellandum, vel ad prosequendam adpellationem publicis legibus definitum prorogare audent; jurisdictione namque civili et contentiosa tantum gaudent qua Regiae Coronae Donatarii, quibus interdictum est literas quasennique *gratiae*, ut vocant, speciales, vel generales dare, Ord. lib. 2. tit. 45. §. 40. Illud vero jus a Regni initio jam constitutum exstat, quod scilicet iudices Ordinarii, Decuriones, ceterique Civilis Concilii Officiales a probis tantum loci hominibus eligerentur, quod quidem civicum jus recte *foro* vocatur, Ord. lib. 1. tit. 67. §. 5., et a Regibus nostris non solum humanitatis causa, et in favorem libertatis populorum (quod satis superque erat), sed quadam etiam politica ratione introductum, vel liberaliter concessum, ut hac etiam indirecta via Dominorum potestati obstarent; itaque vix eisdem datum electionibus adesse, et concessa facultas Officiales hos eligendi, vel confirmandi, Ord. lib. 1. tit. 66. §. 30., tit. 67. §§. 11. 12., Emman. tit. 45. 46., Alphons. 28., et lib. 2. tit. 45. §§. 2. 13. Ad Officiorum autem donationes quoad adinet, cum hoc jure Donatarii sub Joanne I. maxime abuterentur, ab eodem Ordinationes antiquae denuo veluti firmatae sunt, non nullis additis, quae habentur Ordinatione, qua utimur, lib. 2. tit. 45. §. 15. usque ad §. 33.: itaque inter alia constitutum fuit, 1) ut non possent Donatarii Tabellionis, Scribaeve officium creare, §§. 15. 25.: 2) aedilitia, vel Scribae Senatus Officia, cetera, quae ad illius regimen spectant, dare, Ord. lib. tit. 2.

46. : 3) pecuniam ob officii donationem adicipere, ead. Ord., l. unic. D. *ad leg. Jul. de ambit.* : 4) Officia vendere, quemadmodum nec Officiales inter se, ead. Ord. : 5) Officiorum renuntiationes simpliciter, vel alicujus in favorem adceptare, vel ad ea vendenda, renuntiandave licentiam, vel literas, quas *Expectativas* vocant, concedere, Ord. lib. 1. tit. 80. §. 20., et tit. 96. : alienatio namque honorum Regiæ Coronæ, qualia officia publica dicuntur *Novella Constit. 23. Novembr. 1770.*, sine Regis licentia nulla est ex lege nostra, Ord. lib. 2. tit. 35. §. 3., et passim : 6) ut, etiam eadem obtenta, nullius momenti sit renuntiatio Officialis infirmi intra triginta dies decedentis, Ord. lib. 1. tit. 96. §. 1., Alphons. lib. 4. tit. 8. et 23., deducta ferme ex regula de *infirmis resignantibus* in Decretalibus : 7) Officia ad tempus dare, Ord. lib. 2. tit. 45. §. 23. : 8) Officiales suo arbitrio ab officio remove, §. 23. : 9) Officii functionem alicui concedere, §. 24., et lib. 1. tit. 96. §. 7. in fine : 10) Officiali regimen diversum ab eo dare, quod in Cancellaria a Regni Cancellario Maximo dari solet, Ord. lib. 2. tit. 45. §. 21., cet. Illud hic notandum, quod Officia ab Indiæ, vel Brasiliæ Proregibus data, cum jurisdictione ad tempus habeant, illorum morte et officio finito, exstingui, nisi a Rege sint confirmata, Cæd. P. II. *Decis. 21.* Aliud dicendum de Insularum ducibus, quorum mentio fit Ord. lib. 2. tit. 49. in princ. ; jurisdictione namque perpetua utuntur, et veri Donatarii sunt, ut jam alibi monuimus (§. XXII. Not. h. t.) ; itaque officia ab eis data perpetua censi debent.

*De correctionis, ut ajunt, jure.*

§. XLL. Correctio suprema, id est, jus Minorum oppida quandocumque visitandi, eorumque Officiales et Administros corrigendi, cetera huic similia, ne expresse quidem donari potest, Ord. lib. 2. tit. 45. §. 8. in princ. : simplex autem correctio, id est, donatio eorum jurium, quæ sub hoc nomine continentur, et Praetori provinciae, quem *Corregedor* dicimus, tribuuntur, a Ferdinandi Regis morte expresse facta, concessa et confirmata, valet, §. 10. ead. Ord.

Frustra quaestio movetur de correctione majori, seu de imperio et majestate, vel exemptione a potestate civili, quae ab Imperante nunquam abesse potest: sed de minori, id est, de juribus, quae provinciae praetori competunt, et concedi solent, qualia sunt inter alia jus de gravaminibus et actionibus, quas *novas* adpellant, per querelam, denuntiationem, vel ex officio cognoscendi, securitatis literas concedendi, cetera, quae majori huic Magistratui illius regimine specialiter conceduntur, Ord. lib. 1. tit. 58., quae omnia certe a Rege, magnam tamen ob causam, et non nisi de Republica praeclare meritis donari possunt. Et quidem his, et similibus juribus, quae sub *minoris correctionis* nomine veniant, Donatarii fere omnes initio utebantur; eaque sibi competere dicebant vel jure proprio, et qua Domini oppidorum, vel quia expresse eis fuerant donata, vel quia in donationis literis et clausulis tacite continebantur, vel quia tandem in illius usu, et quasi possessione erant. Alphonsus IV. et praecipue Ferdinandus Rex correctionis usum omnino Donatariis interdixit, et illius donationes etiam expressas revocavit saepius memorata Constitutione 13. Septembr. ann. 1375. (Ord. Alphons. lib. 2. tit. 63. §§. 11. et 12.) verbis: *Porem mandamos, e defendemos que nenhum de qualquer, ou tamanho estado, ou condiçom que seja, nom haja, nem use per si, nem per outrem de correçam, nem ponha Corregedor pera correger per si em nenhum lugar, nem sobre nenhuma, ou quaesquer pessoas dos nossos Regnos, nom embargando qualquer privilegio, ou doaçam, ou composiçam, per que lhe fosse, ou seja outorgado, nem uso qualquer novo, ou antigo, que della usasse. Ca nenhum outro nos nossos Regnos nom na pode haver, nem usar della, senom nós, e os nossos Meyrinhos, e Corregedores . . . Mandamos aos nossos Meyrinhos, Corregedores . . . que duas vezes no anno no menos entrem nas villas, e terras, e lugares, que quaesquer pessoas tem, em que ham, ou usam alguma juridiçam.* Revocavit igitur Ferdinandus hac Ordinatione correctionis concessionem etiam per permutationem, vel contractum onerosum habitam, ut patet ex verbis *doaçam, ou composiçam*. Quamvis enim Rex in contractibus jure privatorum utatur, quod certum quidem est, cum de bonis patrimonialibus disponit; tamen in publicis, Regiae Coronae, et jurisdictionalibus diverso jure utitur; itaque jure poterit contractum inofficiosum rescindere,

ab



ab eoque ; si e Republica erit , discedere ; et hoc jure utimur. Cabed. P. II. *Decis.* 38. n. 6. Ferdinandi hanc legem providentissimam firmarunt Joannes I. , Oduardus , Alphonsus V. , qui eandem egregie laudat , et sine ullâ exceptione probat lib. 2. tit. 63. , et Joannes II. Comitii Eborensibus 12. Novembr. 1481. , Resend. *Chron.* cap. 29. et 32. Eadem quoque refertur et adprobatur Emmanuelis Codice lib. 2. tit. 26. §. 15. , ex quo descripta fuit Ord. Philipp. eod. lib. tit. 45. §§. 8. 10. 11. , una tantum exceptione addita , quae , licet adposita non fuisset , tacite subintelligeretur , videlicet si correctionis jus denuo sit donatum , et quidem expressis verbis , quae aliter intelligi non possint : donatio nova hoc loco dicitur , quae a Ferdinandi Regis morte facta fuerit , vel si antiqua donatio , ab eodem praefata lege revocata , a Rege in *forma specifica* confirmetur cum expressa derogatione antiquarum Ordinationum , et dictae in primis Ferdinandinae legis ; de quibus omnibus literae speciales et titulus non confirmationis , sed novae donationis expediri debet. Hoc autem correctionis jus , mea quidem sententiâ , in quâ semper fui , non differt ab eo jure , quod nos Lusitane dicimus *de não entrarem os Corregedores nas suas terras* , neque in Ord. lib. 2. tit. 45. §. 10. vers. *Porque* , Emman. tit. 26. §. 15. , tamquam diversa proponuntur , sed majoris explicationis gratia : utcumque autem se res habeat , quod modo disputare otium non est , jura haec , sive idem prorsus significant , sive in aliquo differant , vix ac ne vix quidem concedenda , neque de iis jam quaerendum post Nov. 19. Jul. 1790.

*Quae res expresse donari possunt.*

§. XLII. Quaedam tamen sunt , quae expresse quidem data valent et donari solent. Jure ergo possunt Donatarii , si donationis literis ita diserte cautum sit , 1) Tabellionum Scribarumque officia vacantia perpetuo concedere , Ord. lib. 2. tit. 45. §§. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 25. ; secus vendere , vel creare , §§. 15. 25. , et tit. 46. eod. lib. : 2) judices a loci Senatu electos confirmare , §§. 2. 19. : 3) Auditores nominare , qui tamen ad Senatus-consulti modum , id est , *por Acordão* , jus dicere

prohibentur, §. 4. : 4) Auditori adparitorem unum tantum pro universa provincia adsignare, quod de eo solum Donatario intelligitur, cui correctionis jus concessum fuerit, §. 14. : 5) Tabelliones propriis literis creare, seu nominare, qui statim suum munus exercent, quin Patatij Curiae examen, vel confirmatio praecedat, §. 14. : 6) Regimina eisdem dare, Regni Ordinationibus haud contraria, §. 21. : 7) Tabelliones, et reliquos Officiales, qui ab eis nominentur, constituere, §. 20. : 8) anri, argenteive fodinas habere, et nova piscationum jura, Ord. lib. 2. tit. 28. in princ., contra vero antiqua, tit. 26. §. 14. : 9) a Religiosis Domibus cibaria capere, tit. 21. in fin. : cetera hujus generis, quae referre otium non est, et bene ex dictis intelliguntur. Vid. §. LXVI. h. tit.

#### *Auditorum jurisdictio.*

§. XLIII. Auditores eadem, qua Donatarii, jurisdictione utuntur, Ord. lib. 2. tit. 45. §. 43., quam in oppidis tantum Dominorum exercere valent, §. 41.; ea tamen ultra tres annos non extenditur, neque tacite prorogata videtur; iis quippe finitis, omnino extinguitur, §§. 41. 42. Notionem nullam habent de actionibus, quas *novas* dicimus, neque de delictis per viam querelae, denuntiationis, vel ex officio, §. 50., quod provinciae Praetoribus conceditur, Ord. lib. 1. tit. 58. §§. 22. 23. De gravaminibus similiter non cognoscunt, sed de adpellationibus tantum, lib. 2. tit. 45. §§. 41. 47-48. (Inst. Lib. IV. Tit. XXIII. §. X.). Non possunt quoque securitatis literas concedere; et ab eis demum adpellatio, vel gravamen ad loci Senatium, seu Curiam interponitur, §. 45.

Auditores jure nostro dicuntur certi Magistratus a Donatariis constituti, qui Praesidibus provinciarum adfines

multum sunt, sed jurisdictione et auctoritate longe inferiores. Vocabula namque *Corregedor*, *correição*; *corregir* adeo Regiam jurisdictionem spirant, ut Rex ipse, cum Provinciales Magistratus in Brasilia statuit, cum id jure Magni Ordinum Magistri faciat, eosdem Auditores nominet; non Praetores, seu *Corregedores*. Ceterum Auditores a Rege constituti regimine Praesidis provinciae fere utuntur, Ord. lib. 1. tit. 59. Tenentur autem omnino Auditores Curiae Regis, vel Praesidis provinciae mandatis, seu literis decretalibus obtemperare, Ord. lib. 2. tit. 45. §. 5.; nam deprecari solum tenentur judices inferiores, vel aequales. Cabed. P. II. *Decis.* 40. n. 10. Ea vero fere omnia, quae in Ord. lib. 2. tit. 45. de Auditoribus habentur, ex Ferdinandi saepius citata lege, Atouguiensibus Comitibus lata, deducta sunt. Hodie Nov. 19. Jul. 1790. Auditores omnes sunt aboliti, et majoribus Donatariis eadem relatis conceditur Praetores in suis oppidis facere.

### De Donatariis Ecclesiasticis.

§. XLIV. Haec autem omnia, quae de donationibus Regis, earumque confirmandarum necessitate, et de lege denique Mentali diximus, Donatariis Ecclesiasticis omnino applicari debent, qui eidem legi pariter ac Laici subjecti sunt, neque hanc in rem aliquo utuntur privilegio.

Regiae Coronae bona Ecclesiasticis, vel Ecclesiae relicta pristinam naturam non amittunt, neque Regalia esse desinunt; itaque in eis locum habet lex Mentalis; namque Joannes I., illius auctor, Donatarios Ecclesiasticos neque verbis excepit (quod necessarium esset), neque mente. Et quantum qualesque detrimentum Regio Patrimonio non sequeretur, ejus declinandi gratia lex ipsa mente concepta fuit, si liberalitates de publicis bonis in Ecclesias collatae perpetuae essent, irrevocabiles, et eidem legi non subjectae? Et si ex legis mente Ecclesiastici non succedunt in bona Regiae Coronae sine expressa Regis licentia, Ord. lib. 2. tit. 35. §. 10., neque Ecclesiae, Monasteria, et alia corpora, quae *manus mortuas* dicunt, bona quaecumque sine eadem licentia habere possunt, Ord. lib. 2. tit. 18., quomodo sine lege

speciali privilegio, et dispensatione Lege Mentali soluti dicendi sunt? Hoc autem privilegium non adparet, neque concessum unquam fuit, neque, si dicendum quod res est, concedi quidem potest, obtinente publica utilitate. Quod autem Joannes I. Religiosas Domos legi suae subjecerit, et cas vel maxime, testatur noster Faria Sousa *Europ. Portug.* tom. II. p. 3. cap. 1. p. 304.: risu vero excipiendum est, et fabulam sapit, quod de adparitione Regis Alphonsi Henrici idem Faria ibidem tradit. Bona ergo Regalia, et jura omnia, quae a Rege habent Monasteria, Ecclesiae, eorumque Episcopi, Abbates, Rectores, beneficio Regis habent, eisque utuntur tamquam Regiae Coronae Donatarii, id est, non suo, sed Regis nomine et jure; quod de patronatu Regio diserte constitutum est Regio Diplomate 17. Novembr. 1617. apud Osor. *de Patron.* Resolut. 30. n. 5. (Inst. Lib. I. Tit. V. §. XLIV. Not.): adeoque legibus omnibus specialibus his bonis datis prorsus sunt obnoxii, et hoc vel maxime probat Joannis II. Edictum Comitibus Eborensibus anno 1481., quo Donatarii Ecclesiastici ad generales confirmationes sunt vocati; injustum namque illud esset, si bona Regia Ecclesiis donata in earum perfecto dominio essent ac patrimonio. Et hoc jure utimur: vapulat ergo hodie opinio Cabedi, Osorii, Pereriae, et aliorum apud Peg. tom. X. ad Ord. cap. 35. n. 8. et seq., existimantium Regia bona Ecclesiis data *ecclesiasticari*. Ego vero, quamvis donationes de Regiae Coronae bonis in Donatarios Ecclesiasticos collatas Legi Mentali et similibus omnino subjectas esse, et a Rege aequae ac donationes Laicis factas revocari posse, vel limitari, si ita e Republica fuerit, existimem; hanc facultatem tantum intelligerem de bonis immoderatis, et in primis de jurisdictionalibus; nam moderata, redditus, proventus et jura, quae emolumentum continent, et necessaria sunt Ecclesiarum Ecclesiasticorumque sustentationi, decori et ornamento, vix ac ne vix quidem, non dicam jam revocari, sed ne limitari quidem possunt. Aliud dicendum de jurisdictionalibus, quae e contrario vix toleranda. Nam Episcopi licet ad saeculum usque XIV. bello mererent, et milites propriis expensis alerent (idem de Monachis dicendum), et propterea novis possessionibus bello adqnisitis, juribus Regalibus, Feudalibus, vel quasi a Rege donarentur; haec antiqua servitia jam dudum remunerata sunt, et hodie cessant; nova autem non adparent, neque adlegantur, sine quibus jura Re-

galia praetendere potest nemo, §. 12. Regiminis, dicti *das Mercés*, 19. Jan. 1671., Decret. 26. Febr. 1678. Neque praeterea Ecclesiastici implicari debent negotiis saecularibus, cum nihil magis a sanctissimae Ecclesiae votis abhorreat, quam imperium et jurisdictio temporalis, quae conjuncta praesertim cum ecclesiastica, quam Praelati jure proprio exercent, maximis non semel violentiis et perturbationibus occasionem dedit, quibus extinguendis remedium tandem aliquando adveniendum est. Sed haec alii videant, ad quos hujus rei cura, vel officium spectat; nobis enim et bonis civibus privatae tantum lamentationes et querelae pro solatio relinquuntur. Illud vero certum est, Donatarios Ecclesiasticos neque per se, neque per Auditores Ecclesiasticos jurisdictionem hanc temporalem posse exercere, tenentur enim Saeculares nominare, Ord. lib. 2. tit. 45. §. 44. Illorum autem jurisdictio, et in primis Archiepiscopi Bracarensis, qui eminent inter omnes, et caput effert, multum quidem coangustata fuit Nov. Const. 19. Julii 1790., de qua infra (§. LXVI.).

### *De Magno Ordinum Equestrum Magistro.*

§. XLV. Magnus Equestrum Ordinum Magister in eis, quae Regum liberalitate sacris Regni Militiis adcesserunt, Donatarius Regiae Coronae est: sed tamen speciali jure utitur; nam Militiarum bona (exceptis jurisdictionalibus, Resolut. 17. Aug. 1770.) non lege nostra, sed propriis legibus et Definitionibus gubernantur (§. XXIV.).

Militia Christi, a Joanne XXII. sub Dionysio Rege ann. 1319. instituta; Divi Jacobi, sub eodem a Nicolao IV. ab Hispana segregata anno 1290.; et Avisiensis, sub Alphonso I. jam cognita, sub Magni quaeque sui Magistri regimine et amplissima jurisdictione est, qui fratres cum Equites, tum Clericos, ceteros Militiae subjectos, ad Definitionum tamen generalium praescriptum, regere debet, et libere de Militiarum bonis disponere, immobilium alienatione excepta, ex §. 3. Bullae Joannis XXII., quae incipit: *Ad ea*, apud Sous. tom. I. Probat. N. 5. p. 80. Et hoc jure usus est Aegidius Martinus, primus Christi Ordinis Magister, Ordinat. 11.

Jun. aer. 1359., et Joannes Laurentius, ejusdem Ordinis secundus Magister, alia Ordinatus. 16. Aug. aer. 1364. data apud Carvalium *de Ordinib.* Equcl. 3. Comprobat. 3. pag. 456. cum seqq. Reges nostri, omnium Militiarum Magistri perpetuo facti Julii III. Bulla notissima 4. Jun. 1551., in antiquorum Magistrorum jura successerunt, et in Militiis ea omnia, quae eis concessa erant, facere possunt, salva semper earum substantia, et immobilium honorum, et mobilium magni momenti alienatione: illorum quippe veri domini non sunt, sed Administratores; et haec summa est jurisdictionis, quae eisdem qua Ordinum Magistris competit ex dicta Bulla Julii III. et Definitionibus Avisiensibus tit. 3. cap. 4. De eorum potestate qua Reges, et Summi Imperantes hic non quaerimus. In Civitate Magistri Ordinum proximum post Duces locum obtinent, et Marchionibus Comitibusque praecedunt: nam ante eos, et primo loco collocantur, Ord. lib. 2. tit. 45. §§. 1. 5. et 34. Eadem ratione Archiepiscopis quoque in Civitate praecedunt, Ord. lib. 1. tit. 91. §§. 24. 25., *Perer. de Man. Reg.* cap. LV. n. 3.

### *De illorum bonis.*

§. XLVI. Inter Militiarum bona numerantur Beneficia, patronatus, jurisdictio ecclesiastica, et temporalis, cetera, quae ab ea dependent, quae recensere necessum non est.

Beneficia Ordinum Militarium ea quidem ratione regularia dicuntur, quia Militibus tantum professis dari possunt, et hoc modo in eis locum habet regula *regulatio Regularibus*, deducta ex cap. 5. et 32. vers. *Prohibemus, de praebend.* in 6., Trid. Sess. XIV. *de reformat.* cap. 16., Avisiens. Definit. 21. tit. 5. Non subjiciuntur tamen reservationibus, ceteris, quae denuo a Tridentino statuta sunt; et ita Sebastianus Rex declaravit his verbis: *El Rei D. Sebastião, que Deos tem, como Governador, e perpetuo Administrador das Ordens Militares deste Reino, precedendo o parecer de hũa Junta de Estrados, que mandou fazer em Evora no anno de 1573., assentou que o Concilio Tridentino não derogava os privilegios das Milicias, e que por tanto se não aceitava a respeito dellas em quanto*

*parecia derogal-os*, apud *Carral. de Ordinib. Encl. 3.* Comprobat. 2. n. 42. pag. 420., *Avisiens. Definit. 52.* tit. 5., *Christi tit. 11. §. 1. pag. 204.* Illorum patronatus ad Magistrum libere spectat, quia ea libere, et sine concursu potest providere ex dicta *Avis. Definit. 21.* tit. 5. Quia vero omnis patronatus in dubio laicus est, *Francisc. de Roye cap. VI., Lepen. Jur. Eccles. Univers. P. III. sect. 3. tit. 8. cap. 2. n. 1.,* laicos maxime censeri debet Ordinum patronatus, quem Magni Magistris jure veluti belli suavi fecerunt, cum Saracenorum oppida, quibus adnexus erat, occuparunt, vel postea piorum hominum, et Regum in primis largitionibus adquisiverunt: et huc vel maxime spectant donationes insularum, quas dicimus, *da Madeira, Porto Santo,* et *Deserta*, et aliarum quaesitarum dominationum, Christi Militiae factae ab *Odmaro Rege 26. Octobr. 1434., Alphonso V. 20. Maii 1439., 7. Jun. 1454.* apud *Sous. tom. I. Probat. Nn. 25. 26. 29. pag. 444., Portug. de donationibus lib. 3. cap. 8. a nra. 89., Leit. Tract. Analyt. demonstrat. 6. pag. 391., Collect. Bullar. patronatus Regiae Coronae typis Olisipone data ann. 1707.* Is tamen patronatus Regius non est, nisi constet quod fuisset a Rege donatus, posteaquam Regiae Coronae unitus erat et incorporatus, *Ord. lib. 2. tit. 35. §. 22., et tit. 36.* Jurisdictio ecclesiastica proprio talis, spiritualis scilicet et ad negotia mere spiritualia pertinens, Ordinum Magistris haud competit: laici enim illius capaces non sunt non solum *in actu*, sed nec etiam *in habitu*; et nihil facio in re, de qua agimus, Scholasticas has distinctiones. Quapropter Summorum Pontificum Bullae, et Definitiones Statutaque Militiarum, quae similem jurisdictionem concedere videntur, intelligenda sunt vel de jurisdictione Regulari, seu Praelatitia, quae certe Magistris competit, vel de juribus quibusdam ecclesiasticis, quae in laicum Ecclesiae beneficio et concessione cadere possunt, quale inter alia est jus nominandi personam Ecclesiasticam, quae in oppidis Ordini pleno jure subjectis jurisdictionem spiritalem exerceat. Mitto alia jura ecclesiastica, quae Regni Militis, earumque Equitibus et Clericis adtribuntur; et huc in primis spectant quaestiones de illorum exemptione (quam nullo modo defendere intendo, vel impugnare) a potestate Ecclesiastica Ordinaria, quae hodie etiam non sine magno calore agitantur; esse autem fere omnes pendeat a decisione, et majori explicatione veratissimae quaestionis, de qualitate scilicet jurisdic-

nis, quae competit Magno Magistro, Ordinum Magistratibus, Conscientiae Curiae, ut vocant, Deputatis, Administratori jurisdictionis Ecclesiasticae Thomariensi Bulla *Regimini Julii III.* 6. April. ann. 1554. apud Carval. *de Ordin.* Enuel. 2. Comprobat. 7. pag. 222., Vicario, et Administratori *de Moçambique* Bulla *Insuper eminenti Pauli V.* ann. 1612., et aliis denique Vicariis, Auditoribus, Administris Ecclesiasticis, et Visitoribus a Magno Magistro designatis: quae quidem omnia aliis explicanda tractandaque relinquimus; videsis tamen §. L. hoc tit.

### *Et Commendis.*

§. XLVII. Iisdem quoque bonis adnumerari vel maxime debent Commendae a Magno Magistro Equitibus benemeritis concessae, quae lege nostra ferme gubernantur, et ad eum modum, quo Regiae Coronae bona donantur, dari solent.

Constant Commendae non solum ex decimis ecclesiasticis, sed ex *tertiis*, artium praefecturis, jurisdictione civilis et militari, et aliis juribus Regalibus eisdem adnexis, quorum certe ratione Commendatarius dicendus est Regiae Coronae Donatarius. Equites initio in communi vivebant, et in communi Militiarum bona erant: divisa postea sunt in territoria et regiones quasdam, seu parrocias, quae, Militibus certa portione assignata, Militiae nomine administranda in custodiam quasi et commendam dabantur, quae tandem per partes eisdem Militibus concessa fuerunt cum omnibus redditibus, *Mend. de Ordinib.* disquisit. 10. quaest. 1., *Solorz. de jur. Ind.* lib. 2. cap. 1., *Rodericus Cugna ad Decret.* Dist. XLIV. in princ. n. 4. si vero horum bonorum cum veri domini non sint, sed administratores, ea non possunt alienare, in emphyteusim dare, vel ultra biennium locare sine licentia Ministri, *Definit. Christi Ord. P. II. tit. 14.*, *Avis. Definit.* 18. tit. 5., *D. Jacobi* cap. 35. Neque in eis succeditur jure hereditario, vel jure sanguinis, sed ad modum in illorum donatione contentum, et ad Legis fere Mentalis praescriptum. Has Commendas olim Magistri pro arbitrio dabant: hodie tamen Bulla *Pii V.* 23. Aug. ann. 1575., *Gregorii XIII.* 24. Aug. 1572. apud Carval. *de Ordinib.* pagg. 179. et 132., et novis Statutis Militijs datis a Sebastiano Rege 6. Febr.



1572. apud Didac. Barb. illius *Memor.* p. 3. lib. 2. cap. 21. pag. 494. Magni Magistri libertas in eis dandis et conferendis restricta fuit, et certa aetas, servitia militaria, et annorum numerus requiruntur. Sed vero praefatae Bullae, et Ordinationes posteriores, cum omnino adversentur amplissimae potestati de Militiarum bonis, illorum alienatione excepta, disponendi, Magistris Bulla foundationis, et unionis Regiae Coronae a Julio III. 4. Jan. 1555. concessae, eidem derogare non posse videntur, quod aliis examinandum relinquimus. Illud autem certum est, Commendas inepte a non nullis vocari Beneficia Ecclesiastica, Carval. *de Ordin.* Enucl. 2. Comprobat. 3. n. 18. cum seqq., Aug. Barb. *Jur. Eccles.* lib. 3. cap. 7. n. 9., Cabed. *Decis.* 85. n. 10. Certum quoque est Militiarum Commendas diversas prorsus esse, et omnino distinguendas ab Ecclesiis et Monasteriis alicui in commendam perpetuo, vel ad tempus datis, de quibus Fleur. *Hist. Eccles.* lib. XXXV., *Inst. Jur. Can.* P. II. lib. III. cap. X., Berard. tom. II. Dissert. II. Observat. III., et Scriptores ad cap. *Nemo deinceps.* 15. *de elect.* in 6. De Ecclesiis autem et Monasteriis in Lusitania nostra commendatis videnda inter alias Leonis X. Bulla ad Emmanuelem Regem data anno 1517. apud Cabed. *de patronat. Reg. Cor.* capp. 23. 24.

### *Privilegia non nulla.*

§. XLVIII. Auditores juri dicundo a Magistro praefecti eadem, qua Praetores provinciarum, jurisdictione utuntur, Ord. lib. 1. tit. 59., Emman. 40., Alphons. 7. Hodie, Auditoribus abolitis, in eorum locum suffecti sunt Praetores ab eodem Magistro nominati, Nov. 19. Jul. 1790. §§. 18. 19. Controversiae omnes forenses super Militiarum bonis ad proprios Equestrium Ordinum Magistratus spectant. Ad eosdem quoque pertinent causae Equitum criminales, Ord. lib. 2. tit. 12. §. 1. In civilibus enim fori privilegio non gaudent, §. 7. Edicti, quod vocant *da reformação da justiça*, 6. Decembr. 1612. apud Ord. lib. 5. tit. 129. Collect. I. N. 1. Equites Christi Ordinis a tributo, quod pro rerum

venditionibus penditur, immunes sunt, Ord. lib. 2. tit. 11. §. 7.: Clerici Militiarum in aliena Dioecesi, et territorio Ecclesiis Paroecialibus inservientes ab Ordinariorum jurisdictione non omnino sunt exempti, Diplom. 11. Octobr. 1786.

Ord. lib. 2. tit. 12. §. 1. deducta fuit ex solemnibus Senatus, et Joannis III. Deliberatione Eboracae habita 11. Febr. 1536. apud Leon. 2. p. tit. 3. l. 4. Joannes igitur III. privilegium fori in causis criminalibus primum concessisse videtur. Henricus Infans, Christi Ordinis Magister, Dipl. 6. Febr. 1456. apud Perer de Man. Reg. cap. 55. n. 26. hoc privilegium in omnibus causis competere adfirmat, et ea ratione acriter defendit, quia Equites veri Religiosi sunt: quae ratio, etiam si vera esset, privilegium non probaret. Illud etiam minus probant Summorum Pontificum Bullae speciales, cum a civili tantum Potestate concedi valeat. De his igitur causis notionem tantum habet Equitum Judex in prima instantia, in secunda Curia Conscientiae, ut vocant, et tandem recursus ad Magnum Magistrum interponitur, Diplom. Sebastiani Regis 10. Novembr. 1562., Bulla Pii IV., *Trium instantiarum* dicta, quae incipit *Ad hoc nos Deus*, Romae data 6. Febr. 1563. apud Carval. Enucl. 1. Comprobat. 5. pag. 39. (Inst. Lib. IV. Tit. XXIII. §. XXVIII. Not.). Debent itaque ad Equitem judicem Regii Magistratus criminales illorum causas etiam non rogati sub poena nullitatis remittere, Phoeb. *Arest.* 164. In causis capitalibus, in Militiarum suprema Curia viso processu, Equites honore, bonis et privilegiis Militiae spoliantur, et curiae saeculari puniendi traduntur, quam in rem videndus Themud. *Decis.* 106. Militiarum Clerici in causis quoque civilibus fori privilegio gaudent, et conveniri debent coram Judice Generali trium Ordinum Militarium. Idem Ecclesiis inservientes, quarum Paroeciani ad curam Ordinariorum loci spectant, ab illorum jurisdictione exempti non sunt, eisque omnino qua Parochi hodie subjiciuntur, Reg. Diplom. 11. Octobr. 1786. Et hoc jure cum hodie utamur, cui bono in re difficili, invidia plena, et jam deoisa antiquas exemptiones et privilegia, si qua fuerunt unquam (quorum scilicet utilitatem minime defendere intendimus), Bullas, Regia Diplomata, Statuta, Definitiones, Concordatas, et judicum pronuntiationes recensere? Aliud dicendum ex

dicto Regio Diplomate 11. Octobr. 1786. de Militiarum Exemptis cum qualitate *Nullius*, ut loquuntur, qualia sunt Thomariense, Cratense, Conventus Palmelensis Ordinis Divi Jacobi, Avisiensis, et Oppida *Noudar*, et *Barrancos*, cet. Beneficia, quae simplicia vocant, solum Clericis Conventualibus in Militia professis dari possunt, §. 33. Regiminis Equestrium Ordinum Curiae Matrifi dati 26. Aug. 1603., Diplom. 5. April. 1704. Christi Ordinis Equites Emman. Extravag. 28. Jan. 1504. apud Leon. 5. p. tit. 3. l. 13., relata Ord. lib. 2. tit. 11. §. ult., non solvunt tributum venditionis, quod *Sisa* dicimus, de quo inter alios Cabed, P. 11. *Decis.* 113. Similiter non solvunt portorium (*portagem*), decimam civilem (*dizima*), et ecclesiasticam (*dizimo*) de Militiarum bonis; secus de patrimonialibus, Diplom. Joannis III. 7. Februar. 1550., Joannis IV. 2. Maii 1647. apud Ord. lib. 2. tit. 12. Collect. I. N. 6. Hoc autem privilegium, cum Militibus Christi fuisset tantum concessum, frustra et inepte ad alios Milites, quorum mentio facta non fuit, protrahitur. Reinos. *Observat.* 2. n. 13. Privilegio vero Equites nullo fruuntur, nisi panes civiles, seu redditus annuos, quos dicimus *tença*, ou *mantença*, ex Regio aerario, vel Militiae bonis assignatos habeant, Ord. cit. §. ult., deducta ex Emman. Diplom. 6. Novembr. 1515. apud Brit. *de locat.* ad cap. 2. p. 3. n. 130., et Leon. p. 2. tit. 3. l. 1., et ex Senatus decisione in judicio Regii Patrimonii habita 24. Octobr. 1560. apud eund. 5. p. tit. 3. l. 14. Quid vero praefata Ordinatione intelligatur per verba *tença*, ou *mantença*, non omnes conveniunt. Quidam eam tanquam synonymam habent, quemadmodum verba *telula* e *mantença*, legibus nostris concubinac applicata, quae idem prorsus significant, et denuo nihil addunt. Quidam eis significari existimant redditus annuos, qui sufficient ad moderatam Equitum sustentationem, cui olim debent supra quatuordecim millia regalia satis esse videbantur: itaque Ordinationis verba *mantença tal*, *com que se possão goverhar*, de congrua sustentatione in sensu juris Canonici intelligant, habita ex Militiae bonis. Quidam bona quoque patrimonialia praedicta Ordinatione, et Extravaganti, ex qua fuit deducta, significari volunt: quae intelligentia eadem expresse adversatur; loquitur enim de Militiae tantum bonis, Perer. *de Man. Reg.* cap. 55. n. 27., Brit. *de locat.* supra, Barb. *Remiss.* ad Ord. lib. 2. tit. 12. Quocumque autem modo dicta verba aduipiuntur, certum est per ea re-

stringi et limitari privilegia Equitibus concessa, quibus minuendis pertinent Leonis X. Bulla, ab Emmanuele Rege petita et impetrata, et ejusdem Regium Diploma 6. Novembr. 1515. Illud etiam certum est, non omnia privilegia, quae Militiarum Statutis et Definitionibus continentur, in usu esse: neque profecto (quod hic notandum) Statuta, quibus gubernantur, cum principiis ultramontanis innitantur, digna sunt, quae hodie in universum obtineant; novis igitur Definitionibus opus est, quae Militias ita componant, ut possint et Ecclesiae, et Reipublicae veram utilitatem adferre. Ordinatio saepius citata lib. 2. tit. 12. in princ., qua Equites in iudicio saeculari jusjurandum subire jubentur, decerpta fuit ex Emman. Extravag. 4. Septembr. 1517., 30. Jun. 1518., et Joannis III. 21. Octobr. 1526. apud Leon. 2. p. tit. 3. ll. 2. 3.

*Magnus Cratensis Prior Donatarius.*

§. XLIX. Quae de Regni Ordinum Magistris diximus, ea ferè omnia conveniunt Magno Cratensi Priori, qui Regiae quoque Coronae Donatarius est, et pluribus jam inde a Regni initio jure et privilegiis utitur, cum ecclesiasticis, tum civilibus.

Ordo Hospitalarius Hierosolymitanus, hodie Melitensis, a Raymundo de Podio, primo illius Magistro, institutus, ab eoque in Equites, quos *justitiae* vocant, divisus, et in Capellanos *Conventuales*, et *Obedientiae* dictos, et *Armigeros*, seu *Serventes d'armas*, in Lusitania nostra jam cognitus erat sub Alphonso I. anno circiter 1130., Sever. de Far. *Notit. Portug. Disc. II. §. 17. p. 80., Mon. Lus. P. III. lib. IX. cap. 11.* Qui Equestris hujus Ordinis bona administrabant, et Equitibus apud nos degentibus praesidebant, Priores Hospitalis dicebantur ad tempora usque Alphonsi IV., quo regnante, Cratenses Priores dici coeperunt, et primum hoc nomine vocatus fuit D. Fr. Alvarus Gundisalvus Pereira, Magni D. Nonii Alvaresii parens. Illorum catalogum exhibet Carvalius *Chrorograph. Portug. tom. II. cap. 16. pag. 593., Castr. Mapp. Portug. tom. II. P. III. cap. 2. §. 3. pag. 32.* Eodem tempore cognitus etiam in Lusitania erat Magnus

Hispaniae Commendatarius, et, eo absente, illius et Magni quoque Magistri locum tenentes, qui una cum Priore Hospitalario, vel seorsum res Militiae curabant, *Mon. Lus. P. V. lib. XVI. cap. 23.* Electio et nominatio Magni Prioris ad Magnum Magistrum, seu potius ad Melitensem Conventum spectant de Equitum provinciae consensu, id est, *com esmotição da lingua.* Priore mortuo, in Capitulo Provinciali Equites non solum illius locum gerentem, et Prioratus Administratorem eligere solent ex Statut. I. et II. Ord. Melit. tit. XI., sed aliquando etiam ipsum Priorem; quod in Lusitania exemplis multis probat Brand. P. VI. lib. XVIII. cap. 49. pag. 214. Pontifices, Ordine inconsulto, non nunquam motu proprio Priores nominant etiam non professos, illius Statuta dispensantes. Gallemart ad Trid. Sess. XIV. cap. 10. et 11. Discurs. 13. n. 10. pag. 636. Virtute hujus potestatis Papalis sub Ferdinando Rege Cratensis Prior ab Urbano VI. nominatus fuit Alvarus Gundisalvus Camelus; et Joannes III. ab Adriano VI. ejusdem Cratensis Prioratus possessionem nactus fuit ann. 1522. Omitto recentiora exempla. Reges quoque nostri electis a Conventu Prioribus non semel obstarunt, vel alios suo arbitrio elegerunt: quod a Ferdinando et Joanne I. saepius factum fuisse constat ex traditis a Brandano exemplis *Mon. Lus. P. VI. lib. XVIII. cap. 49. pag. 214.* Et hoc jus adeo frequentabatur, ut Lusitani Equites in Capitulo generali ann. 1598. his verbis usi fuissent: *Que estando o Priorado do Crato, como havia tempõs que se experimentava, na nomeação arbitraria dos Soberanos desta Coroa,* apud Fr. Luc. a S. Cathar. *Malt. Portug. lib. II. cap. 15. n. 219. pag. 383.*

*Qua ecclesiastica jurisdictione gaudeat.*

§. L. Praelatus namque Regularis est Equitum in Regno commorantium, et Ordinarius quodammodo dici potest; sed jurisdictione propria spiritali non gaudet; debet tamen personam Ecclesiasticam nominare, qui eam in oppidis pleno jure Ordini subjectis valeat exercere.

Magnus Cratensis Prior Praesul quidam Regularis est, cui non modo subsunt Equites Provinciales, sed et qui-

eumque ad Militiam quoquo modo spectant, quamquam in eadem non professi. In eisdem potest non solum jurisdictionem civilem et criminalem, sed oeconomicam quoque, rectoriam et regularem exercere; eosque propterea corrigere et visitare debet, Stat. V. Melit. Ord., et fere toto titulo 11, Stat. I. tit. 15., XV. tit. 10, et 59. Et cum haec postrema Ordinariorum fere sint, mirum non est, quod non modo Magni Priores, sed etiam Ordinis *Commendatarii* vel *Balivi*, quibus eadem jura tribuuntur, *Ordinarii* nominentur *Bulla Circumspecta* Pii IV. 1560., *Quo magis* Gregorii XIII. 1580., cet., quae hoc tantum sensu sunt intelligendae. Vera tamen illa jurisdictione ecclesiastica, id est, spiritali non gaudet, quae in laicum, quamvis Religiosum, jure cadere non potest. Gaudet tamen facultate ac jure Clericum designandi, qui sub *Provisoris* titulo, tamquam sacris *Cratensis Ecclesiae Praefectus*, veluti illius *Ordinarius*, eandem jurisdictionem exerceat, Stat. IX. tit. 11., VIII. tit. 15., *Bulla Dum copiosius* Leonis X. 16. April. 1514., *Circumspecta* Pii IV. 1. Jul. 1560. Is vero cum diversa jurisdictione utatur ecclesiastica, seu spiritali, regulari et civili, quae plures sub se gradus continet et divisiones, dubitari potest, cujus generis ea sit, utrum propria, an ordinaria, an delegata. Quaestio solum movetur de jurisdictione vere ecclesiastica: nam si propriam eam dicimus et ordinariam, quomodo *Provisor*, *Vicarius*, et *Administrator* dicendus is est, qui propria jurisdictione nititur? Si delegatam, necessario inquirendum, a quo delegationem et missionem suam accipiat; namque eandem habere tantum et accipere potest vel a sanctissima Ecclesia, cui uni clavium potestatem, hoc est, sacram auctoritatem tradidit Christus Dominus, ipsius Conditor et Caput, quae Patrum, et clarissimorum Ecclesiae Scriptorum sententia est; vel a Magnis Magistris, Magnisque Prioribus, et *Commendatariis* eundem designantibus eligentibusve; vel ab universo Melitensi Ordine; vel denique a Priore tantum Ecclesiae Melitensis Divi Joannis. Tantam hanc rem, quam certe componere difficile est, alio modo explicant boni germanique Canonistae, et alio *Decretalistarum*, et *Equestrium Ordinum* Scriptores, quin et ipsorum *Ordinum* Definitiones et *Statuta*; quibus non multum credendum, maxime in iis, quae ad Ecclesiae statum, ac *Jus Publicum* pertinent, cujus fontes genuini in illis non sunt quaerendi. Ego vero quaestionem

In melio relinquo; non enim paucis verbis concipi et explicari potest; longiorem autem explicationem institutum nostrum haud patitur; neque praeterea mihi propositum Juris Canonici Patrii, sed Civilis tantum Institutiones qualescumque dare. Digna tamen haec res est, quae a nostris Canonistis pro dignitate tractetur. Illud vero ad meum officium hic spectat adnotare, Portugalliae Prioratum ad Reginae Fidelissimae preces Magnae Infantis Domui, de qua §. LVIII., perpetuo unitum fuisse Pii VI. Bulla 24. Novembr. 1789., quam Augusta adprobavit 31. Januar. ann. 1790. Legionis Prioratus ad Regis Catholici instantiam paulo antea ab eodem concessus fuit Gabrieli Castellae Infanti, ejusque in perpetuum heredibus ac successoribus, Bulla, quae incipit: *Ea semper*, 17. August. ann. 1784. Romae data.

*Et saeculari, tamquam Donatarius.*

§. LI. Tamquam vero Regiae Coronae Donatarius uti et frui debet in magna Cratensi Commenda Regiae Coronae bonis, juribus, ceteris, quae hoc nomine intelliguntur, ad Regiarum donationum modum, et Legis Mentalis praescriptum.

Prioris Hospitalarii mentio fit in saepius citata Ferdinandi lege Comitibus Atounguiensibus 13. Septembr. ann. 1375., qua inter alia concessa ei fuit jurisdictio civilis et criminalis: et ex hac lege Magnus Cratensis Prior iis fere omnibus juribus utitur, quae hic §. XLII. recensentur. Militari tamen jurisdictione non gaudet; ea quippe donari non solet, Ord. lib. 2. tit. 45. §§. 33. 38. Decreto tamen 18. April. et 23. Septembr. 1744. Petro tunc Infanti, Magno Cratensi Priori, a Joanne V. concessum fuit Officiales Militares urbanos, quos *da Ordenança* dicimus, in Magni Prioratus oppidis, et Commendis eidem adnexis jam a Rege creatos providere, minime vero creare: quae non neminis opinio est; a qua ego semper alienus fui: Imperantis enim solius est officia denuo creare, praesertim militaria: neque Decreti verba talem intelligentiam, seu opinionem admittunt. Eidem quoque concessum civilium Officiorum functiones alicui dare, et eos, qui in illius aere et nominibus essent, tamquam fieri debitores convenire, Di-

plom. 20. Mart. 1745. Haec autem privilegia, uti bene declarat idem Diploma, personalia sunt, et in gratiam tanti Donatarii concessa: ea vero a Regina Fidelissima Decret. 1. Jun. 1786. Joanni, tunc Infanti, hodie Brasiliae Principi, data sunt. De Correctionis, quod vocant, jure et privilegio si quaeratur, certum est, illud non nisi donatione expressa competere cum derogatione speciali legum antiquarum, de quo vix dubitare licet, cum Auditor Cratensis eo impune utatur. Haec vero quaestio hodie inutilis est, extinctis Auditoribus, et dicto Correctionis jure, Nov. 19. Jul. 1790. Jam vero a Regni initio quam multa Hospitalarii oppida, possessiones et jura Reges nostri dederint, sciunt profecto omnes. Has donationes primus confirmavit Alphonsus Henricus literis aera 1148. ad Dominum Raymundum, Ordinis Hospitalarii Procuratorem, et ad Arium, Portugalliae et Gallaciae primum Priorem, datis, apud Fr. Luc. *Malt. Port.* pag. 226. Iisdem Sancius I. donavit Aegitaniam, *Idanha a Velha*, Leo illius *Chron.* pag. 49. Sancius II. Belverium oppidum ann. 1204.; cujus possessionem nactus fuit Petrus Fernandus, Soveralis Commendatarius, et D. Mendus Gundisalvus, Ordinis Procurator: Joannes I. oppidum de *Ougueta*, quam donationem Militiae nomine acceptam habuit Fr. Alvarus Gundisalvus Camelus ann. 1399., *Mon. Lus.* P. VI. lib. XVIII. cap. 49. His, et aliis donationibus, quas referre otium non est, continebantur patronatus et decimae, quae pro juribus mere temporalibus haberi debent, et legibus propriis honorum Regiae Coronae gubernantur, ut jam alibi monuimus; *Inst. Jur. Publ. Tit. V. §. XXXVIII. Not.*, et hoc tit. §. XXII. *Not.* Hic vero patronatus non solum saecularis est, sed Regius; a Rege quippe habitus fuit: laicus enim est patronatus Equestribus Ordinibus, Confraternitatibus et Collegiis datus, uti ex notis, quae cum ab ecclesiastico distinguunt, facile est ad intelligendum: et ita suprema Parisiensis Curia censuit, et pleno senatu deliberavit 10. April. 1607. *Memor. Cler. Gall. tom. XII. pag. 55. cum seq.*

### *De Curia Priorali, et Assemblea.*

§. III. Eadem ratione Auditorem nominabat juris dicundi causa in omnibus Magni Prioratus oppidis,



Oppidis, et Auditorem Patrimonii, a quo adpellatur ad Curiam Prioralem, quae omnino distinguenda est a Conventu Ordinis, quem Gallicae originis vocabulo *Assemblée* dicimus, Stat. XIII. XIV. Tit. XIX. *Della significazione delle parole*. Hodie Nov. Const. 19. Jul. 1790. extinctus tantum videtur Auditor Generalis Cratensis, non Patrimonii Magni Prioris.

Curia Prioralis a Joanne IV. instituta fuit statim a morte Ferdinandi Cardinalis, Castellae Infantis, Cratensis Prioris, Constat ex tribus saltem Deputatis, et Procuratore Patrimonii Prioratus. A Deputato Auditore adpellatio interponitur non ad Regiae Coronae iudicium, uti existimavit Fr. Luc. *Malt. Portug.* lib. 2. cap. 2. n. 17., sed ad Curiam Prioralem. *Assemblée* componitur ex Equitibus *justitiae*, et certis administris a Magno Priore nominatis. Eadem resolvuntur negotia ad Militiam spectantia, et judicantur adpellationes, et gravamina a Provisore interposita, a qua jure communi, et Bulla *Circumspecta* Pii IV. 1. Jul. 1560. provocabatur ad Concilium Ordinis *ordinarium*, ab eo ad *completum*, et tandem ad *Capitulum Generale*. De Luc. tom. III. lib. III. P. I. *de jurisdict.* Decis. 69. n. 6., et tom. IV. lib. XIV. P. I. *de Regularib.* Decis. 61. n. 2. Adpellatio quoque ad Summum Pontificem, vel illius Nuntium dabatur, idem de Luc. loc. cit.: ea tamen in Portugallia non admittitur (quod non semel in iudicio Coronae fuit iudicatum), in quo vel maxime consistit Ordinis privilegium. Recursus similiter ad Melitensia praefata Concilia non admittitur, et in Ordinis Conventu, seu *Assemblée* civiles omnes forenses causae terminantur (de criminalibus statim loquemur), neque *tertia instantia* opus est: duae quippe pronuntiationes et sententiae consentaneae pro re iudicata habentur, et executioni mandari debent, Bulla *Inter illustria* Benedicti XIV. 12. Mart. 1753. §. 10., Resolut. Petri Regis, Cratensis Prioris, 25. Novembr. 1776. Ad partis tamen petitionem Revisio quaedam a Magno Priore concedi solet eodem ferme modo, quo *tertia instantia* in Regni Militiis conceditur ex Sebastiani Regis Diplomate anno 1562. et Pii IV. Bulla *trium instantiarum* dicta 6. Febr. 1563. Distinguendus quoque est Conventus Ordinis, id est, *Assemblée*, et Curia Prioralis a Capitulo Provinciali, quod quotannis haberi debet, Stat. V. tit. VI.

*Ordinis Melitensis non nulla privilegia , et quomodo intelligenda.*

§. LIII. Inter privilegia Ordini concessa ea tantum valent, quæ in usu sunt, et in *forma specifica*, ut loquuntur, confirmata, Diplom. 25. Jul. 1777., veluti immunitas a decima civili, et à militia tam lecta et stipendiaria, quam auxiliari, Diplom. 12. Maii 1778., et alia fortasse.

Summa privilegiorum habetur libello inscripto: *Privilegios concedidos, e confirmados por El Rei D. João o V. Nosso Senhor á Ordem e Milicia de S. João do Hospital, por Joaquim José, em Lisboa 1764.*; et alio: *Ilustracion Canonica y Historial de los Privilegios de la Orden de S. Juan, por D. Vicente Calvo, en Madrid 1778.*, et apud Fr. Luc. a S. Cathar. *Mak. Portug.* lib. 1. cap. 13.: quæ huc redit, quod Equites, Milites, Coloni, Vassalli, cet. quoquo modo ad Militiam spectantes Summorum Pontificum Bullis, quas vel solum referre longum esset, et Melitensis Ordinis Statutis exempti sunt non solum a tributis et collectis cujuscumque generis, verum etiam ab ordinaria jurisdictione tam seculari, quam ecclesiastica, et tantum subjecti in spiritalibus et temporalibus Magno Magistro, Prioribus, et reliquis Praelatis, Ordinisque Judicibus. At vero hodie quid de tot tantisque exemptionibus, immunitatibus et privilegiis amplissimis, a Summis Pontificibus concessis, judicandum, quæ non nisi a Civili Potestate haberi possunt, facile omnes vident. Similia fere privilegia Ordini jure dederunt Alphonsus Henricus, Sancius I., Dionysius, Joannes I. et II., Alphonsus V., eaque recensentur a Joanne V. Diplom. 3. Decembr. 1728., quo eadem *in forma communi* confirmavit. Eodem modo confirmata fuerunt a Josepho I., felicitis recordationis Principe. Decret. 18. Jan. 1752., et a Regina Fidelissima, Diplom. 25. Jul. 1777. Quare ea tantum privilegia hodie valent, quæ in usu sunt, et posterioribus legibus *in forma specifica* confirmata, inveniuntur, et quæ tandem eisdem legibus, et diuturnis moribus, et bono publico non adversantur. Et talia sunt immunitas a militia lecta, et auxiliari, et a decima civili, quæ de bonis tantum Melitensis Ordinis, censibus, et

pensionibus, quovis titulo eidem solvendis, intelligi debet: itaque non comprehendit bona patrimonialia, neque lucra ex Militiæ bonis acquisita, Diplom. 12. Maii 1778., cui conjungendum est Josephi I. Diplom. 20. Septembr. 1768. super privilegia Vimaransis Ecclesiae. Huc etiam referri potest privilegium, quo illorum domus alieno hospitio publica auctoritate designari prohibentur, quod *apostatatoria passiva* dicitur, Diplom. 20. Mart. 1745. Hoc modo, ni fallor, interpretari debent privilegia Melitensi Ordini, et illius famulis, colonis, quos vocamus *lavradores, caseiros, mancebos, servidores*, concessa. Horum autem verborum juridica significatio habetur Ord. lib. 2. tit. 25., Emman. 14., Alphons. 23., deducta ex Oduardi Regis authentica interpretatione 18. Septembr. 1434. data apud eamd. Ord. Quapropter mea quidem sententia non excusantur a Civili Concilio Judicis, Decurionis, Procuratoris, et Aedilis munere, Ord. lib. 1. tit. 67. §. 10., lib. 2. tit. 58. in princ., et tit. 59. §. 1.: a tutela legitima, dictis Ordinationibus: a vigiliis et excubiis, publicae securitatis causa a Politia ordinatis, Ord. lib. 2. tit. 58. §. 11., et tit. 1. §. 12.: a muletis agrariis, et collectis pro aquis in colluquias, atque inde extra agros derivandis, in dictis Ordd. lib. 2. tit. 59. princ., Diplom. 18. Septembr. 1610., 27. ejusdem 1613., vel pro viarum publicarum, fontium, pontium, murorumve reparatione, Ord. lib. 1. tit. 66. §. 43., et lib. 2. tit. 58. §. ult.: a jugationis tributo sine speciali Diplomate, quod *Sobre-Alvará* appellant, Ord. lib. 2. tit. 33. §. 29., Diplom. 24. Jan. 1742., Const. 25. Maii 1776.: et ab onere denique equae alendae, habendaeve, id est, *egoa de lista*, Decret. 18. Jun. 1681. Collect. II. ad Ord. lib. 2. tit. 59. N. 3.

### *De illius fori privilegio.*

§. LIV. Privilegio autem fori (quod notandum est) non gaudent Laici ad Militiam quovis titulo spectantes, veluti Ordinis servi, vulgo *Donatos*, vassalli, coloni, emphyteutae; gaudent tamen Equites justitiae, et Capellani in omnibus causis, et illorum domestici in criminalibus tantum, Ord. lib. 2. tit. 2., Extravag., quam vocant *da reformação da justiça*, 6. Decembr. 1612. §. 6. Collect. I. ad

Ord. lib. 5. tit. 129. N. 1. et alia Philippi II. 18. Septembr. 1602., cujus meminit Vanguerv. in Comment. ad eamd. §. 6. n. 54., Diplom. 9. Jul. 1642. Collect. I. ad Ord. lib. 2. tit. 25. N. 1. verbis: *Nenhum caseiro, nem outra pessoa secular tem privilegio de foro ecclesiastico da dita Religião no civil, nem crime, salvo os criados actuaes dos Commendadores, constando perante minhas justicas, que domesticamente os servem, e em quanto actualmente os servirem, e isto nos crimes sómente, que estando em seu serviço forão commettidos, e não no civil.*

Melitensem Militiam professi in omnibus causis coram iudice Ordinis Conservatore respondent, a quo, uti jam monuimus, adpellatur ad Ordinis in Regno Convantum iudicium, *Assemblea* dictum, ubi causae civiles terminantur: criminales autem, ex quibus Ordinum insignibus, Commenda, et antiquitate privandi, vel carceris perpetui poena infligenda, ad Magnum Magistrum, et ad Regni Melitense Concilium remittuntur, Stat. X. tit. 11. et LIX. tit. 18. Ego vero, si dicendum quod res est, Statutum, quod causam sive civilem, sive criminalem Lusitani Equitis iudicibus alterius Regni ultimo tandem decidendam committit, et publico civium juri, et legibus nostris adversari puto; et huc pertinet Ord. lib. 2. tit. 13. §. 1. verbis: *Juizes apostolicos fóra de nossos regnos, e senhorios*, Diploma Emmanuelis Regis 3. Novembr. 1512. apud Leon. 4. p. tit. 12. l. 1.: et hanc in rem digna profecto sunt, quae legantur, rationum momenta, quibus *Mons. Harley*, in suprema Parisiensi Curia Advocatus Generalis, probavit Commendatarium *Gorillon*, de homicidio adcusatum, ad Magnum Magistrum non esse cum processu remittendum, *Mémoires du Clergé de France* tom. IV. pag. 1522. cum seq. Gaudent igitur etiam in causis civilibus fori privilegio Equites Melitenses, in quo a Regni Equitibus distinguuntur, qui eodem tantummodo gaudent in criminalibus; sed vero in omnibus causis, quibus Ecclesiastici in saeculari respondent, ibidem respondere ii debent; nam ad illorum exemplum concessum fuit privilegium. Domestici autem fori privilegio tantum potntiur in causis criminalibus, et pro delictis, dum

in eorum famulatu fuerint, commissis: contra vero Ordinis famuli, coloni, vassalli, utut de Militiae bonis vivant, vel in illius villis perpetuo morentur, ex dicto Diplom. 9. Jul. 1642.: quod quidem consentaneum est juri nostro publico, quo privilegium fori denegatur Nobilibus, Ecclesiarum, et Monasteriorum famulis, colonis et vassallis. Hoc vero privilegium, et ea denique omnia, quae laicis ad Militiam hanc pertinentibus conceduntur, in foro dumtaxat servatur, petitis et obtentis literis *privilegiorum* dictis in Palatii suprema Curia: quae expediendi debent, audito Regiae Coronae et Ordinis Procuratore, et cognitis prius atque judicatis requisitis necessariis in Regiae Coronae judicio ex citato Diplom. 9. Jul. 1642.: quare nec ab Ordinis iudicibus Conservatoribus, nec a Senatu Portuensi, nec a Curia Cratensi, nec ab *Assemblea* expediri jure possunt; et ita, quamvis praefatum Diploma non exstaret, generaliter cautum est Ord. lib. 2. tit. 45. §. 37. Judex his causis cognoscendis specialiter deputatus *Conservador* dicitur, qui a Provisore separari quidem potest, sed fere conjungi solet. Illius autem jurisdictio saecularis est, et dependens a Potestate Civili, cujus nomine exercetur, et non virtute Bullae *Inter illustria* Benedicti XIV. 12. Mart. 1753., ut antiquiores omittam: haberi itaque debet tamquam, vel quasi verus Auditor a Magno Priore, qua Regiae Coronae Donatario, nominatus. Et, cum Magistratus saecularis sit, ab eo adpellari non potest ad iudicium Regiae Coronae; et ita in recursu a Commendatario Villiena interposito in causa, quam cum Monialibus Dominicanis Averiensibus agebat, in eadem Curia 21. April. ann. 1788. iudicatum fuit. Illud denique hic animadvertendum, quod Laici in centuriam veluti, quam dicunt *Companhia da Corte*, adscripti, a Petro II. institutam, ab eoque Dignitati Priorali adnexam, hodie Decreto 19. April. 1780. fori privilegio gaudent: quod, cum nimis exorbitans sit, in causis tantum criminalibus intelligendum videtur mea quidem sententia: sed alii aliter; quod per me licet, cum unusquisque in suo sensu abundet. (Vid. *Dissertação Historico-Juridica sobre os Direitos e Jurisdição do Grão-Prior do Crato, e do seu Provisor*, ab A. conscripta, et ab ejusdem ex sorore nepote F. Fr. Mellio publici juris facta Olisipone 1809. 4.).

*De Regina Donataria.*

§. LV. Regina quoque Regiae Coronae bonis, ad illius sustentationem dignitatemque tuendam jam diu destinatis, uti debet ad Regiarum donationum praescriptum; quibus inter alia concessum Auditorem Generalem nominare juris dicendi gratia in oppidis eidem donatis, qui jurisdictione et auctoritate nihil fere a Curiae Praetore differt.

Ex Regimine speciali oppidorum Reginae Auditori Generali dato apud Ord. Alphons. lib. 1. tit. 8. constat eum de gravaminibus et adpellationibus cognoscere, correctionis jus exercere, et ea denique omnia, et ad eum modum jure facere, quae ad officium Curiae Praetoris civilis, vel criminalis spectant. Eadem Ord. lib. 2. tit. 40. ejusdem Auditoris et Reginae jurisdictio definita, quae quidem amplissima est; sed tamen iis juribus non gaudet, quae Regalia majora dicuntur, et quae donari non possunt, vel non solent, salva Regia dignitate, quorum non nulla hic memoravimus §. XL. Quare Regina privilegia, legum generalium dispensationes, gratias, cetera, quae ad Palatii Curiam speciatim pertinent, concedere haud potest, Ord. lib. 2. tit. 45. §. 37., deducta ex Oduardi lege 2. Maii 1434., Ord. Alphons. lib. 1. tit. 8. §. 5. verbis: *Dará cartas de segurança, e passará quaesquer desembargos assi civys, como crimes, que a elle vierem das ditas terras, que sejam de justiça, em que nom haja especial graça, ou mercee; ca os que forem de especial graça, ou mercee, devem passar pelos Desembargadores do Paço, a que dello pertence o conhecimento.* Regimine autem Consilio Reginae ab Aloysia Augusta dato 11. Octobr. 1656. §. 2. eadem, quae Palatii, et Regii, Patrimonii Curiae jurisdictio competit, concessa videtur verbis: *E no dito despacho guardarão o estilo e forma, que guardão os Ministros de Sua Magestade nos Tribunaes do Desembargo do Paço, e Conselho da Fazenda, usando da mesma jurisdicção, que elles tem por seus Regimentos.* Hoc Regimen a Regina Donataria datum legis certe vigorem habere non potest, maxime in iis, quae ad jurisdictionem spectant, quae nunquam donata fuerunt, et vix ac ne vix quidem donari possunt: illud

tamen Regina Fidelissima confirmavit Regio Diplom. 11. Mart. 1786., quo scriptum est: *Hei por bem . . . como Soberana, e Suprema Imperante approvar, e confirmar o dito Regimento . . . e conceder aos Ministros, que nelle me servirem, a jurisdicção de conhecerem como Desembargadores do Paço, e Conselheiros da Fazenda, de todos os negocios, que dentro das terras doudas ao meu Estado pertencerem aos dous referidos Tribunaes.* Sed praeterquam quod Diploma illud in Regni Cancellaria publicatum non fuit, intelligendum videtur de jurisdictione oeconomica, et illius exercendae ratione, quasi in Consilio Reginae consultationes, et reliqua negotia eodem modo deferantur, expedianturque, stilus idem servetur, et illius patrimonium quemadmodum Regium administraretur: minime vero de privilegiis et juribus Palatii Senatoribus concessis, quae, cum multum singularia sint, et vix a Rege abesse possint, non censentur data sine illorum speciali enumeratione, neque in praefato confirmationis Diplomate 11. Mart. 1786. denuo data, vel confirmata, quin eodem referantur, et inserantur donationum antiquarum literae. Haec tamen frustra scripta esse videntur: nam in Consilio Reginae ea omnia hodie expediuntur, quae in Palatii Curia expediri solent, et illius Regimine continentur. Auditores Patrimonii Reginae eam jurisdictionem habent, quam declarant Diplom. 11. Mart. 1548., 27. Novembr. 1530., et alia apud Peg. tom. XII. ad Ord. lib. 2. tit. 45. glos. 2., pag. 127. Hodie Auditor generalis oppidorum Reginae extinctus est Nov. 19. Jul. 1790. §. 21: eadem vero adprobatur §. 26. intelligentia, quam superius dedimus Regio Diplom. 11. Mart. 1786., et 14. Octobr. 1656.

### *De Principe, et Infantibus Donatariis.*

§. LVI. Princeps, et Infantes, qui a Rege bona et jurisdictionem habent, ea uti debent ad donationum modum; jura tamen et privilegia majora, quam reliquis Donatariis, eisdem merito concedi solent, et eadem ferme, quae Augustae conceduntur.

Regum filii, filiaeve Principes et Infantes promiscue olim vocabantur: ab Oduardo tamen Rege Principis ti-

tulus filio tantum majori natu, Regni heredi, perpetuo donatus, eoque primum vocatus fuit Alphonsus V., Brand. *Mon. Lus. P. V. lib. XVI. cap. X.*, Alvar. Ferrer. de Ver. libello inscripto: *Orig. da Nobrez. Polit. cap. VI. pag. 28.* Hodie Joannis IV. literis 27. Octobr. 1645. datis apud Sous. tom. IV. *Probat.* ad lib. VII. *Hist. Geneal. N. 29. p. 792.* primogenitus Regis *Brasiliae Princeps*, et *Briguntiae Dux* speciatim dicitur. Regis nepos, neptisve primogenitus ex Principe habitus, ut a Parente et Infantibus distinguatur, *Berieae Princeps* ab anno 1734. vocatur: quo titulo primum usa fuit Maria Francisca, Regina nostra Clementissima, quam Joannes V. *Berieae Principem* adpellavit. Sous. *Hist. Genealog. tom. VIII. lib. VII. p. 354.*, *Castr. Mapp. Portug. tom. I. P. I. cap. 5. pag. 60.* *Infantis titulus* competit Regis filiis, filiabusve secundo genitis legitimis tantum, non naturalibus. Sous. *Hist. Genealog. tom. I. lib. I. pag. 178.* Filii Infantum non nisi speciali privilegio hoc nomine vocantur: quod a Carolo III. Petro Carolo, Gabrielis, Castellae Infantis, filio concessum fuit. Jam vero Principi et Infantibus alendis ad tempora usque Joannis IV., prout statim dicemus, patrimonium speciale adsignatum non erat: sustentabantur enim ex publicis, seu Regiae Coronae bonis; quae tamen eisdem non semel dederunt Reges nostri: has autem donationes amplissimas ut referam, nihil ad me adinet. Ad rem nostram quod spectat, speciali memoria digni sunt Joannes et Maria, Infantes, Petri I. filii, quorum Auditoribus Ferdinandus frater lege celeberrima hic saepius memorata, Comitibus Atouguiensibus lata ann. 1375. (*Cod. Alph. lib. 2. tit. 63. §. 4.*), concessit de subditorum causis tam civilibus, quam criminalibus per viam tantum adpellationis, non gravaminis, cognoscere. Alphonsus V. Petro, Henrico, Joanni Ferdinando, Joannis I. filiis, eorumque Auditoribus jurisdictionem civilem et criminalem, et jus correctionis dedit in oppidis donatis speciali Ordinatione suo Codice relata lib. 2. tit. 40. Senatores etiam speciales eisdem eadem Ordinatione concessi, qui Regis Curiam sectari semper tenebantur, iique civiles causas in ultima instantia decidebant, neque ab eis adpellare fas erat ad Regis Senaturn: hoc tamen jus, et correctionis ad vitam tantum fuit concessum speciali gratia, et non privilegio, uti habet dicta Ordinatio §. 5. verbis: *Nom o tem per privilegio, se nom per graça, que nos praz de lhe fazeremos em quanto nossa mercee for: eadem*



quidem fere verba servantur Ordinatione, qua utimur, lib. 2. tit. 45. §. 37. in fin. Joannes IV. literis Olisipone datis 1. Novembr. 1656. apud Sous. tom. IV. *Probat.* ad lib. VII. *Hist. Geneal.* N. 36. pag. 818. Catharinae, tunc Infanti, postea Magnae Britanniae Reginae, insulam Maderiam, et Lamecum urbem, eandemque in ea jurisdictionem, quam in suis oppidis Brigantina Domus exercet, concessit. Quae omnia dicta sunt, ut intelligamus Infantes, et Principem, Regiae Coronae Donatarios, eisdem legibus, quibus reliqui tenentur, subjectos esse, et ea tantum jurisdictione uti posse, quae eisdem specialiter fuerit concessa.

### *Et Brigantino Duce.*

§. LVII. Ab Infantibus parum, quod pro nihilo reputatur, distabant Brigantini Duces. Nam primum, ut ea tantum, quae in foro locum habent, summatim referam, Regiae Coronae bona eisdem donata Legi Mentali subjecta non erant, uti generaliter Oduardus Rex declaravit literis 10. Septembr. 1434. datis, Sous. *Histor. Genealog.* tom. VI. lib. VI. pag. 695., et tom. III. *Probat.* ad eundem librum N. 14. pag. 486. Quare nepos, neptisve ex primogenito vivo, avo mortuo, sine ulla dispensatione succedebat, Diplom. 4. Octobr. 1559. apud Sous. tom. IV. *Probat.* ad lib. 6. N. 161. pag. 182.; neque ii tenebantur ordinationibus specialibus, quae Donatariorum jurisdictionem restringebant, Diplom. 28. Jul. 1521. ibid. N. 115. p. 67. Curiarum Regni literae, quae et ipsius Regis, Ducis jurisdictioni et donationibus contrariae, eo inconsulto, executioni non dantur, Diplom. 15. Jul. 1454. apud Sous. tom. III. *Probat.* ad lib. VI. N. 28. p. 502. Alio Diplom. eod. ann. ibid. N. 29. causae forenses, de quibus Ducis Auditores notionem habent, ad Regios Magistratus ne sub specie quidem suspicionis devolvuntur. Cognoscunt Ducis Auditores de appellationibus et gravaminibus, securitatis literas,

et alieni officii functiones concedunt, et eadem denique, qua Regis Praetores, jurisdictione utuntur, eamque ultra triennium, et quamdiu successorem non adcipiunt, possunt exercere, Diplom. 29. Jul. 1521. apud Sous. tom. IV. *Probat.* ad lib. 6. N. 116. p. 68., 23. Jul. 1656., 17. Mart. 1650. Collect. I. ad Ord. lib. 2. tit. 45. §. 41. Nn. 1. 4. 5. Et haec satis instituto nostro.

Privilegia Brigantinae Domus in compendio veluti exhibet Sous. *Hist. Genealog.* tom. VI. pag. 695., et passim toto lib. VI. et VII. Magnum hunc Ducatum a Regia Corona sejunctum Theodosio Principi, et Lusitaniae Regum in posterum primogenitis, quorum sustentationi dignitatique tuendae nullum antea patrimonium ex publicis bonis adsignatum erat, Joannes IV. perpetuo administrandam dedit literis 27. Octobr. ann. 1645. datis, apud eundem tom. IV. *Probat.* ad lib. VII. N. 29. p. 792.: eum tamen Brasiliae Principes ad huc usque diem nunquam administrarunt; sed Reges eorum nomine. Subditorum Ducatus causis decidendis et olim, et hodie praeter Judices Ordinarios, et *foraneos* praepositi sunt quatuor Auditores provinciales in oppidis dictis *Villaviçosa*, *Ourem*, *Barcellos*, *Bragança*, a quibus olim ad Ducis Senatores adpellari fas erat; qui tandem hodie, et jam dudum una cum Auditore Patrimonii cessarunt, posteaquam specialis hanc in rem Curia creata fuit, cui Regimen dedit Petrus II. 19. Jul. 1687. tom. IV. Collect. Regim. Josephi Roberti Monterii pag. 416. cum seq. Eidem conjungendum Josephi I. Diploma 2. Jan. 1765. Ea vero, quae de Auditoribus dicta sunt, hodie intelligi debent ad mentem sensumque Noviss. Constit. 19. Jul. 1790. §§. 18. 19. 20.

### *De Magna Infantis Domo.*

§. LVIII. Regia Infantis Domus Joannis IV. literis 11. Aug. 1654. datis apud Sous. tom. V. *Probat.* ad lib. VII. *Histor. Geneal.* N. 53. p. 20. eisdem, quibus Brigantina, privilegiis, juribus, et jurisdictione ab initio utitur. Curia Infantis eodem qua:

que Bringatinae Domus Regimine utitur, Decret. Joannis V. 28. Novembr. 1749. Illius Auditores, quemadmodum Brigantini, correctionis jus valent exercere, alieni officii functiones dare, Diplom. 23. Jul. 1656., 14. Novembr. 1658., Sous. ibid. N. 61. et 64. pp. 31. et 34., et securitatis literas concedere, Diplom. 12. Febr. 1658. ibid. N. 63. p. 33. (etiam in delictis capitalibus, quod prohibitum in Decret. 24. Maii 1688.). Et haec satis.

Joannes IV. citatis literis 11. August. 1654. Petro Infanti, ejusque descendentibus legitimis Pacem Juliam in Ducatus titulum perpetuo dedit, eique hac in urbe eandem jurisdictionem concessit, quam Emmanuel, Pacensis et Visensis Dux, Joannis II. donatione 25. Maii 1489. habebat. Iisdem literis bona patrimonialia, et Regiae Coronae, Marchioni Villae Regalis confiscata, eidem Infanti dedit: et haec initia fuerunt Regiae hujus Domus in memoriam Emmanuelis, Pacensis primus Ducis, et tandem Lusitaniae Regis felicissimi, a Joanne IV. magnis rationibus institutae, ab eoque, et illius Regis Successoribus multis adcessionibus adauctae, cujus institutionem *in forma specifica* primus confirmavit Alphonsus VI. literis 15. Septembr. 1663. datis apud Sous. tom. V. *Probat.* ad lih. VII. N. 67. p. 35. Eandem non solum confirmavit, adauxit, et longe amplificavit Petrus II., sed quasi denuo condidit suo testamento 19. Septembr. 1704. apud eund. ibid. N. 78. p. 83., in quo certam fixamque in ea succedendi formam, lineas et gradus declaravit. Hoc autem testamentum, et omnia, quae in eo sunt disposita, pro lege quadam haberi debent; hunc enim vigorem ei non semel attribuit Petrus II.: habendus propterea in illius ordinatione non pro testatore aliquo privato, qui jure communi testatur, sed pro publico legum latore. Haec cum ita sint, non bene huic testamento conveniunt, et frustra illius valori objiciuntur, quae pro Regum testamentis infirmandis a doctis semidoctisque hominibus objici solent. Magnam autem hanc Domum denuo veluti condidit et firmavit Regina Fidelissima literis Ollisipone datis 24. Jun. 1789.

*Honras e coutos quid.*

§. LIX. Inter bona Regiae Coronae recte quoque numerantur ii conventus, et possessiones variae, quas Lusitane dicimus *honras e coutos*. *Honoris* nomine veniunt certi terrae tractus, et possessiones juxta Nobilis villam, seu palatium, quarum incolis certa indulta sunt privilegia, Ord. lib. 2. tit. 48. Eadem fere significationem habet verbum *couto*, quo generaliter intelligimus locum, in quem non omnes admittuntur. Hoc sensu *couto*, *coutada* vocatur tractus ille, in quo non nisi concessu alicujus venari licet, Ord. lib. 5. tit. 91., Emman. 111., Alphons. 46. Eodem sensu *couto* vocatur asylum, Ord. lib. 5. tit. 123. Eodem quoque sensu *couto* is locus dicitur, qui proxime non sub Regis, sed sub privati alicujus dominio subest, et in quo juridicus quidam conventus habetur, et ita adcipitur Ord. lib. 2. tit. 48., et lib. 5. tit. 104. Ceterum vocabulum *honras* ad laicos ferme, *cóuto* ad Ecclesiasticos, videlicet Episcopos et Monachos ut plurimum refertur; qui omnes ea tantum jurisdictione gaudent, quam ex donationibus antiquis et confirmatis habent, et Legi Mentali omnino subjiciuntur. Valasc. *de jur. emphyt.* quaest. 40. §. 26.

*Illorum jura.*

§. LX. Hos circa *honores* haec tantum dicta sufficiant; quod I.) antiqui dumtaxat *honores*, qui annum 1315. antecedunt, et a Dionysio Rege diversis Inquisitionibus probati fuerunt, valeant, Ord. lib. 2. tit. 48. in princ. : II.) quod privilegia *honorata* haec loca incolentibus concessa aestimanda sint ad praescriptum authenticae Dionysianae donationis, ex qua constare debent, §§. 1. 2. 8. ead. Ord. : III.) quod in dubio causae civiles ad *hono-*

ris, criminales ad loci judicem spectant, §. 3.: IV.) quod in locis *honoratis*, quibus non iudex, sed vicarius tantum est permissus, hic ne de civilibus quidem causis, sed de mulctis tantum agrariis, et de fluminum, aquarumve lapsu possit cognoscere, §§. 4. 6.: V.) quod si in eisdem locis iudex et vicarius concedatur, ille de civilibus causis notionem habeat, hic autem nulla jurisdictione gaudeat, §. 5. cit. Ord.

Diversas super hac re Inquisitiones jam alibi retulimus, Hist. Jur. Civ. Lus. §. LIV.; et Jur. Publ. Inst. tit. VI. §. XV. in Not., quo loco mentionem fecimus Petri II. Extravag. 10. Jan. 1692. Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 7. N. 2., qua ordinationes de *honoribus*, et civilibus asylis fuerunt revocatae. Illud hic subjungere placet, aeram, qua dictae Inquisitiones, et Dionysii literae datae proponuntur Ord. Alphons. lib. 2. tit. 65., et lib. 3. tit. 50., et apud Brand. P. V. *Mon. Lus.* in Adpend. Script. XXIII., diversam omnino esse ab ea, quae habetur Ordinatione, qua utimur, lib. 2. tit. 48., Emman. 40.: quae aliis examinanda relinquimus; non enim tanto abundamus otio, ut possimus his minutis, quae in regno forensi utilitatem nullam habent, immorari.

### De Behetriis.

§. LXI. Eas possessiones et feuda, quae *Behetrias* vocabant, postremis temporibus inter bona Regiae Coronae recensere non dubitamus. Hoc nomine vocabatur illud solum, cujus incolae facultatem habebant eligendi sibi in Dominum, quem voluerint. Earum mentio fit l. 3. tit. 25. Partit. IV. his verbis: *Behetria tanto quiere dezir, como herredamiento, que es suyo quito de aquel, que vive en el: e puede recibir por Señor a quien quisiere, que mejor le faga. E todos los que fuéren ensegnoreados en la Behetria, pueden y tomar condicho cadaque quieren; mas son tenudos de lo pa-*

gar a nueve dias. E qualquier dellos , que hasta nueve dias no lo pagasse , deuelo pechar doblado a aquel, a quien lo tomo . . . E de todo pecho, que los hijos dalgo llevaren de la Behetria, deve aver ElKey la mitad. E Behetria no se puede hazer nuevamente sin otorgamiento d'ElKey. De eisdem etiam agitur lib. VI. Nov. Recopilat. tit. III. inscripto : De lo que los hijos dalgo , y otras personas han de aver en las Behetrias. In nostris autem legum Codicibus ne verbum quidem de *Behetris* invenitur ; certum tamen est multas olim in Lusitania exstitisse , quarum jura et nomina inter alios referunt Cabed. P. II. post Arest. 104. pag. 200. , Fr. Emman. a Sanct. *Mon. Lus.* P. VIII. lib. XXII. cap. 35. p. 257.

Hanc in rem Marian. de *Reb. Hispan.* lib. XVI. cap. 17. : *In Castilla ulteriori oppida quaedam erant , quibus ducta ab antiquo consuetudine , Dominos pro re , proque voluntate mutere liberum erat. Quaedam ex universa ; ente promissis cum Principe jubebant , quem suis rationibus opportunum maxime judicarent : alia ex una tantum familia : utraque ab ea re Behetriae vulgo dicebantur.* (Qua voce Hispani utuntur , cum rem maxime perturbatam significare volunt. Idem de *Reg. et Regis instit.* cap. 3.) Hoc jure populus tantum liber , et sui juris utebatur : quare *Behetria* definebant : *Hum povo livre , que pôde escolher Senhores tolas as vezes que lho convier ; et liber* vocabatur , qui jam sub Saracenis suis moribus legibusque vivebat , vel qui propria virtute se ab immani eorum potestate liberaverat. Dominus , eo regendo adscitus , tyrannus non erat ; sed protector quidam et defensor , qui populum sibi creditum regeret humaniter et populariter. Eo mortuo , liber manebat , et Dominum alium eligere ac nominare poterat : inveniuntur tamen in Castilla et Portugallia *Behetriae* hereditariae , veluti *Villaenovae* prope *Amarantum* , cuius incolae *Alphonsus I.* , *Brigantiae Ducem* et *Successores* in perpetuum Dominos elegerunt literis apud *Suos.* tom. III. *Probat.* ad lib. VI. *Hist. Geneal.* N. 32. p. 511. , quas *Alphonsus V.* , seu potius *Petrus Infans* ejus nomine confirmavit *Eborae* 30. Jan. 1444. Hae vero *Behetriae* eadem

immunes erant a dominio feudali; sed dubitari tamen potest, an aequae a) Regni magno Feudo, seu Regiae Potestate principio immunes essent, et quomodo, quae via eidem postea subicerentur; quod in medio relinquimus. Illud certum est, Dominorum has electiones posterioribus temporibus, firmato jam Principatu, non nisi Regis confirmatione adcedente valere; et hoc jus erat, quod, imperantibus Ferdinando, Joanne I., Oduardo, et Alphonso V., nostra in civitate vigeat: itaque ab hoc tempore *Behetriae* inter bona Regiae Coronae recte adnumerantur, cum jurisdictio et imperium, quod eidem continetur, a Rege tantum proficisci ac derivari possit. In multis a locis *honoratis* differunt, cum *honores* a Rege tantummodo habeantur, et pro illius arbitrio, nemine requisito, cuicumque donari possint; quod contra est in *Behetris*, quas ab Emmanuelis Regis tempore omnino cessasse tradit, *Sous. Hist. Geneal.* tom. V. lib. VI. pag. 76.

### *Officia Palatina inter bona Regiae Coronae.*

§. LXII. Regiae quoque Domus officia inter bona Regiae Coronae adnumeranda; quod de majoribus tantum intelligendum, et de iis maxime, quae politicam habent jurisdictionem oeconomicae adnexam; itaque eidem legibus, quibus reliqua bona, gubernantur.

Quae olim fuerint, quaeve hodie sint Regiae Domus Officia, nostrum non est inquirere: videsis tamen *Lim. Geograph. Histor.* tom. I. cap. VII., *Castr. Mapp. Port.* tom. I. P. II. cap. 9., *Peg.* tom. XIII. ad Ord. lib. 3. tit. 5. in princ., cetera. Haec igitur Officia, quibus jurisdictio quaedam et auctoritas non mere oeconomica, sed civilis et politica adnexa est, inter bona Regiae Coronae non minus, quam justitiae, et Regii Patrimonii Officia Novell. 23. Novembr. 1770. recenseri debent; et dari solent vel ad vitas, vel in perpetuum, quemadmodum reliqua Coronae bona. Majores inter Officiales primum locum obtinet Regiae Domui Praepositus, *Mordomo Mór*; qui non modo in Aula omnibus praest, sed et Regis servitio mancipare quomvis, nobilium in codicem adscribere, et cetera obire potest, quae illius

Regimine continentur a Dionysio primum, et a Sebastiano Rege demum dato 3. Jan. ann. 1572. In nobilium numerum ab eodem, vel a Rege adscripti aliis praestant, qui specialim *Fidalgos do Conselho* vocantur, quo titulo gaudet Archiepiscopi, Episcopi, Comites, Palmelenses et Avisienses Magni Priores, Palatii Curiae Senatores Cancellarius Regni Maximus, Consilii Generalis Fidei Quaesitores, cet.; iique propterea dominicae adpellationis, hoc est, *Senhoria*, vocabulo publice et privatim honorantur, Diplom. 15. Jan. 1759. (Inst. Lib. I. Tit. X. §. XVIII.). Non multum ab eo dignitate distant, et civill quoque jurisdictione gaudent Aedilis Maximus, *Almotacé Mór*, Ord. lib. 1. tit. 18.; adsignandorum hospitiorum Magister, *Aposentador Mór*, illius Regimine definita 7. Septembr. 1590. tom. IV. Collect. Regim. Joseph. Robert. Monter. pag. 189., et apud Peg. tom. II. ad Ord. lib. 1. tit. 7. pag. 454.; Venatorum Regionum Praefectus, *Monteiro Mór*, qui Regimine hodie titur 20. Mart. 1605. a Philippo III. dato, tom. II. Collect. Manesc., de quo multa, caque scitu dignissima habentur apud Cabed. P. II. *Decis.* 90., Peg. tom. XIII. ad Ord. lib. 3. tit. 5. pag. 159.; ubi etiam transcriptum invenitur Regimen Judici, quem *das Coutadas* vocant, datum 18. Octobr. 1550. Et haec satis superque, ut intelligamus quae Officia Palatina inter Reginae Coronae bona haberi debeant. Huc autem non pertinent minora officia, quae ad nutum amoveri possunt, et nulla indigent confirmatione.

### *Jura nobilium privata.*

§. LXIII. Haec de jurisdictione, et publicis nobilium juribus. In privatis autem, quae sequuntur, recensendis eo nos breviores erimus, quo minus ea ad statum Lusitanae rei pertinent. Nobiles igitur Ord. lib. 5. tit. 120., Emman 67., Alphons. 94. recensiti, homagio, id est, liberae custodiae jure fruuntur in omnibus criminibus, capitalibus exceptis (Inst. Jur. Crim. Tit. I. §. XX.); quod distinguendum omnino est ab eo homagio, seu clientela, quam vassalli Domino, subditi Imperanti, et Officiales Militares Regi, eive (Regio semper jure salvo), a quo arcem defendendam adcipiunt, praestare solent,



solent, cujus formula habetur Emman. Ord. lib. 1. tit. 55. §. 4.; et apud Resend. *Chron. Joannis II.* cap. XXVIII., ejusque mentio fit Ordinatione, qua utimur, lib. 1. tit. 74. §. 2. Nobilium scriptura privata fidem facit, Ord. lib. 3. tit. 59. §. 15. Eorum declarationi sine aliis probationibus fides adhibetur in casu Ordinationis lib. 4. tit. 33. §. ult.; cet. Illud vero non nobilibus promiscue omnibus, sed primariis tantum in civitate viris concessum est, quod non possint sine Regis speciali licentia in publicos carceres detrudi, Ord. lib. 5. tit. 119. §. 3. De Senatorum juribus, et privilegiis, quae si dicendum quod res est, multo majora sunt, quam utilitas publica exigere videtur, prolixus titulus exstat Ord. lib. 2. tit. 59. Emman. 43. Nobilium quoque famulis, villicis, colonis multa sunt privilegia concessa, de quibus Ord. lib. 1. tit. 66. §. 43.; tit. 67. §. 10., et lib. 2. tit. 58., et tit. 53. §§. 1. 3. 4. 5. 6. 7.; quae deducta fuit ex Joannis I. lege ad populi rogationem lata apud Ord. Alphons. lib. 2. tit. 64.; quae ferme omnia ex antiqua militia originem suam trahunt; qua quidem cessante, et in illius locum lecta, et stipendiaria suffecta, eadem privilegia cessare quoque videntur, vel saltem restringi, et saeculi genio, moribusque adcommodari debent.

*Exemptio quando loci Domino noceat.*

§. LXIV. Illud etiam hic subjungere placet; privilegium exemptionis, loci alicujus incolae concessum, illius Domino non nocere, Ord. lib. 2. tit. 57., Emman. 25., deducta ex Joannis I. lege quadam, Ordinatione Alphonsina relata eod. lib. tit. 45, quae intelligenda est de privilegio post donationem dato; quo casu Donatario praejudicium resultat, eique jus donatione quaesitum aufertur (Tit. II. §. VII. Not. h. l.). Quare domino nocet

exemptio ante donationem concessa; is enim rem in eodem statu, quo donata fuit, recipere debet. Eidem similiter nocet exemptio etiam post donationem, quando loci incola in certum postea ordinem adscriptus fuit, ad quem immunitas ex publicis legibus, vel Foralibus pertinet, §. 1. cit. Ord., quae desumpta fuit ex Alphonsi V. declaratione ad praedictam Joannis I. legem. Valasc. *Cons.* 12., Cabed. P. II. *Decis.* 93. §. 2., et Arest. 57. Ego vero existimo exemptionis privilegium, quocumque tempore concessum dicatur, sive ante, sive post donationem, valere, nisi obreptionis, vel subreptionis vitio laboret, quod literas omnes nullas reddit; Ord. lib. 2. tit. 43., Emman. 23., Alphons. 38., Extravag. 30. Octobr. 1751.; verbo namque *não prejudicará* in rubrica, et principio Ordinationis non significatur privilegium nullius momenti esse (jure enim concessum supponimus), sed Domino praepredicium ex illius concessione re ipsa non inferri, cum damna a Rege privilegium concedente resarciri, ab eoque similia alia et aequivalentia jura peti possint. Donatarios autem cujuscumque ordinis his omnino legibus teneri, quibus, publica causa exigente, illorum jura a Regia Corona habita immuniuntur, tam certum est, quam quod certissimum, Decret. 24. Maii 1775. ad Regii Patrimonii Consilium missum; recte tamen possunt compensationem petere, quae ut plurimum Regis liberalitate conceditur.

• *Nobilibus quaedam interdicta.*

§. LXV. Denique, antequam hinc recedamus, in transcurso veluti adnotare non abs re erit, non nulla esse, quae nobilibus speciatim prohibentur, a quibus scilicet abstinere debent. Et inter alia, quae suis locis dicemus, non possunt bona in op-

pidis Regnum propriis, hoc est, *Reguengos*, habere, Ord. lib. 2. tit. 17., Emman. 7., Alphons. 13.; pro aliis procurare, Ord. lib. 1. tit. 48. §. 22., et lib. 3. tit. 28. in princ., iudicium, et aliorum Civilis Concilii electionibus interesse, Ord. lib. 1. tit. 66. §. 30., et tit. 67. §. 12.; alieni juris cessiones adceptare, Ord. lib. 3. tit. 39., l. 2. C. *Ne liceat potentioribus*, l. 1. Cod. Theod. eod. De illorum causis Provinciae Praetor specialem curam; et notionem habet; quas propterea a quocumque iudice avocare potest, Ord. lib. 1. tit. 58. §. 22.; criminales item causas, veluti injuriarum etiam levis momenti, quas actor ipse remisit, iudex ex officio prosequitur, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 30.

*Novella Reginae de Donatariis Constitutio.*

§. LXVI. Quae de Donatariorum jurisdictione hucusque diximus; ad mentem et sensum Novell. Constit. 19. Jul. 1790. intelligi debent, quae, postquam haec scripta sunt, in lucem prodit. Hac igitur Novella Regina Fidelissima privilegia omnia exemptionis a Correctione, Auditores, et differentias eos inter et Praetores a Rege nominatos exstinxit et abolevit; statuitque, ut in oppidis Donatariorum primi ordinis: veluti Magni Magistri Ordinum Equestrium, Beginarum, Brigantini Ducis, et Infantis non jam Auditores; sicut antea, sed Praetores ab eisdem Donatariis nominati praeficerentur (§. XII. h. t.), qui in Auditorum locum substituti eadem, qua Regii Praetores, jurisdictione, et eodem Regimine in Ord. lib. 1. tit. 58. et Extravagantibus contento uti debent; itaque, Auditoribus exstinctis, qui de adpellationibus cognoscebant, exstincta quoque est secunda *instantia*, eaque a iudice *foraneo*, vel *ordinario* ad Regis Curiam competentem recta via interpone<sup>nda</sup> est:

extincta etiam sunt privilegia ea omnia, quae horum civium incommodo adinventae, justitiae administrationem vel deficietorem, vel inaequalem reddunt, et cives generaliter omnes eodem aequali, et communi jure hac in parte utuntur. Extincti similiter sunt Auditores in oppidis Donatariorum secundi ordinis, quales hanc in rem habentur sine ulla praerogativa Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones, et oppidorum Domini, iique non solum Auditores, sed et Praetores (quod primi ordinis Donatariis conceditur) nominare prohibentur. Iis tamen concessum in magnis oppidis, ad quorum jurisdictionem minora non nulla pertinent, judicem *foraneum* Regi consulere, et in minoribus *ordinarium* nominare, aliorumque officialium electiones adprobare, Lusitanice dicimus *apurar as pautas*: quae duo singularia sunt, et antiquis novisque Ordinationibus Donatariis denegata, Ord. lib. 2. tit. 45. §§. 2. 13., et lib. 1. tit. 67., et tit. 66. §. 30. Archiepiscopo autem Bracarensi, illius Curia temporali extincta, iudices *foraneos* civiles, et criminales, et Praetorem juri Bracarae dicundo eligere, eosque Regi confirmandos offerre conceditur. Extinguuntur quoque honores et *coutos* limitati, Capitulis Episcopalibus, et Monasteriis concessi, si iudices *ordinarii*, vel *foranei* commode in eis haberi non possint, et jurisdictione omnis civilis, quam his in locis Praelati Ecclesiastici vel per se, vel per alios, veluti Adsessores, exercebant. Et haec summa est celeberrimae hujus Constitutionis.

## TITULUS IV.

### De parentum in liberos potestate.

#### *Alia civium divisio.*

§. I. **N**on modo *civium Romanorum*, ut Ulpianus ait l. 4. *de his, qui sui, vel alieni juris sunt*, verum et Lusitanorum *quidam sunt patresfamilias, alii filiifamilias; quaedam matresfamilias, quaedam filiaefamilias*. Et haec nimirum quarta personarum divisio est.

#### *Patresfamilias qui dicantur, et filiifamilias.*

§. II. Filii, filiaeve; et patris, matrisve nomen naturale est; patresfamilias, vel filiifamilias civile: Patres, et matresfamilias dicuntur, qui sui juris sunt, suaeque potestatis, sive puberes, sive impuberes; filiifamilias, et filiae, qui, quaeve in aliena sunt potestate, et ad alienam, id est, patris familiae spectant.

#### *Familia quid.*

§. III. Per familiam proprie intelligimus *plures personas, quae sunt sub unius potestate, aut natura; aut jure subjectae* veluti paterfamilias, filiusfamilias, et deinceps; improprie hoc nomine generaliter significantur quicumque *ex eadem domo et gente prodierunt*, veluti agnati, cognative; Ulp. l. 195, §. 2. *de verbor. significat.*

#### *Familiae jura.*

§. IV. Ex statu familiae certa acquiruntur jura his, qui ad familiam spectant, illiusque membra



et veluti socii sunt; verum alia sunt jura parentum, alia filiorum, cognatorum, et agnatorum alia. Paterfamilias autem jus habet in uxorem, et liberos.

*Patria potestas, et illius fundamentum.*

§. V. Major certe patris in liberos, quam in uxorem potestas est, de qua Tit. VII. Per patriam hanc potestatem intelligimus imperium domesticum in personam liberorum, eorumque bona, et actiones, lege datum, et permissum, vel quia partes sunt et portiones corporis parentis, vel quia ad patris domum, et familiam spectant, vel quia denum educari nullo modo possunt, quin illorum actiones ab alio dirigantur, adeoque in alicujus, id est, patris esse debent cura, tutela, et potestate. Haec autem et jura naturali, et civili Patrio tanta est, quantam requirit educationis officium (Inst. Jur. Crim. Tit. IV. §. XI. Not.).

*Paterfamilias tantum competit, non matri.*

§. VI. Jam vero patria potestas utrique parenti communis est jure naturae, et civili Wisigothico lib. IV. tit. V. l. 1. ibi: *Flagellandi tamen et corripiendi eos (liberos), quamdiu sunt in familia constituti, tam avo, quam aviae, seu patri, quam matri potestas manebit: cui consequens est, quod eodem lib. IV. tit. II. l. 13. statutum invenitur: Patre mortuo, filii in matris potestate consistent. Quod si, marito superstite, uxor forsitan moriatur, filii, qui sunt de eodem conjugio procreati, in patris potestate consistent.* Ab hoc tamen jure tandem discessum est; jus namque nostrum circa parentum in liberos potestatem, quo hodie et jam diu utimur, ex jure novo Romano ferme deductum est. paucis exceptis, quae suis

locis indicabimus; adeoque patria potestas non jam utrique parenti, sed patri tantum competit (§. XV. h. t.).

Patriae potestatis effectus civiles hodie non amplius exstare adserunt Gudelin. *de jur noviss.* lib. I. cap. 13. §. 5., Bugnyon *de legib. abrogat.* lib. I. Satyr. VI., et pauci alii: sed cum Patriae leges plures ejusdem potestatis effectus admittant, eamque patri tantum tribuant, illorum opinio apud nos locum habere non potest. Neque profecto ab uno, aliove effectu patriae potestatis cessante illius in totum abrogatio elicienda.

*De vitae et necis in liberos, et venundandi jure.*

§. VII. Subjiciuntur ergo filii imperio tantum et potestati patris, sed non dominio, uti jure Romano. Quare nunquam apud nos receptum fuit jus vitae et necis in filios; sed modica tantum castigatio, permissa Wisigothorum legibus lib. IV. tit. V. l. 1., et nostris Ordinationibus lib. 5. tit. 36. §. 1., et tit. 95. §. 4. (Inst. Jur. Crim. Tit. IV. §. XI.): neque jus venundandi liberos, etiam necessitate cogente; imo expresse prohibitum eisdem legibus lib. V. tit. IV. l. 12., quae ita se habet: *Parentibus filios suos vendere non liceat, aut donare, vel oppignerare. Nec ex illis aliquid juri suo defendat ille, qui adceperit, sed magis pretium, vel sepositionis commodum, quod dederat, perdat, qui a parentibus filium comparavit.* Ostrogothi contra liberos alimentorum gratia vendi patiebantur, Edicto Theodorici cap. 94.; quod eisdem quoque citatis Ordinationibus, et concordantibus interdictum est (Inst. Lib. I. Tit. III. §. V.).

*Actionis ad liberos vindicandos, et exhibendos usus et fundamentum.*

§. VIII. Recipi tamen, et aliquando usum fortasse habere potest actio *rei vindicationis*, quae

patri, filio ab alio retento, competit jure Romano; l. 1. §. 2. *de rei vindicat.*; *ad exhibendum*, l. 1. *de liber. exhibend.*; *furti*, l. 14. §. 13., l. 38. *de furt.*, quamvis non eadem ratione et fundamento innitatur, id est, dominio Quiritario, quod merum figmentum est, sed jure sanguinis, tutelae, et familiae, quod ab officio paterno nunquam abesse potest, quodque in judicio prosequi licet praejudicialibus actionibus, siye civilibus, siye criminalibus, Ord. lib. 4. tit. 28. in fin., §. 10. *Iust. de public. judic.*

### *Defensio liberorum.*

§. IX. Hujus potestatis, et imperii domestici, quod pater in liberos exercet, plures recensentur effectus: nam primum cum legibus nostris non modo procuratores, sed etiam defensores aliquando admittantur, Ord. lib. 3. tit. 7. §§. 2 3., pater legitimus filii defensor est, et sine ejus mandato potest illius causam tam civilem, quam criminalem, etiam capitalem in judicio defendere, et procurare; vel quia defensio filii omnino ad patris officium pertinet, vel quia jus suum in judicio prosequitur, dum filii causam defendit.

### *Educatio.*

§. X. Ad illius autem officium quam maxime spectat liberorum educatio. Educandi ergo, et alendi liberi, legitimo stante matrimonio, de communibus bonis; eo soluto, de paternis tantum, Ord. lib. 4. tit. 99. in princ., Emman. 68., Alphons. 92. Mater in subsidium dumtaxat tenetur ead. Ord. §. 2., et lib. 1. tit. 88. §§. 11.; infantes autem, qui tertium aetatis annum non excedunt, propriis expensis educare, et suis uberibus nutrire cogitur, si ejus conditionis fuerit, et lacte non desecerit,



Ord. dict. tit. 88. §. 10, et lib. 4. tit. 99. in princ. et §. 1. Filii naturales eodem modo a patre, matre, et cognatis tandem educari debent; Monachorum vero, et alienarum mulierum filii de publico alendi sunt ex citatis Ordinationibus lib. 1. tit. 88. §. 11.; et lib. 4. tit. 99. §. 1. 2. *Gama Decis.* 304., *Valasc. Cons.* 92., *Petrus Barbosa ad leg. 1. D. solut. matrim.* P. IV. n. 64. et seq.; paulo aliter jure Romano, *Authent. Ex complexu C. de incest. et inutilib. nupt.* Educationis, et alimentorum nomine veniunt cibaria, vestimenta, habitatio, et quaecumque ad filii disciplinam spectare videntur, pro illius tamen conditione, qualitate, et facultatibus, Ord. dict. lib. 4. tit. 99. in princ.: *segundo seu stado e condição*, et lib. 1. tit. 88. §. 15. in fin. ibi: *segundo a qualidade de suas pessoas e fazenda.*

*Patris alia in filio jura.*

§. XI. Patri similiter tantum concessum, quod recte filio possit testamento tutorem dare, Ord. lib. 4. tit. 102. §. 2.; pupillariter substituere, Ord. lib. 4. tit. 87. §. 7., cetera ex jure Romano petita. Illud etiam patri tantum, non matri concessum, quod filium cujusvis aetatis, utut illius opera utatur, nunquam pretio conductum habeat, neque propterea eidem mercedem aliquam solvere teneatur, Ord. lib. 1. tit. 88. §. 13. Pueris, qui ejus conditionis sunt, ut alieno servitio mancipari possint, non nisi post septenium salarium debetur, Ord. supra, et lib. 4. tit. 31. §. 8. ibi: *E aos moços, ou moças pequenos, menores de sete annos, não se julgará soldada alguma.* *Caed. P. I. Decis.* 162.

*Legitimus bonorum administrator.*

§. XII. Bonorum similiter filiorum, quos in sua potestate habet, administratio patri tantum permessa, Ord. lib. 1. tit. 88. §. 6. ibi: *E deixarú os bens em poder do pai, porque elle per direito he seu legitimo administrador.* Quia vero administrator est, non dominus, ea non potest vendere, alienare, sed illorum solum fructibus, et redditibus uti in commune societatis et filiorum bonum ex dicta Ord. vers. *Porem.* De consensu tamen filiorum, et eorum nomine, si puberes sint, alienatio fieri valet. Barbosa P. IV. l. r. n. 155. D. *solut. matrim.* In iudicio quoque filii impuberis causam pater solus agere, defendere, et procurare valet; puberis non nisi illius consensu, qui una cum patre citari debet, Ord. lib. 3. tit. 41. §. 8., Gabr. Perer. *Decis.* 19. Suae etiam administrationis pater, quemadmodum reliqui administratores, ad rationes reddendas tenetur, ab eaque ob dolum, vel culpam removeri potest, Ord. lib. 3. tit. 9. §. 4. verbis: *se as o dito pai dissipar, gastar, ou em tal maneira damnificar, que o filho as não poderá despois recobrar ao tempo, que lhe houverem de ser restituídas.* Valasc. *prax. partit.* cap. 18. a n. 30.

*Peculium filiorum.*

§. XIII. Patris autem administratio diversa est pro diversa bonorum qualitate et differentia. Bona *profectitia* patris omnino sunt, et, eo mortuo, conferri debent, Ord. lib. 4. tit. 97. §. 17. *Castrensiá*, et *quasi* omnino filiorum, §. 18. In *adventitiis* ususfructus ad patrem pertinet, proprietas filiorum est, §. 19. Excipiuntur aliqui casus, quibus ususfructus patri denegatur; I.) si quid filio reli-

ctum sit, ea conditione adjecta, ne ad patrem proveniat ususfructus: II.) si pater ususfructum renuntiaverit: III.) si filio obstitit, quominus rem sibi datam donatamve haberet: IV.) si intra bi-mestrem a matris obitu inventarium non confecerit: V.) si rem filius Principis liberalitate adquisierit: VI.) si eidem ususfructus legatus, donatusve fuerit, cum servitus servitutis dari non possit, Ord. lib. 4. tit. 98., Emanan. tit. 78. §. 4., et lib. 1. tit. 88. §. 8., et lib. 3. tit. 9. §. 3., deductis ex §. 1. Inst. *per quas person. cuiq. acquirit.*, ll. 6. 7. et ult. C. *de bona quae liber.*, Authent. *Excipitur C. eod.*

Peculium inter et patrimonium, et peculiorum inter se differentia e jure Romano petenda est: sed vero distinguendum hodie peculium *profectitium*, id est, pusilla pecunia, quam pater filio ad negotiandum, ejusve industriae exereendae causa dedit, quod pater filio pro libito adimere potest, in suos usus convertere, vel aliis filiis donare, ab ea pecunia, et iis bonis, quae ab extraneo filio donata sunt, utut patris contemplatione, de quibus libere disponere non potest: adeoque hoc peculium tamquam *adventitium* censi debet, quod aliter jure Romano statutum est §. 1. Inst. *per quas person. cuiq. acquirit.* Neque etiam hodie indiscriminatim patri concedendam, quod in ipso peculio adventitio ordinario ususfructum semper habeat. Nam, quae filius, operas suas aliis locando, vel quae artis alicujus, opificiive ratione, cui addictus est, acquirit, illius omnino sunt, eaque propterea summa injuria pater vindicaret. Distinguendum quoque est peculium *profectitium* filio concessum, ut illud a paternis bonis separatum habeat, et patris nomine administret, a donatione facta filio emancipato, vel in potestate constituto, quae utique valet, et Ordinatione lib. 4. tit. 97. §. 3. expresse approbatur, modo filii legitimam; et tertiam non excedat: itaque a patre pro libito revocare non poterit, quemadmodum peculii administratio, nisi ingrati crimen superveniat: neque ratio juris Romani, quod patris, et filii una eademque sit persona, et quod pater, cum filio donat, sibi donare videatur, legibus nostris, vel moribus etiam post illius receptionem accommodari po-

test. In Castella valida etiam est donatio inter patrem et filium ex l. 17. *Tauri*, et 1. tit. 6. lib. V. Recopilat. Stryckius ad Pandect. lib. V. tit. 1. §. 5. Denique animadvertendum, quod si jure Romano et Patrio in favorem sagatae, et togatae militiae filio omnino concessum quidquid ex hac causa acquirit, id est, peculium *castrense*, vel *quasi*; quare non idem hodie dicendum et adplicandum est bonis *adventitiis*, quae filius proprio labore et industria comparavit? Neque profecto acquisita ex advocazione majore favore digna sunt, quam ex opificiis, commercio, agricultura.

*Quando ex facto filiorum pater obligatur.*

§. XIV. Filiusfamilias promittendo, vel delinquendo patrem civiliter non obligat, sed obligat ex omnibus causis, mutuo excepto, in pecunia numerata consistente, Ord. lib. 4. tit. 50. §. 2., naturalem enim, et civilem personam habet, l. 39. *de obligat. et actionib.*, l. 57. *de judic.*: pater autem conveniri potest actionibus *de in rem verso*, *quod jussu*, *institoria*, et *de peculio*, ead. Ord. §. 3.

Senatusconsultum *Macedonianum*, quo efficax actio denegatur ei, qui filiofamilias mutuum pecuniam dedit, expresse adprobatur Ord. lib. 4. tit. 50. §. 2.: quare de illius inter nos usu et auctoritate jam non licet dubitare; illud tamen inter illustres praesertim vix frequentatur; illorum enim dignitatem et publicam existimationem quadammodo suggillare videtur. Actio de peculio, de qua in praefata Ordinatione §. 3., locum certe non habet in *castrensi* vel *quasi*, neque in *adventitio* extraordinario, in quo filius pro paterfamilias habetur. In ordinario cum pater usumfructum habeat, et administrationem, judicium utique hujus peculii ratione suscipere tenetur, siye agat, siye conveniatur: ex contractu tamen filii non tenetur; in illius enim potestate esse non debet suo facto jus paterni ususfructus, eo inscio, imminuere: quod si consenserit, peculio tenus conveniri potest: actionis ergo de peculio in *profectitio* tantum usus est. Quod vero in l. 44. D. *de pecul.* Ulpianus ait: *Si quis cum filiofamilias contraxerit, duos*

*habet debitores; filium in solidum, et patrem dumtaxat de peculio, vercor an in foro possit obtinere.* Nam si sequum est, patrem, qui peculium filio administrandum dedit, intra illius vires teneri, iniquum e contrario est, filium obligari, qui rem alieno nomine, id est, patris, gessit, nec commodum ullum ex sua administratione percepit, et ne percipere quidem poterat, cum quidquid ex ea adquisierit, patri, non sibi adquirat, l. 79. D. de *adquir. vel omitt. heredit.*: neque profecto juris Romani ratio, quod scilicet *filius contraxerit, et civilis obligationis capax sit*, cum ipse in parentis commodum, et utilitatem, non in suam contraxerit, nec fidem suam interposuerit, tantae auctoritatis esse debet, ut propterea condemnari possit. Idem a fortiori de filio institore dicendum, qui ex contractu in patris praeponentis utilitatem inuito non nisi intra vires administrationis sibi commissae obligari potest: itaque de patris tantum bonis, cujus fidem creditores sequuti sunt, non de suis solvere tenetur. Huc non pertinet filius, qui seorsum vivit, et separatam a patre habet oeconomiam; emancipatus enim hoc ipso videtur: adeoque ex illius gestis ipse tantum, non pater obligatur, nisi illius jussu contraxerit, vel pecunia in ejus utilitatem sit versa (Inst. Lib. IV. Tit. IV. §. VI.). Denique illud subjungere placet, verbo *emprestido*, hodie *emprestino*, significari generaliter tam mutuum, quam commodatum, Ord. lib. 4. tit. 50.: *Do emprestido, que se chama mutuo*, et tit. 53. *Do contracto do emprestido, que se chama comodatado*.

### *Matris potestas.*

§. XV. *Matris in liberos potestas non civilis juris est, sed naturalis: itaque illa tantum jura ei tribuenda, quae ex indole hujus potestatis, et ex reverentia utrique parenti debita derivantur. Quare non potest I.) sine venia a filio in jus vocari, Ord. lib. 3. tit. 9. §§. 1. 2. 3.: II.) filium debet nominatim instituere, vel exheredare, Ord. lib. 4. tit. 82. §. 1.: III.) eum educare saltem in subsidium, Ord. lib. 4. tit. 93. §§. 2. 3., IV) exemplariter substituere potest, Ord. lib. 4. tit. 87. §. 11.: V.) tutorem testamento dare, a Magistratu tamen confirmandum,*

Ord. lib. 4. tit. 102. §. 2.: VI.) illius tutelam gerere, si secundis nuptiis, et *Velleiano* renuntiaverit, Ord. lib. 4. tit. 102. §. 3.: VII.) alimenta ab eo petere, Deliberat. Senat. Olisiponens. 9. April. 1772., quam confirmavit Regium Josephi I. Diplom. 29. Aug. ann. 1776. Vid. Tit. VI. §. XI. et seq. h. lib.: VIII. et illius, seu ventris nomine in possessionem honorum mitti, Ord. lib. 3. tit. 18. §. 7., cet. (§. VI. h. t.).

Quamvis, jure Romano in Academia, et in foro tandem recepto, patria civilis potestas non jam utriusque parenti communis sit; non ideo dicendum est jus ipsum legibus nostris, vel moribus in universum fuisse receptum. Nimirum patria potestas apud nos perpetua non est, et cessat filii dignitate, vel separatione, cum suo arbitrio, et a patre seorsum vivere coepit, et quando filia per nuptias in aliam familiam transit: neque ad nepotes porrigitur; ii enim, vivo et superstite avo, non in illius, sed in patris potestate sunt: neque jam filius pro una eademque persona cum patre habetur; adeoque inter patrem et filium et pactiones recte inveniuntur, et lites, et actiones inde nascuntur. Quae quidem omnia, et alia non nulla, quae sequenti titulo adnotabimus, clare demonstrant Romani et Patrii juris parentum in liberos potestatem aliam atque aliam esse. Matri quoque eadem ferme, quae patri in liberos, jura conceduntur, si honorum administrationem excipiamus, et pauca alia, quae ex dicendis suo loco constabunt.

## TITULUS V.

Quibus Modis Jus Patriae Potestatis Adquiritur,  
et Quibus Solvitur.

*Modi acquirendi patriam potestatem.*

§. I. **L**iberi aequè ac servi tam jure Romano, quam Patrio aut nascuntur, aut fiunt. Nascuntur ex justis nuptiis, quibus sponsalia praecedere solent; fiunt vel per legitimationem, vel per adoptionem; et his potissimum modis patria potestas acquiritur.

*Sponsalia minorum.*

§. II. In sponsalibus filiorum familias et minorum non solum illorum consensus desideratur, si quod agunt, intelligant; sed patris, matrisve, tutoris, et curatoris, quorum in potestate sunt: ii vero si injuria consentire recusaverint, et prohibuerint uxorem ducere, vel nubere, illorum consensus, causa cognita, per provinciae Praetorem, vel Regium Provisorem, vel in Palatii Curia pro filiorum qualitate suppletur. Emancipati, et majores viginti quinque annis suo tantum arbitrio nubere, et sponsalia celebrare possunt; ea quippe non irritat defectus consensus paterni, qui solum de honestate, non necessitate requiritur, Nov. Const. 6. Octobr. 1784.

Haec omnia aliter se habent jure Canonico, et Civili Romano, quod patris tantum, non matris consensum requirit, l. 7. §. 1. *de sponsalib.*: et tutoris tantum, non curatoris, quia bonis, non personae datur,

l. 20. *de rit. nuptiar.* Quod vero parentes, qui liberos non jure prohibuerint uxores ducere, per Proconsules, Praesidesque provinciarum cogantur eosdem in matrimonium collocare et dotare, Septimii Severi, et Antonini Caracallae Constitutione, et capite 35. *Legis Juliae* constitutum erat, l. 19. *de rit. nuptiar.* Jure autem Canonico filii, filiaeque familias, et pupilli, pupillaeve septennio majores sponsalia valide inire possunt, insuper habito parentum, tutorumve consensu, *Trid. Sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim.*

*Quomodo probentur, et de poena sponsalibus adjecta.*

§. III. Sponsalia non nisi per scripturam publicam eadem Novella probari possunt, eisdemque recte poena adjicitur, quam a contractu sponsalium temere recedens praestare tenetur: ea autem non adjecta, eum iudex tanti condemnare debet, quanti parti laesae interest.

Haec etiam contra Canonici, et Romani juris rationem constituta sunt; et bene sapienterque constituta. Nam, hoc jure inspecto, sponsalia nullam fere solennitatem desiderant; et probari possunt jurejurando, testibus, et instrumentis, tam publicis, quam privatis: publica autem instrumenta dicta Novella requirit, quae denuo nihil hac in parte constituit, sed confirmavit Ordinationem lib. 3. tit. 59., quae quidem scripturam publicam in omni contractu, qui summam eadem definitam excedit, adeoque in sponsalium (eum quippe neque verbis, neque sententia excipit) pro probatione desiderat. *Vid. Inst. Jur. Public. Tit. VIII. §. VI. et seq.* Poena quoque jure Romano sponsalibus adjecta nulla erat, quia inhonestum visum est vinculo poenae matrimonia obstringi, sive futura, sive jam contracta, l. 134. *de verbor. obligat.* Jus Canonicum poenam similiter in sponsalibus improbare videtur, cap. *Gemma* 29. X. *de sponsal.*: sed bene *Rieg. Inst. Jurispr. Eccles. P. IV. §. 16.* affirmat: *Quod nec legi Divinae, nec Ecclesiasticae, nec naturae negotii repugnat, ut injuste resiliens a contractu sponsalium parti laesae poenam soleat.*

*Actio*



*Actio sponsalitia.*

§. IV. Quamvis ex sponsalibus actio perfecta resultet jure Canonico, cap. 31. *de sponsalib.*, secus jure Civili, l. 2. *C. de repud.*; tamen cum libera esse debeant matrimonia, et coactiones difficiles exitus habere soleant, cap. 2. et 17. *de sponsalib.*; qui fidem datam servare noluerint, monendi quidem sunt ad matrimonium contrahendum, sed non cogendi directa via; indirecta autem, id est, poenae in sponsalibus adjectae, vel ejus, quod parti laesae interest, solutione, bene cogi possunt; neque aliam coactionem praefata Novella admittere videtur.

Dubitatur, an qui factum generaliter promisit, praestando id, quod interest, liberetur, de quo inter alios Thomasius singulari Dissertatione disputavit (Inst. Lib. IV. Tit. II. §. V.). Sed profecto in re, de qua agimus, liberari debet: grave enim est liberum hominem, vel mulierem, invitum, invitamve, et reluctantem, velit nolit, conjugii vinculis obstringere, quod *gravis sarcina merito vocatur* can. 7. Caus. XXXII. q. VII. Et quid pertimescendum ab eo non est, qui eam, quam odio habet, uxorem ducere cogitur? Cap. 2. *de sponsalib.* Quare sponsalitia actio alterna est, et a iudice condemnari reus debet vel ad matrimonium, uti promisit, contrahendum, vel ad poenam, quam spondit, praestandam, vel, ea non adposita, ad id, quod interest, ab eodem iudice ex circumstantiis aestimandum. Coactio per censuras ecclesiasticas, quam adprobat Pontifex in cap. 10. *de sponsalib.*, vel per carceris poenam, quam iudices non nulli decernere solent, multum quidem obstat libertati matrimonii, neque in causa mere civili, qualis est sponsalitia, locum habere potest. Eybel in *jur. Ecclesiast.* lib. II. cap. 13. *de stat. conjug.* §. 347. in Noj. Appellatio deinde in hac causa (quod notandum est) semper habet *effectum suspensivum*: quamvis enim dicta Novella Constitutione actioni sponsalitiae eadem, quae actioni, quam dicimus *Assiguação de dez dias*, natura tribuatur, in qua sententia executioni mandatur, non obstante appellacione, Ord. lib. 3. tit. 25.; si idem prorsus

obtineret in causa sponsalitia, evenire aliquando poterat, quod condemnatus in prima instantia, qui matrimonium propterea contrahere coactus fuit, absolutus in secunda ab eodem discedere cogeretur; quod absurdum est.

*Matrimonium solo consensu nuptiali perficitur.*

§. V. Matrimonium legitimum et ratum mutuo contrahentium consensu perficitur; *nuptias enim non concubitus, sed consensus nuptialis facit*, l. 30. *de reg. jur.*; et sufficit ad matrimonium solus consensus eorum, de quorum conjunctionibus agitur, cap. 23. *de sponsalib. et matrim.* Sed vero quamvis contrahentium solus consensus satis sit ad valorem matrimonii, impune illud contrahere non possunt, Rege, vel parente inconsulto, iudices temporalem jurisdictionem exercentes, nobiles, filifamilias, minores, ceteri.

Qui sponsalia, invitis parentibus, et aliis, qui consentire debent, contraxerint, nullam incurrunt poenam: obligatio tamen sponsalitia nulla est, et effecta civili destituitur ex dicta Novell. 6. Octobr. 1784. Matrimonium autem contra Patrias leges contractum, quae parentum et aliorum consensum requirunt, validum est: istud vero contrahentes poenis, eisdem Patriis legibus definitis, omnino subjiciuntur. Vid. Inst. Jur. Publ. Tit. V. §. XLV. in Not.

*Regis consensus in nuptiis quando necessarius.*

§. VI. Praetores provinciarum, Provisores, Auditores, Iudices foranei, ceteri, qui jurisdictione temporali utuntur, si, Rege inconsulto, provinciale mulierem, vel ibi domicilium habentem, uxorem duxerint, ab officio removeantur, quamvis sponsare non prohibeantur; eis autem licet post officium depositum nuptias contrahere, Ord. lib. 1. tit. 95., Decret 26. Mart. 1734. *ibid.* Collect. II.

N. 1. Mulieres jurisdictionem, vel certos annuos redditus a Rege habentes, si, eo non consentiente, nupserint, bonis Regiae Coronae privantur, Ord. lib. 2. tit. 37., Emman. 47. Eadem poena ad masculos postea producta fuit Philippi III. Extravag. 23. Novembr. 1616. apud eandem Ord. Collect. 1. N. 1. Nobiles, qui a Rege publica bona non habent, sine illius licentia bene possunt matrimonium contrahere.

Ord. lib. 1. tit. 95. singularis est, non enim in Emmanuelino et Alphonsino Codice invenitur: ea vero ad literam ferme fuit descripta ex l. 38. de rit. nuptiar., cujus nullus usus est, teste Groenewegenio, Perezio, Wissembachio, et aliis. Dicendum ergo est iudices temporales jure posse mulieres provinciales ducere, modo vis absit et concussio; et ita hodie praefata Ordinatio intelligenda videtur.

*Et parentis, tutoris, curatoris, et domini dominae.*

§. VII. Filii, et filiae familias, et minores, qui, quaeve sine patris, matrisve, et tutoris, curatorisve consensu nupserint, familia privantur, Nov. Const. 19. Jun. 1775. Eorum tamen consensus, injuria denegatus, a iudice suppleri jubetur alia Constit. 29. Novembr. eod. ann., et 6. Octobr. 1784. Qui in alicujus famulatu fuerit, si illius filiam, et consanguineam, ad finemve intra quartum gradum, aut illius famulam, domino dominave invita, duxerit, capite damnatur, Ord. lib. 5. tit. 24., Emman. 18., Alphons. 11. (Inst. Lib. III. Tit. V. §. XLIII. Not.).

Minori patre orbato, qui sua sponte, iudice orphanorum inconsulto, uxorem duxit, administratio bonorum denegatur ad annum usque aetatis suae vicesimum, et hac tantum poena afficitur, quam non incurrit, si

tutoris, curatorisve consensu nupserit: is autem, si matrimonio inaequali et noxio contrahendo minori auctor fuerit, tantum eidem dari cogendus erit, quantum minor ipse in bonis habet, Ord. lib. 1. tit. 88. §§. 19. 20. 21. Filia minor viginti quinque annis matrimonio juncta, parentibus invitis, exheres erat Dionysiana lege Scalabi data Calend. Febr. (Septembr. ?) aer. 1339. apud Ord. Alphons. lib. 4. tit. 99. §. 1., ex qua deducta fuit Philippina, qua utimur, Ord. tit. 88. §. 1. eod. lib., Emman. tit. 72. Filius hac Dionysii lege non tenetur: minor autem, si duxerit uxorem, iis non consentientibus, quorum in potestate est, universae rei familiaris jacturam facit, et in Africam annum in unum relegatur, Ord. lib. 5. tit. 22., Emman. 32., Alphons. 13. Sed haec omnia turbavit, et longe graviores poenas indixit citata Nov. 19. Jun. 1775., qua hodie utimur. Initio namque, et ad Dionysium usque filia impune poterat suo tantum arbitrio nubere, quod de plebeiis feminis praesertim intelligendum est; Forali enim Conimbricae dato, et aliis privilegii veluti loco concessum: *Quod nullus filiam militis (hoc est, nobilis) adcipiat in conjugem sine voluntate sua, et parentum suorum.*

### *Nobilis cum plebeia matrimonium.*

§. VIII: Nobiles inter et plebeios, qui sui juris sunt, suaeque potestatis, publicae, solennesque nuptiae non prohibentur: itaque eas contrahentes, quamvis agnatis, et familiis Equestribus despiciatui esse soleant, nullis tamen poenis adficiuntur; et eorum liberi habiles sunt ad dignitates omnes, et participes paternae ingenuitatis, et successionis etiam feudalis.

Non quaerimus hic de aliarum gentium moribus et legibus. In Lusitania Alphonsus II. et III. legibus Alphonsino Codice relatis lib. 4. tit. 10. matrimonia libera esse jussit, et immunia ab omni potestate Regia et Dominica, id est, Feudali: et talem in matrimonio contrahendo libertatem adseruit, qualem Ecclesia desiderat, quae justas semper habuit nuptias nobiles inter et plebeios. Idem majori cum ratione dicimus de nu-

ptis divitis cum paupere, modo conjuges ambo sui juris sint, et vis absit et dolus: quae profecto eisdem dedecori esse non possunt, sed potius hoc ipso laudem meretur uterque, alter quod virtutem non habuerit post nummos, alter quod virtute, moribus, et veritate sua sibi amorem conjugis opulentioris conciliaverit. Nentrum hoc conjugium pro inaequali jure habendum est: uxor enim et naturali, et civili ratione sequitur conditionem mariti, ejusque dignitatis radiis coruscare dicitur, l. 8. *de senatorib.*, ll. 10. 28. et ult. *C. de nupt.* Eadem ratione filii patris potius, quam matris conditionem sequuntur, ll. 19. 24. *de stat. homin.*: quibus consequens est, et uxorem viri dignitatis esse participem, et filios in paternam dignitatem, et bona avita, allodialia, feudialia, et Regiae Coronae succedere, in eisque praeferrri et anteponi filiis ex secundo matrimonio cum femina illustrissima habitis, Cocceius *Disput.* LXIV. *De conjugio inaequali personarum illustrium.* Matrimonium *morganaticum* dictum, ea scilicet lege contractum, ut uxor sorte sua pristina contenta sit, et liberi a successione excludantur, certa portione ejus loco adsignata, cum scriptis nostris legibus et moribus receptum non sit, non potest uxorem et liberos iis jurebus privare, quae eisdem publicis ecclesiasticis, et civilibus Civitatis legibus competunt, quibus non licet renuntiare, nec contra pacisci. Aliud dicendum de matrimonio *Conscientiae*, ut vacant, quod mores nostri omni aevo probarunt, quodque rite et recte, sed clam inter eos peragitur, qui caelibes videri volunt, nulla adjecta pactione circa filiorum successionem. Illud autem quando jure sit permittendum, declarat Benedictus XIV. *Const. Satis vobis* §. 1. et seq. ann. 1741. data. Non quaerimus etiam hic de Regum et Principum nuptiis; certum tamen est eos inter et feminas nobiles jus connubii esse, easque suo tantum arbitrio, et non populi suffragiis in verum matrimonium habere posse, nisi aliud legibus *Fundamentalibus* cautum sit. Apud nos nemo ignorat nuptias Sancii II. cum Mitia, Cantabriae Dynastae filia, Infantis Petri cum Agnete a Castro, Ferdinandi Regis cum Eleonora Tellesia, feminis nobilissimis, populo inscio, imo repugnante, initas fuisse: eas tamen tamquam indignas et dispares, eo quod Regum filiae non essent, quamvis a Regum sanguine oriundae, aegre tulerunt Lusitani.

*Ritus nuptiarum.*

§. IX. Jān vero apud omnes gentes in nuptiis contrahendis quaedam semper solennitates et ritus servati sunt, cum civiles, tum ecclesiastici, qui, quaeve vel essentiam matrimonii ingrediuntur, vel, ea salva, adesse possunt, aut abesse.

Nuptiarum ritus, pro genio quaeque suo, gentes omnes diversos habuerunt, sive ut auspiciatus esset connubiale foedus, sive ut de eo minus dubitari posset, et vero illorum consensu, qui tam solenniter manus junxissent suas. Lusitanis, quemadmodum aliis populis, solennia in primis erant convivia opipara, pocula largiora, concentus musici, et tripudia; et his epulis qui intererant, sponsum sponsamque non modo piis votis, faustissimisque adclamationibus, verum etiam donis et muneribus pro suis quisque facultatibus prosequerantur. In Minio et Beria sponsa a paterna domo per vim veluti adducebatur, quam inferebat pater, materve, vel proximus cognatus, qui ceteris eminere videbatur; ipsa autem lacrymosa medios inter pronubos procedebat magno amicorum et vicinorum comitatu, quos antecederat cognatus alius, qui colos et fusum in manu portabat; et hac caerimonia et nuptiali pompa in viri domum deducebatur. Joann. Barr. *Minii Descript.* cap. 9. Nobiles, qui majore cum apparatu nuptias celebrabant, et propterea magnis sumptibus subjiciebantur, vel urbanitatis, familiaritatisve causa, vel eorum levandorum gratia, in oppidis, quorum domini erant, nuptialia dona petere consueverant (*servicos* dicebantur): quem morem viri quoque principes non semel usurpasse scimus, eumque multum laudat et probat Brand. *Mon. Lus. P. VI.* lib. XVIII. cap. 30. Hodie in nobilium nuptiis publicus comitatus, et solennis in domum deductio Olisipone prohibetur Nov. Const. 17. Aug. 1761. §. 1., quae eisdem Interesse parentibus tantum permittit, et consanguineis in primo gradu. Alia Nov. eodem die et anno data, et Joannis V. Pragmatica 24. Maii 1749. cap. 16. aestimantur dona nuptialia a sponso, ejusve parente sponsae danda, quae tandem ad justum fixumque valorem reduxit Regina Fidelissima Decret. 17. Jul. 1778. Ritus ecclesiastici praecipue consistunt in benedictione sacer-

dotali et bannis, seu proclamationibus publicis, de quibus nostrum non est inquirere. De nuptiarum his denuntiatio- nibus mentio fit Ord. lib. 5. tit. 19. §. 2., Emman. eod. Eas vero nostro hoc saeculo Ordinarii in gratiam prae- sertim nobilium saepius dispensant et remittunt, qui e suggestu proclamari nuptias suas nolunt, nec ad templa Domini solenniter jam procedunt, sed intra privatos parietes rem omnem confici malunt.

*Matrimonium clandestinum.*

§. X. Non valent tamen matrimonia clan- destina; ea quippe nulla et irrita declaravit Trid. Sess. XXIV. cap. 1. *de reformat. matrim.* ibi: *Qui aliter, quam praesente Parocho, vel alio sacer- dote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus matrimonium contra- here adtentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujus- modi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et adnul- lat.*

Ante Tridentinum clandestinae desponsationes, si illicitae, validae tamen erant: quod, ni fallor; inter alia satis probat Emman. Ord. lib. 2. tit. 47. §. 1.; in matrimonio enim clandestino statuit communionem bonorum inter conju- ges, quae solum ex vero et valido matrimonio resul- tare potest. Illud autem contrahentes civilibus, et tem- poralibus poenis, eisque fortasse gravioribus, quam res postulabat, adfecit Joannes IV. Extravag. 13. Novembr. 1651. apud Ord. lib. 4. tit. 88. Collect. I. N. 1. Emmanuel confiscationis bonorum poenam statuit Diplom. 14. Jul. 1499., quod in illius Ord. ann. 1514. relatum est lib. 5. tit. 27.: abest autem a posterioribus ann. 1521., et ab hodiernis, seu Philippinis.

*Puerorum, senum, et viduarum nuptiae.*

§. XI. Pueriles nuptiae, justae tamen aetatis, et seniles, et secundae, vel tertiae etiam intra an-

num luctus licitae sunt, neque eas contrahentes ullis poenis hodie subjiciuntur, Ord. lib. 4. tit. 105. et 106., Emman. tit. 11. et 75. §. ult., Alphons. tit. 17. eod.

Impuberum matrimonia adeo nulla sunt jure Romano, ut ne in vim quidem sponsalium valeant, l. 9. D. de sponsalib., Schilt. ad eundem tit. tom. II. Exercit. 36. §. 4. Secus jure Decretalium cap. ult. de sponsalib. et matrim., cap. unic. §. 1. eod. in VI. Puberes autem ejusdem, vel diversae aetatis bene possunt inter se matrimonio copulari. Aliter Chindasvindo visum fuit, qui l. 4. tit. I. lib. III. Cod. Visigoth. statuit, ut *feminae minoris semper aetatis viris majoribus in matrimonium desponsentur*. Sed vero immaturae fere habebantur olim juvenum nuptiae, qui de eis ne cogitabant quidem, antequam plenae saltem pubertatis annos adtigissent. Seniles nuptiae, utut licitae, parum laudis apud nos habere videntur, praesertim cum muliere quinquagenaria. Minus laudis habent secundae nuptiae, et multo minus viduarum intra annum luctus, quae propterea certam mulctam olim solvebant, quam Petrus I. ad populi rogationem in Comitibus Helbis civitate habitis remisit, uti jam monuimus Inst. Jur. Publ. Tit. X. §. XVII. Not. Nullam etiam hodie poenam incurrunt post annum luctus secundo nubentes; multa tamen in favorem liberorum prioris matrimonii Patriis legibus constituta sunt, quae nos suis locis indicabimus,

### *Polygamia simultanea prohibita.*

§. XII. At tum demum, prioribus nuptiis unius conjugis morte solutis, superstes ad secundas convolare potest. Nam Patriis legibus non solum *πολυγαμία*, id est, unius feminae cum pluribus viris conjunctio, sed et *πολυγυία*, seu unius mariti cum pluribus uxoribus connubium jure meritoque, et quidem sub gravibus poenis prohibetur, Ord. lib. 5. tit. 19., Emman. eod., Alphons. tit. 14.

Non possunt conjuges ad secundas nuptias venire, donec certum nuntium recipiant de unius morte, et firma certitudine constet, quod ab hac vita migraverit, capp. 1.



et 19. *de sponsalib.*, quae quidem non resultat ex diuturna mariti, uxorisve absentia, l. 6. D. *de divort. et repud.*; necessaria enim hanc in rem est scripta Rectoris Ecclesiae testificatio, vel testimonium duorum probatae fidei juratum de illius morte testimonium. Debent similiter primae, et secundae nuptiae probari per Parochi testimonium scriptum, vel testes de visu et auditu deponentes de matrimonio contracto in Ecclesia coram Parocho, et duobus saltem testibus, Ord. lib. 5. tit. 19. §§. 2, et 3. Hoc de crimine cognitio jure Regni in tribus Codicibus contento ad Regios Magistratus pertinet. Petri II. Decreto 26. Maii 1689. Collect. II. N. 1. apud dict. Ord. mixtum est, in eoque praeventio locum habet; hodie ad fidei Quaesitores speciali lege spectat, de qua infra in tractatu de delictis (Inst. Jur. Crim. Tit. X. §. IX.) non nulla dicenda sunt, et pro instituto nostro monenda.

### *Matrimonio putativo patria potestas acquiritur.*

§. XIII. Adquiritur ergo patria potestas justis tantum et legitimis nuptiis, vel pro talibus jure habitis; matrimonium enim re ipsa nullum, bona tamen fide contractum, eosdem effectus, quos verum matrimonium, habet; et filii ex eo nati pro legitimis habentur, et aequae patris potestati subsunt.

Matrimonium aliud est nullum et invalidum, quod cum impedimento dirimente, ut vocant, scienter contractum fuit, ex quo nec vir, nec uxor intelligitur, §. 12. Inst. *de nupt.*: aliud prohibitum et injustum, sed validum, veluti filii familias, et aliorum, qui prohibitas nuptias contrahunt, quod effectus omnes veri matrimonii producit; et aliud denique *putativum*, bona fide in facie Ecclesiae, ut loquuntur, celebratum, quale scilicet est posterius, priore per errorem soluto, capp. 6. et ult. *de frigid. et malesciat.*; vel quando uxor, quae maritum in bello, vel captivitate mortuum credit, alii nupsit, can. 1. Caus. XXXIV. quaest. 1.; vel si conjuges in gradu prohibito coiverint, l. 4. C. *de incest. nupt.* Hoc enim matrimonium quamvis re ipsa nullum sit, et, vitio cooperto, rescindi debeat, pro vero interim et legitimo matrimonio habendum est, eoque patria potestas et maritalis acqui-

ritur, et filii ex eodem suscepti pro legitimis omnino censi. Covarr. *de matrim.* p. 2. cap. 8. §. 1., Stryk. ad tit. *de rit. nupt.* §. 37. et in *Dissert. de jure putativo*, Rieg. *Inst. Jurisprud. Eccles.* P. IV. §. 194., Cald. *de nomin.* quaest. 21. Nn. 38. 42., Reinos. *Observat.* 64. n. 26., Bohmer. *Jus Eccles. Protest.* ad tit. *Qui filii sint legitimi* §. 34., Hert. speciali *Dissert. de matrim. putat.*

*Legitimatio per subsequens matrimonium jure Civili:*

§. XIV. Legitimatione patria potestas etiam acquiritur; et huc in primis spectat legitimatio per subsequens matrimonium, quam Constantinus speciali Constitutione introduxit in favorem tantum parentum, qui liberos jam natos habuissent ex conjunctione licita, sed minus legitima, quale contubernium erat et concubinatus, l. 5. C. *de naturalib. liber.*, Gothofred. ad leg. 1. Cod. Theod. *cod.* Hoc vero beneficium, quod ex Constantini, Zenonis, Anastasii et Justinii Constitutionibus in dicta l. 5., ll. 6. 7. C. *de naturalib. liber* temporale erat, Justinianus perpetuum fecit generali Edicto ann. 530. dato, ibi: *Si quis mulierem in suo contubernio collocaverit, non ab initio adfectione maritali (eam tamen, cum qua poterat habere connubium), et ex ea liberos sustulerit, postea vero, adfectione procedente, etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit, filiosque, vel filias habuerit: non solum secundos liberos, qui post dotem editi sunt, justos, et in potestate esse patribus, sed etiam anteriores, qui et his, qui postea nati sunt, occasionem legitimi nominis praestiterunt, l. 11. C. eod.*

Concubinatus e medio tollendi, vel saltem minuendi gratia, quem leges Romanae adprobabant, introducta fuit a Constantino legitimatio per subsequens matrimonium, eaque non in perpetuum parentibus ab eo concessa, sed eis tantum, qui liberos ante illius Constitutionem natos ha-

buisent. Idem scopus Zenoni, Anastasio et Justino fait propositus; sed Justinianus, rerum omnium novator acerrimus, hoc beneficium parentibus concubinariis generaliter et indefinite concessit, quo facto concubinatum non jam tollere, vel minuere, quod Constantino et aliis in votis erat, sed magis firmare et promovere visus est. Justiniani tamen lege et repetitis Novellis ii tantum liberi per subsequens matrimonium efficiuntur legitimi, qui ex justa, et probata conjunctione nati sunt, qualis erant consuetudo concubinaria, vel cum ancilla contubernium, quacum copula permissa dominis erat jure quasi dominicae potestatis; adeoque liberi ex damnato, et legibus prohibito coitu nati hoc jure per subsequens matrimonium non efficiantur legitimi, Novell. 74. cap. 6., Novell. 86. cap. 15. Haec autem si vera non dubitanter sunt, prout magno apparatu demonstravit Boehmer. *Jus Eccles. Protest.* ad tit. *Qui filii sint legitimi*, et Thomas. *Dissert. de usu practico doctrinae de legitimatione*; sequitur legitimationem, qualem jus civile agnovit et probavit, nullius hodie usus esse; nam legibus nostris nulla conjunctio extra matrimonium licita est et permissa: itaque filii ex eadem nati, cum ex prohibita et damnata conjunctione habiti sint, non possunt hoc jure per subsequens matrimonium legitimiari.

### Canonico:

§. XV. Jure Canonico per subsequens matrimonium legitimantur etiam filii ex prohibito et damnato coitu nati; quod favore liberorum et sacramenti concessum fuit, cujus nimirum tanta est vis, tantaque potestas, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur, cap. 6. *Qui fil. sint legit.*

Cum omnis extra matrimonium conjunctio prohibita et damnata sit, sequitur vel nullam hodie esse legitimationem per subsequens matrimonium, vel eo legitimiari filios ex damnato coitu natos, quod jus Civile negat, Canonicum vero concedere videtur. Quare ex hujus principis subsequente matrimonio legitimantur etiam filii ex his parentibus geniti, quos inter tempore concubitus, vel nativitatis justum matrimonium consistere haud poterat, modo ex postfacto causa in eum deducta sit sta-

tum, ut justas inire nuptias potuerint; et legitimantur ipso jure, quin illorum consensu, vel dotalibus ullis instrumentis opus sit, Boehmer. loc. cit. §. 17. et seq.

### Et Patrio.

§. XVI. Patrio autem jure solum legitimantur filii naturales ex soluto, vel soluta, vel ex iis demum parentibus nati, inter quos matrimonium consistere poterat tempore conceptionis, vel natiuitatis; iique a filiis legitimis post matrimonium contractum susceptis omnino differunt.

Vulgaris opinio est filios tantum naturales jure Canonico per subsequens matrimonium legitimari, non quod haec conjunctio eodem jure, vel legibus nostris permitatur, sed quod non tam prohibita sit et damnata, quam incestuosa, vel spuria. Illud etiam vulgo existimatur, filios ex conjugio earum personarum habitos, quae tempore concubitus, vel partus matrimonium inire vetabantur, eo tandem subsequuto, non legitimari: haec tamen omnia, quae magnis rationibus confutat citatus Boehmer., in foro recepta sunt, et probata tamquam juris Canonici scita, a quo multum abesse videtur Boehmer. et Rieg. sententia, quam meam facio: sed hoc jure in foro quoque nostro utimur. August. Barbos. ad cap. 6. *Qui fil. sint leg.*, Petr. Barb. ad rubr. *Soluto matrimonio* p. 2. n. 169., Amaya lib. 1. *Observ.* 4., Sarmient. lib. 1. *Select. interpret.* cap. 5. Ord. lib. 2. tit. 35. §. 12., Emman. tit. 17. §. 9. verbis: *com tanto que este filho fosse tal, que com direito podesse ser legitimado per sequate matrimonio*: adprobare quidem videtur jus Canonicum, seu potius vulgarem opinionem, quae differentiam statuit inter liberos spurios, et simpliciter naturales, et his tantum beneficium legitimationis concedere. Ego vero, cum haec Ordinatio clara non sit, nec rem dilucide, ut par est, decidat, existimo filios ante matrimonium susceptos, etiam spurios, adulterinos, vel incestuosos, cessante impedimento, et vero tandem ac legitimo matrimonio subsequuto, virtute et potestate legis legitimari, et ineptum esse puto, et sine lege, et libere dictum, quod de retrotractione matrimonii ad tempus natiuitatis liberorum, vel de illius eodem

tempore fictione vulgo dici solet. Bachov. ad Treutl. vol. 1. p. 2. Thes. VII. liter. B. , Fachin. lib. 4. *Controv.* 54. , Aleiat. *Paradoxa* lib. 3. cap. 12. , Peregr. *de fideicom.* art. 24. n. 34. , Stryk. ad tit. *de his , qui sui , vel alieni juris sunt* , Berard. tom. III. *Dissert.* VI. quaest. II.

*Legitimatio per rescriptum Principis jure Romano :*

§. XVII. Per rescriptum Principis jure Civili legitimantur tantum filii naturales , non spurii , ex damnatove coitu nati , liberis legitimis non exstantibus , et ad patris dumtaxat petitionem , in cujus scilicet , et non in liberorum favorem hic legitimandi modus a Justiniano introductus fuit Novell. 89. cap. 9. et 10.

Haec legitimatio ea de causa fuit admissa (qui scopus erat antiquarum legum , quem Justinianus hic probavit) , ut concubinatus in verum matrimonium verteretur ; remedium itaque subsidiarium erat , nec locum habebat , nisi in consuetudine legibus permessa , defuncta jam concubina , vel si ejus conditionis esset , ut non sine dedecore duci posset. Herald. lib. 1. *quaest. jur. quotid.* cap. 5.

*Canonico :*

§. XVIII. Sed vero jure Canonico non solum filii naturales , sed etiam spurii et adulterini ad ipsorum , vel matris petitionem per rescriptum Papale legitimantur , cap. 13. *Qui fil. sint legit.* Haec autem legitimatio de spiritalibus tantum intelligenda , nam effectus civiles a civili tantum Potestate et politica peti possunt et haberi. Rieg. *Inst. Jurisprud. Eccles.* P. IV. §. 201. et 202.

*Et Patrio.*

§. XIX. Hoc autem jus in foro receptum est : nam legibus nostris ipsi quoque spurii , adulterini ,

et incestuosi sacrilegi, Principis auctoritate legitimantur, Ord. lib. 2. tit. 35. §. 12. ibi: *filho, ou neto natural, ou spurio legitimado per auctoridade Real*: Emman. eod. lib. tit. 17. §. 9. Hodie vero, et jam dudum filius a Principe legitimus factus potius dispensatus, quam legitimatus dicitur, neque in parentis est potestate.

Legitimationes per rescriptum Principis antiquissimae sunt, et in civitate nostra una cum ipso jure Romano et Canonico eodem fere tempore receptae; eas autem, cum inter Regalia majora censeantur, Rex tantum, vel suprema Palatii Curia illius nomine concedit, Ord. lib. 1. tit. 3. §. 1., et lib. 2. tit. 45. §. 40. Juvat hanc in rem non nulla exempla referre. Dionysius Rex Infantis Alphonsi fratris filios et filias, ex Violante habitos, legitimavit 8. Febr. aer. 1335. ann. 1297. Sous. tom. I. *Probat.* ad lib. I. *Hist. Geneal.* N. 32. pag. 64. Idem filium Alphonsum Sancium, quem ipse ex Aldonsa Roderica habuit, legitimum effecit. Ferdinandus Rex Gundisalvum Vasquium Azevedum, Francisci Piresii, Prioris Sanctae Crucis, et Theresiae, Lorbanienensis Monialis, filium, legitimis natalibus restituit 27. Febr. aer. 1413. Joseph. Soar. *Silv.* tom. IV. *Collect. Docum. Memor. Joann. I. N. 4.* (et tom. I. p. 72. §. 111.). Alphonsus V. 13. Aug. ann. 1444. Isabellam, Petrum, et Joannem, Petri Norrognae, Archiepiscopi Olisiponensis, sibi que sanguine conjunctissimi, filios legitimavit. Sous. tom. III. *Probat.* ad lib. VI. N. 68. pag. 580. Speciali memoria digna est Francisci Portugalliae, Vimiosi primi Comitis, a parente Alphonso, Eboresi Episcopo, genere clarissimo, legitimatio, quam Emmanuel Rex confirmavit 15. Febr. ann. 1505., quamque Joannes III. in bonis etiam Regiae Coronae et patronatus locum habere voluit literis Eborae datis 9. Maii ann. 1534. Sous. tom. V. *Probat.* ad lib. X. nn. 7. §. pag. 630. Omnium autem plenissimae sunt legitimatio litterae Comitis Alphonsi, primi Brigantini Ducis, a Joanne I. parente datae 20. Octobr. aer. 1439. ann. 1401. Sous. tom. III. *Probat.* ad lib. VI. N. 1. p. 443. Jam vero hae legitimatioes erant olim vel plenae, vel plenissimae, et diversos habebant effectus pro diversa, qua concipiebantur, formula, qui hodie, et jam a Regis Oduardi tempore non iidem prorsus sunt,

etisque propterea potius dispensationis, quam legitimatio-  
nis nomen convenire videtur, uti suis locis adnotabi-  
mus.

*Aliae legitimaciones.*

§. XX. Legitimationis per oblationem Curiae, cujus Theodosius junior inventor fuit l. 3. C. *de naturalib. liber.*, nec vola nec vestigium exstat in jure nostro; illius vero, quae fit per nominationem filii in testamento, mentio exstat Ord. lib. 1. tit. 3. §. 1., et lib. 2. tit. 35. §. 12., deducta ex Novell. 117. cap. 2.; sed ne ea quidem vera legitima-  
tio est, nisi Principis rescripto fuerit expresse ad-  
probata (Tit. VI. §. IX. h. l.). Adrogationes et  
adoptiones, quarum mentio fit citatis Ordinationi-  
bus, et lib. 2. tit. 56. in princ., et lib. 3. tit. 9. §.  
2., apud nos in usu non sunt, teste Cabed. P. II.  
*Decis. 70.*

Ex nominatione filii in testamento, vel quovis alio  
instrumento facta solum nascitur praesumptio filiationis,  
tamdiu valitura, quamdiu contrarium probatum non fuerit;  
neque nominatus filiorum legitimorum jura nanciscitur, et  
legitimus vere dicitur, nisi Princeps rescripto suo no-  
minationem adprobaverit, eumque legitimum effecerit;  
et ita intelligenda est Justiniani Novell. 89. capp. 9. 10.,  
117. cap. 2., et Ord. lib. 2. tit. 35. §. 12. in princ. Idem  
de adoptione dicendum est, cujus usum contra Cabe-  
dum exempla non nulla probant. Nam Sancia Infans,  
Alphonsi III. filia, a Constantia Infante, Alphonsi II.  
sorore, illiusque amita majore, cum fere quinque an-  
norum esset, ab eadem fuit adoptata. Sous. *Histor.*  
*Geneal.* tom. I. lib. 1. pag. 175. Henricus Infans Ferdi-  
nandum Infantem, Oduardi Regis filium, adoptavit li-  
teris apud Stremotium datis 7. Mart. aer. 1436., quas  
ad Ferdinandi Infantis petitionem Alphonsus V. frater  
confirmavit 23. Novembr. ann. 1451. Sous. tom. I. *Pro-  
bat.* ad lib. III. N. 43. pag. 562. Mitto alia exempla.

*Quibus modis amittitur patria potestas.*

§. XXI. Modis septem jure Romano patria potestas solvitur, speciali titulo Justiniani Institutionibus recensitis, veluti *morte, deportatione, servitute poenae, captivitate, adoptione, dignitate, et emancipatione*. Cum vero servitus poenae sublata sit, neque hodie captivi servi efficiantur, neque praeterea servis et deportatis nuptias contrahere sit prohibitum, neque exsules nostri civitatem amittant, nisi expresse illius juribus priventur, neque adoptio, adrogatiove in frequenti usu sit, aut fuerit unquam, facile omnes vident scire nihil prodesse Romanas hac de re leges, et multo minus prolixos in easdem commentarios.

*Solvitur morte patris, et nuptiis filiorum.*

§. XXII. Naturalis certe modus solvendi patriam potestatem mors est, sed patris, non avi; in hujus enim potestate nepotes non sunt, uti Jure Romano, princ. Inst. *Quib. mod. jus patr. potest. solvit.*, sed patris tantum: nam jure nostro filii, filiaeve per nuptias de parentum potestate exeunt, Ord. lib. 1. tit. 88. §. 6.

Quod patris et filii morte naturali patria potestas solvatur, tam certum est, quam quod certissimum. Aliud dicendum de morte civili, quae ex capitis deminutione *media* jure Romano resultat, cujus quidem nullus nostra in civitate usus est. Nam peregrini, relegati, et ad triremes, vel ad opera publica damnati veras nuptias contrahere possunt, adeoque patriae potestatis, testamenti factionis, et aliorum jurinum, quae cum inflicta poena compati possunt, capaces sunt. Nullum quoque usum habet capitis deminutio *maxima*, per quam libertas et civitas amittitur, uti jam diximus hoc lib. Tit. I. §. 7., cum servos nullos habeamus natos, vel factos, aut jure gentium, id est, ex captivitate, Valasc. *Cons.* 30., aut jure civili, id est, in poenam, aut



aut adscriptitios. Quod vero per matrimonium patria potestas amittatur, gentium fere omnium legibus, vel moribus receptum est, et apud nos satis probat citata Ord. lib. 1. tit. 88. §. 6. ibi: *porque segundo stylo de nosso Regno, sempre como o filho he casado, he havido por emancipado, e fóra do poder de seu pai.*

*Et emancipatione judiciali.*

§. XXIII. Emancipatio jure Romano triplex erat: *antiqua*, quae per imaginarias venditiones fiebat; *Anastasianam*, quae per rescriptum Principis; et *Justinianeam*, quae apud competentem Magistratum peragebatur, §. 6. Inst. *Quib. mod. jus patr. potest. solvit.*, ll. 5. 6. C. *de emancipat. liber.* *Antiquam* nunquam leges nostrae receperunt; *Anastasianam* expresse adprobat Ord. lib. 1. tit. 3. §. 7.; *Justinianeam* servat usus et praxis apud quemcumque Magistratum.

Ord. lib. 1. tit. 3. §. 7. emancipandi facultatem Palatii tantum Senatoribus tribuere videtur; sed videtur tantum: nam eandem quoque habent, et in foro quotidie exercent Magistratus quicumque jurisdictione civili et ordinaria fruuntur, apud quos recte fieri potest, cum actus sit voluntariae jurisdictionis. Emancipationem ergo *Justinianeam* coram judice competente adprobant mores tantum nostri; legem enim hanc in rem scriptam, quam sciam, nullam habemus. Haec autem judicialis emancipatio, ut locum habeat, necesse est filios emancipandos majores esse viginti quinque annis, et tales, quibus honorum administratio committi possit: debet etiam constare de consensu parentis; sola namque aetas modus legitimus non est patriam potestatem solvendi. Paulo aliter se res habet jure Romano, quo permissum parentibus filios et filias, etiam impuberes, emancipare, et tum fiebant illorum tutores *fiduciarii*. Eodem jure *emancipare* idem est atque *e manu*, et potestate dimittere, adeoque ad dominium *Bonitarium*, seu naturale, vel *Quiritarium* solum refertur; sed laxiore nos significatione hoc vocabulo utimur: non enim apud nos patria potestas in dominio et proprietate consistit, sed in facultate na-

turali simul et civili actiones liberorum dirigendi, quam patri praesertim leges nostrae concessere. Non possunt tamen Donatarii, vel illorum Auditores emancipationis literas concedere ex cit. Ord., et alia lib. 2. tit. 45. §. 40.

*Quae ab aetatis venia distinguenda.*

§. XXIV. Multum autem differt emancipatio ab aetatis venia, quam dicimus *supplemento de idade*, quacum vulgo confundi solet. Nam venia aetatis in Palatii tantum Curia expediri potest, Ord. lib. 1. tit. 3. §. 7., neque regulariter filiofamilias conceditur, nisi pater furiosus sit, vel mente captus, nec eum ab illius potestate liberat; adeoque jure nostro et Romano filiofamilias dumtaxat minori parente orbatō concedi solet, Ord. lib. 3. tit. 42. in princ. ibi: *o orfão varão, e a femea*, tit. C. de his, qui veniam aetatis impetraverunt, Reinos. Observat. 30. Nu. 12. 13. 14. 15. 16.

Jus legitimae aetatis non nisi causa cognita, et certae tantum aetatis minoribus jure Romano, et Patrio conceditur; masculis, cum vicesimi anni metas impleverint; feminis, cum octavum et decimum annum egresae fuerint, si modo eos, easve morum honestas, et ingenii solertia commendaverint, l. 2. C. de his, qui ven. aet. impetrav., Ord. lib. 3. tit. 42. in princ., Eman. tit. 87., Alphous. tit. 120. Notandum tamen Regimine Palatii §. 13. absolute prohiberi feminis minoribus aetatis veniam concedere, quod praefatis Ordinationibus permissum erat, et hoc tandem jure utimur ex Regio Diplom. 24. Jul. 1713. Collect. I. ad Reg. Palat. ad rubr. n. 1. ibi: *Emancipações para que as Orfãs, que não tiverem vinte e cinco annos, possam ser havidas por maiores, e se lhes fuzer entrega de seus bens*: quod dictum §. 13. revocare videtur. Hoc autem legitimae aetatis rescriptum masculis minoribus, qui vicesimum, et feminis, quae octavum supra decimum annum impleverint, a patre, non a matre tantum orbatō conceditur ex dict. Ord. lib. 3. tit. 42. verbo: *Orfão*; nam qui patrem habent, illius potestati omnino subjecti sunt, et impro-

prie orphani vocantur. Non nunquam ei, qui in potestate patris est, legitimae aetatis rescriptum concedi potest, veluti filio viginti annorum, qui patrem furiosum habet: quo quidem rescripto filius consequitur, non quod a parentis potestate liberetur, l. 8. *de his, qui sui, vel alien. jur.*; sed quod paterna non apossit administrare, vel ea omnia facere sine patris consensu, quae posset, si is adesset, veluti nuptias contrahere, l. 25. *C. de nupt.*, et hereditatem adire, l. 63. *de adquir. vel omitt. hered.*, cetera, quae patri non fuerint damnosa, cui adfictionem addere inhumanum videtur. Reinos. loc. cit.

*Quando filium emancipare pater cogendus.*

§. XXV. Filios emancipare pater cogitur quibusdam in casibus, veluti si filium contra pietatis officium durius tractaverit, l. ult. *Si a parent. quis manumiss. fuer.*; si legatum ea conditione relictum, ut filium emancipet, adceperit, l. 92. *de cond. et demonstrat.*; si filiis, filiabusve peccandi necessitatem imposuerit, l. 12. *C. de episcop. aud.*, ceteris e jure Romano petitis, quos expresse approbat Ord. lib. 3. tit. 9. §. 4. *ibi.: ou diz que per Direito deve ser seu pai constrangido a o emancipar.*

Casus a regula excepti his versibus includuntur:

*Si genitor saevus sit, prostituatque pudorem  
Natae, aut pupillo forsitan damnosus adoptet  
Legatum, aut numos capiat si hac conditione,  
Invito, solvi poterit, genitore, potestas.*

*Solvitur patria potestas separatone.*

§. XXVI. In eo autem hodie omnes fere conveniunt, patriam potestatem solvi per separatam oeconomiam a filiis institutam. Quare filii de parentum potestate exire videntur, et tacite emancipati, si a patre seorsum habitant, res suas agunt, et proprio sudore victum quaerunt: et hanc solvendi mo-

dum jus civile Romanum non ignorat omnino , l. 1.  
C. de patr. potest.

Separata a patre oeconomia patriam potestatem solvit jure Romano , si pater diu passus sit filium res suas ut patremfamilias agere , l. 1. C. de patr. potest. Clarior est Leonis Constitutio Novell. 25. in fin. ibi: *Si pro suo saltem arbitrata vivere filius videatur (sive id ejus verbis, cujus sub potestate degit, concessum fuerit, sive verbis quidem concessum non sit, sed consensus tacitus filios vitae rationes separatim instituenti non adversatus sit, verum ipsum suo modo seorsum vivere permiserit), tametsi a conjugii commercio liber sit, jus tamen liberi arbitrii ratum illi, et confirmatum sit.* Cujac. lib. 17. Observat. 31. Haec igitur separatio , hoc modo instituta , emancipatio quaedam dicenda est , tacito parentis consensu facta , qui ex eo resultat , quod filium res suas diu habere patitur. Moribus tamen hodiernis non requiritur , quod pater diutius passus sit filium res proprias sibi habere , et seorsum vivere ; satis enim est , quod non contradicat , ut statim emancipatus videatur. Quinimo , patre etiam invito , illius potestate liberatur filius , qui vel in exterarum regiones profectus fuit mercaturae , vel officii alicujus exercendi causa , vel qui in ipsa civitate munus exercet , et domicilium , sedemque a patre distinctam habet. Vid. Boehmer. Dissert. de statu liberorum sui juris factorum per separationem et nuptias.

### Et filii dignitate.

§. XXVII. Initio nulla dignitas Romae filium liberabat a potestate parentis ; nam , ut ait Dionys. lib. II. *Antiquit.* cap. XXVII.: *Romanorum legislator omnem potestatem patri dedit in filium , idque toto vitae tempore ; etiam si filius tractet Rempublicam , etiam si magistratus gesserit maximos, vel studii erga Rempublicam laudem sit promeritus.* Posterioribus legibus Imperatores exceperunt Patriciatus dignitatem , Consulare , Episcopalem , Praefecturam civitatis , reliquas , quae a Curia liberabant , Novell. 81. capp. 1. 3. ; quod merito hodie protrahendum ad minores alias dignitates , et officia cum civilia , tum militaria.

Filii dignitate aliqua ornati cum emolumento conjuncta non tam ob dignitatem, quam ob privatam oeconomiam, quam tunc plerumque solent instituere, a potestate patris liberantur. Insipida ergo est distinctio dignitatum majorum et minorum, publicarum et privatarum, quam interpretes non nulli comminiscuntur, et qua multum torquentur. Noster Thomas Valascus *Adlegat.* 29. quaestionem tractat: *An clericatus liberet filium a patria potestate?* cujus occasione multa subjungit de aliis dignitatibus; sed parum ad rem facit, cum omnia ex juris Romani principiis tractet, et vix ad leges Patrias et mores adsurgat, quod nostris Jureconsultis generale vitium est. Dignitates Romanae, Episcopali excepta, quae filium a patris potestate liberabant, nostrae civitatis constitutioni inepte adplicantur.

---

## TITULUS VI.

De jure liberorum et agnatorum.

*Liberorum differentia.*

§. I. **L**iberorum jura quae sint, facile ex parentum officiis intelligimus; ea vero diversa sunt pro illorum qualitate et differentia, quam nosse prius oportet. Liberi ergo vel legitimi sunt, vel illegitimi. Legitimi aut nascuntur ex justa uxore, aut jure fiunt, id est, legitimatione, quae non unius generis est; hique rursus aut in potestate parentis sunt, aut emancipati. Illegitimi quidam naturales dicuntur ex soluto, et soluta habiti; quidam spurii, adulterini, sacrilegi, incestuosi ex damnato et prohibito coitu nati, Novell. 89. cap. 1., cap. 13. *Qui fil. sint legit.*

*Qui filii sint legitimi.*

§. II. Legitimi sunt qui ex conjunctione legitima secundum leges inita, et legitimo tempore nascuntur: et tales jure habentur, licet pater, materve filium suum esse neget, l. 6. *de his qui sui, vel alieni juris sunt*, cap. 10. *de probat.*; etiamsi mater sit adultera, l. 11. §. 4. *Ad Leg. Jul. de adulter.* Cum tamen omnis praesumptio cedat veritati, si constet vel ex absentia, vel ex impotentia mariti eum patrem esse non posse, filius illegitimus censendus, dict. l. 6. et l. 1. §. 14. *de agnoscend. vel alend. liber.* Septimo mense partus legitimus nascitur Hippocratis sententia, quam suam fecit Paulus in l. 12. *de stat. hom.*; secus post decem menses mortis natus, l. 3. §. 11. *de suis, et legit. heredib.*

Ex matrimonio quodque putativo, quod scilicet inter eos bona fide initum est, qui jure conjungi non poterant, filius natus ante errorem compertum pro vere legitimo, non pro legitimato habendus est, cap. 10. *Qui fil. sint legit.* Matrimonium vero probatur vel per scriptum et juratum Parochi testimonium, vel per duos, aut tres testes, qui de matrimonio celebrato ad Ecclesiae praescriptum, vel de fama publica deponant, hoc est, quod, vicinis et aliis scientibus, uxorem liberorum quaerendorum causa quis domi habuerit, quamvis tabulae nuptiales, et calendaria ecclesiastica, quibus referri solent matrimonia contracta, non adpareant, l. 9. C. *de nupt.*, Ord. lib. 2. tit. 46. §§. 1. et 2., et lib. 5. tit. 19. §. 2. Probato ergo legitimo matrimonio, probatur et filiatio. Cum vero filius is sit, quem justae nuptiae demonstrant; adulterium matris non praejudicat filio, cum et illa adultera, et hic legitimus esse possit, quod in dubio praesumendum. Neque matri credendum est, quae partum semel agnovit, adserenti postea ex alio natum fuisse, cap. 10. *de probat.* (Inst. Jur. Crim. Tit. V. §. V. Not.): si vero parentes ambo constanter dicant, eum, qui suum filium se nominat, et pro tali se gerit, filium suum non esse,

sed alienum, et pietatis causa ab eis nutritum, domique retentum, *standum est verbo viri et mulieris*, ut ait Pontifex in cap. 3. *Qui fil. sint legit.* Quae de partu legitimi tempore l. 12. *de stat. hom.*, et l. 3. §. 11. *de suis, et legit. hered.* constituta sunt, hodie non omnibus placent: et cum non nulla in contrarium sint exempla, quaestio haec potius ex Medicorum et Medicae Facultatis judicio, quam ex juris Romani auctoritate decidenda est. Thom. Reines. in *Schol. Jurisconsult. Med.* lib. 3. Sect. 7. cap. 3., Ammannus Lipsiensis *Professor Medic. Critic.*, Thomas. in *Not. ad tit. D. de stat. hom.*, Stryk. *ibid.* §. 14.

### *Legitimorum jura.*

§. III. Legitimi ex justa uxore, justisque nuptiis habiti vel filii familias sunt, vel emancipati, et pluribus juri bus fruuntur cum in civitate, tum in familia, et domo patris. Nam I.) ad officia, et Reipublicae munera omnes indiscriminatim admittuntur, si majores fuerint viginti quinque annis, vel intra annum a suscepto officio se in matrimonium collocaverint, Ord. lib. 1. tit. 94. in princ. et §. 1.: II.) in parentum nobilitatem succedunt, Ord. lib. 5. tit. 92. in princ. (Tit. VII. §. VI. Not. h. l.): III.) et in eorum bona tam ex testamento, Ord. lib. 4. tit. 82. §§. 1. 2., quam ab intestato, tit. 91.: eisque IV.) competit querela contra testamentum inofficiosum, et inofficiosas donationes, tit. 81. §. ult., tit. 82. in princ., tit. 92. in princ., et tit. 97. §. 3.: V.) a patre jure alimenta petere possunt, eumque judicialiter convenire ad eos agnoscendos, alendos, emancipandos, et pro iis generaliter omnibus, quae ad parentis officium quoquo modo pertinere videntur, Ord. lib. 3. tit. 9. §§. 3. 4.; sed prius debent veniam a iudice impetrare, ead. Ord. §. 1. et seq. Hac in re nulla inter suos et emancipatos differentia est, neque in eis, quae vel ad utriusque commodum et emolumentum spectant,

vel ad reverentiam et honorem utrique parenti debitum. Emancipatus tamen omnia suo arbitrio agit tam in iudicio, quam extra, patre ignorante et invito, et omnia sibi acquirit, cum filiusfamilias jus testamenti condendi non habeat, Ord. lib. 4. tit. 88. §. 3., et in iudicio sine patre neque agere, neque conveniri possit, Ord. lib. 3. tit. 41. §. 8., eique in adventitiis usumfructum juris potestate statim adquirat, Ord. lib. 4. tit. 97. §. 19.

Præcipua hæc sunt filiorum jura, quæ nos hic potius referre, quam explicare intendimus. De successione liberorum tam testamentariis, quam legitimis, suo loco agemus, id est, in rerum tractatu lib. III. tit. 8. Hoc in titulo de nobilitate præsertim, quæ e parentibus in filios derivatur, et de alimentis, quæ eisdem debentur, agendum a nobis est, et non nulla hanc in rem breviter et summatim tradenda pro instituto nostro.

### *Bastardi qui dicantur.*

§. IV. Filii illegitimi *bastardi* vocantur, quo nomine jam a medio ævo intelliguntur non solum filii naturales in specie dicti, verum etiam spurii, et generaliter quicumque ex vero et legitimo matrimonio non sunt progeniti.

Bastardi nomine significari etiam nothos et spurios, exemplis multis probat Du Fresne in suo *Gloss.* tom. I. col. 1060.; et hanc significationem probare inter nos videtur Ord. lib. 5. tit. 92. §§. 4. 5. 7., Emman. lib. 2. tit. 37. §. 11. verbis: *E quanto aos bastardos, que nom forem nados de legitimo matrimonio. . . E esto se nom entenderá nos bastardos, que forem filhos de prelados, ou de quaesquer pessoas ecclesiasticas*; Extravag. 3. Jan. 1611. apud cit. Ord. Collect. I. N. 1. verbis: *Nem os Condes, nem os Bispos por rasão de seus titulos, nem os filhos bastardos destes.*



*De Regum bastardis:*

§. V. Inter Regum filios legitimos et bastardos parum discriminis est; omnes enim Regis filii jure vocantur, cum de Regibus sint procreati; legitimis tamen praecipua quaedam sunt, quae bastardis legibus nostris, et omnibus denegantur.

Principum bastardi apud Francos, Wisigothos, et alios a legitimis parum distabant. Gregor. Turon. *Histor.* lib. III. 27. IV. 5. VI. 21., Isidorus *Chron. Gothor.* ad aer. 545. In Lusitania a Regni initio magno semper in honore fuerunt, et Regni Dynastis, Magnatibusque praecedunt. Infantis tamen titulus eisdem haud competit, sed legitimis tantum; neque in Regno patri succedunt, ut suo loco dicemus (Inst. Lib. III. Tit. IX. §. III. Not.). Proprio tantum nomine, vel patronymico utuntur, et *Domini* publice et privatim nominantur, in quo a Nobilissimis aliis distinguuntur. Ii vero pro Regum filiis statim habendi, simul ac a parente, vel fratre solenniter agniti fuerint, quin illis opus sit legitimatiois literis.

*Et aliorum.*

§. VI. Bastardi ex privatis hominibus progeneri, quamvis spurii et nothi, vix etiam a filiis legitimis differunt; nam infames non sunt, neque eis aliqua macula haeret, cum in parentis nobilitatem succedant, et eisdem armis utantur; scuto tamen gentilitio sectio quaedam inserenda est, quam nos dicimus *quebra da bastardia*, Ord. lib. 5. tit. 92. §. 4. in fin., Emman. lib. 2. tit. 37. §. 3.

Cum bastardis hae Ordinationes usum armorum concedant, qui solum nobilibus permittitur, nobiles eos esse, et in parentum nobilitatem succedere necesse est. Neque distinguimus inter nothos, seu spurios, et naturales, id est, ex soluto et soluta genitos; nam omnes bastardi nomine veniunt et significantur citatis Ordinationibus, quae cum similem distinctionem haud faciant, atrisque patris nobilitatem tribuere videntur; et hoc

jure jam diu utimur, quod exemplis plurimis confirmarem, si, ut facile, ita necessarium foret. Contrarium placet Portug. *de donat.* lib. 2. cap. 17. a n. 54., Carval. ad cap. *Raynaldus* 18. *de testam.* p. 1. a n. 250., Reinos. *Observ.* 53., quos bene confutat *Nobilitarchiæ Lusitanæ* Auctor cap. XIX. Bastardus igitur ex nobili ortus nobilis est, nullaque ei infamia, aut macula inest: non enim quis infamis efficitur ex vitio nativitatis, sed ex propria tantum persona; et hanc in rem, de qua suo loco (Tit. XIII. §. XIII. Not. h. 1.), interim videnda est, et laudanda Ordinatio lib. 4. tit. 90. §. 1., Emman. tit. 74. §. 1. ibi: *pessoa infame de infamia de direito, ou de feito; assi como se o herdeiro instituido fosse reputado entre os bons por vil e torpe, e de mãos costumes, por ser bebado, taful, ou de outra semelhante torpeza.* Valasc. *Consult.* 17. Et hinc est nothos nobilium, clericorum, plebeiorum, quos virtus et boni mores commendant, ab honoribus et muneribus publicis non esse excludendos. Paterna autem nobilitate ii solum bastardi sive naturales, sive spurii gaudent, qui a parente agniti fuerint, et recogniti sive in testamento, sive in publica aliqua, privatave scriptura, quae fidem faciat. De successione jure modo non quaerimus.

*Filius a matre quoque nobilitatur.*

§. VII. Quia vero jure nostro nobilitas in filios a matre quoque derivatur, Ord. lib. 5. tit. 92. §. 4. ibi: *E se quizerem tomar sómente estremes as armas da parte de suus mãs*, et §. 6.: *filhos, nem netos de fidalgos da parte de seus pais, ou mãs*: consequens est materna nobilitate potiri non solum filios legitimos, verum etiam naturales, imo et spurios; neque matris delictum filio obstare potest, quo minus jus nobilitatis, quod, lege permittente, statim a nativitate adquisivit, sine facto suo amittat.

Quae de bastardis tam naturalibus, quam spuriiis, ratione patris diximus, ad matrem praecipue applicari debent, cujus cognationem sequuntur; et quod vulgo dicitur, feminam, quae virum extra matrimonium co-

gnovit, infamem fieri, falsum omnino est, sive de juris, sive de facti infamia loquamur, eique tantam potest convenire, quae corpore suo palam quaestum fecerit. Dicendum ergo filium ex concubina, vel pellice natum, quae cum eo, qui uxor est, vel cum Clerico saeculari, vel Regulari miscuit corpus, de matris quoque nobilitate participare. Neque profecto quae communiter jactari solent de odio hujus prohibitae et damnatae conjunctionis, filio, cui nihil imputari potest, debent praedicare: nam *crimen, vel poena paterna nullam maculam filio instigare potest*, ut bene ait Callistratus in l. 26. de poena.

### *De infantibus expositis.*

§. VIII. Infantes expositi legitimorum jure fruuntur, et jure pro liberis ingenuisque habentur; nam eum in dubio benigniora sint praeferenda, credendum est expositos ex legitimo matrimonio, et ex ingenuis hominibus natos; itaque sine ulla dispensatione admittendos non solum ad sacros Ordines, beneficiaque ecclesiastica, sed ad civiles quoscumque honores et officia, Diplom. 31. Jan. 1775. §. 7. in fin. ibi: *Exceptuo porem aquelles privilegios, que pertencem á ingenuidade, e habilitação pessoal dos mesmos orfãos; porque destes ficarão gozando sem quebra, ou restricção alguma*, l. ult. C. de infantib. exposit., Novell. 153., cap. un. de infant. et languid. exposit., Gonzal. ibid., Berard. tom. III. Dissert. VI. quaest. IV. in fin., ceteri.

### *De legitimis, seu adoptivis.*

§. IX. Filius legitimus, id est, adrogatus, vel adoptatus, filii loco jure nostro non habetur sine Principis confirmatione in Palatii Curia expedita, Ord. lib. 1. tit. 3. §. 1.; et confirmari debet tam adoptio filiorumfamilias, quam adrogatio; utraque

enim intelligitur verbo *perfilhamentos*, et confirmatione indiget ex dicta Ordinatione. De neutra tamen hic quaerendum, cum in usu non sit, teste Cabed. P. II. *Decis.* 70., et in libello inscripto: *Errata da Nova Recopilação das Leis e Ordenações deste Reino de Portugal, com algumas outras advertencias necessarias e substanciaes*, typis dato Olisip. per Petrum Crasbeeck. ann. 1603. verbis: *Confirmações de perfilhamentos*, ibi: *Ha-se de advertir, que estas confirmações se não passão per stilo, que ha em contrario: como tambem se não confirmão doações de mulheres pelo Regimento novo dos Desembargadores do Paço* hoc lib. 1. §. 12. (§. XX. Tit. V. hoc lib.).

Cum adoptiones, adrogationesve, quas nos indistincte *perfilhamentos* dicimus, a principe sint confirmandae; legitimis filiis, seu adoptivis ea omnia adplicanda sunt, quae naturalibus a Principe legitimatis conveniunt. Hac vero quamvis hodie in usu non sint, bene tamen, si quid mei iudicii est, in civitate possunt recipi et admitti, maxime si lege publica ita illarum usus definitus sit, ut vitia nec eis promoveantur, nec matrimonia impediuntur. Quare concedendum haud erat I.) patri filium suum naturalem adoptare: nec II.) ei, qui filium legitimum haberet, vel fratres: nec III.) eis, qui matrimonio contrahendo, sobolique procreandae jure habiles sunt; et ita nobiscum sentit *Mons. d'Olivier* libello inscripto: *De la réforme des loix civiles* P. II. lib. 4. cap. 2. pag. 210. Codice Friderici lib. I. tit. 9. art. 1. §. 10. adoptiones receptae quidem sunt, sed sine ullo delectu, et ad juris Romani formam, quemadmodum reliqua ejusdem Codicis capita. Quod vero hic ex Cabedo retulimus de mulierum donationibus non confirmandis, omnino verum est, et constat ex §. 12. Regim. Palat., quo expresse facultas denegatur has donationes iusinuandi, quam utique concedit Ordinatio lib. 4. tit. 62., Emman. 54., quae dicto §pho videntur abrogatae. In praxi tamen feminarum quoque donationes ultra summam praefatis Ordinationibus contentam, insinuatione petita, hodie et jam dudum valent, eamque concedere possunt Palatii Senatores ex Regio Diplom. 24.

Jul. 1723. Collect. I. ad Regim. Palat. N. 1. Novella Constitutio 25. Jan. 1775. citatas Ordinationes hac in parte confirmavit.

### *De legitimatis.*

§. X. Legitimati quovis modo omnia fere jura legitimorum nanciscuntur; adeoque paterna nobilitate gaudent, et possunt omnia in civitate munera obire. De legitimatis per subsequens matrimonium nullus dubitat; de aliis satis constat ex verbis legitimationis rescripto inseri solitis: *E outrosi quero, e outorgo que o dito N. haja a nobreza, e privilegios della, que por Direito commum, Ordenações, e usança de meus Reinos haver deveria, se de legitimo matrimonio nascido fosse.* Carval. ad cap. Raynaldus 18. de testament. P. 1. a n. 254.

Maneat ergo, inter simpliciter naturales, spurios et legitimatos, et inter naturales simul et legitimos, ad civitatem quod adinet, nullam ferme differentiam esse; eosque ad dignitates omnes et officia Reipublicae, si eis obeundis digni habiti fuerint, admittendos, et patris, matrisve nobilitate potiri: in iis vero, quae ad patris domum et familiam spectant, quasi pro extraneis habendos; ideoque nec in illius sunt potestate, nec in illius bonis aequali cum legitimis successionis jure gaudent.

### *Debentur filiis alimenta.*

§. XI. Parentes autem filios cujuscumque ordinis et conditionis alere tenentur; nam. ut bene ait Grot. *de jur. bell. ac pac.* lib. II. cap. VII. §. IV.: *Qui causa est, ut homo existat, is, quantum in se est, et quantum necesse est, prospicere ei debet de his, quae ad vitam humanam, id est, naturalem ac socialem (nam ad eam natus est homo) sunt necessaria.* Et haec vero est naturae vox, quam omnia jura sequuntur, et Ordinationes

Regiae lib. 1. tit. 88. §. 10. et seq., lib. 3. tit. 9. §. 4., tit. 18. §. 6., et lib. 4. tit. 99., Emman. 68., Alphons. 92.

Alimenta vel jure sanguinis, et a lege debentur, de quibus hic, et citatis Ordinationibus, et tit. D. *de agnoscend. et alend. liber.* agitur; vel ab extraneis ex contractu, vel testamento, de quibus in tit. D. *de aliment et cibariis legat.*; et hanc alimentorum differentiam et qualitatem agnoscere videtur Ord. lib. 3. tit. 18. §. 6. verbis: *alimentos . . . devidos per Direito*, Emman. cod. lib. tit. 28. Alimentorum nomine veniunt non solum cibaria, vestitus, habitatio; verum etiam disciplina et honesta educatio pro modo et facultate parentis et filii conditione, Ord. lib. 3. tit. 9. §. 4. in fin., et lib. 4. tit. 99. in princ., et lib. 1. tit. 88. §§. 10. et 16. Debentur ergo filiis alimenta tam *naturalia*, quam *civilia*.

*A quo filius alendus, constante matrimonio.*

§. XII. Legitimi, constante matrimonio, de communibus bonis alendi sunt; Ord. lib. 4. tit. 99. in princ. ibi: *Nascendo algum filho de legitimo matrimonio, em quanto durar o matrimonio entre o marido e a mulher, elles ambos o devem criar ás suas proprias despesas; e dar-lhe as cousas, que lhe forem necessarias segundo seu estado e condiçãõ.* Et alendi patris matrisque expensis, sive matrimonium simpliciter, et ad Regni consuetudinem contractum sit, sive ad juris Romani formam per dotem et arrhas; namque generalis est dicta Ordinatio, et ideo generaliter, et sine ulla distinctione intelligenda.

*Et a quo, matrimonio morte soluto:*

§. XIII. Matrimonio patris morte soluto, filius suis tantum expensis, et de propriis bonis alendus est, Ord. lib. 4. tit. 99. §. 2., et lib. 1. tit. 88. §. 10.:

*e todo o al lhes será dado dos bens dos ditos or-  
fãos.*

*Et divortio.*

§. XIV. Si per divortium matrimonium sit solutum, patris dumtaxat expensis alendus, si modo ei poterit ex propriis bonis consulere, et alimenta dare; quod etiam eo casu intelligendum, quando mater locuples est, et causam divortio dedit; illius enim culpa, et injuria patrem liberare non potest ab alimentorum praestandorum obligatione. Valasc. *Consult.* 62.

Vulgaris opinio est filium ejus conjugis sumtibus alendum, qui divortio causam dedit, eaque in primis nititur auctoritate Nov. 117. cap. 7., cui citatus Valascus inter alios respondet. Ego vero hanc exceptionem a regula, quae patri filium alere quaecumque jubet, non admitto, cum eam non videam legibus nostris moribusque probatam.

*Mater in subsidium alere tenetur.*

§. XV. Mater non nisi in subsidium filios alere tenetur; et I.) quando pater jam non est, vel ullus adscendentium ex paterna linea, qui alimenta praestet: II.) si tanta egestate laboret, ut victum suis manibus quaerat, itaque non valeat nec sibi, nec filiis prospicere: et III.) si filius adeo pauper sit, ut bona nulla habeat, ex quibus se alere possit, Ord. lib. 1. tit. 88. §. 10. vers. ult. et §. seq., et lib. 4. tit. 99. §. 2. ibi: *E não tendo o filho bens, far-se-ha á custa da mãe, em quanto o ella bem poder fazer.*

Frustra haec quaestio movetur de filiis, constante matrimonio; nam hi de communibus bonis alendi sunt: quare, eo tantum soluto, locum habere potest, et tunc dicendum matrem et maternos adscendentes in subsi-

dium tantum teneri, deficiente patre, vel paternis ascendentibus, ex cit. Ord., l. 5. §. 2. *de agnosc. et alend. lib. Surd. de alim. tit. I. quaest. 103.*

*Et lacte filios enutrire tribus primis annis.*

§. XVI. Filium proprio lacte mater alere debet tribus primis annis, nisi nobilis sit, et ejus conditionis, quae filium propriis uberibus nutrire haud soleat; cetera, quae filiolo intra hanc aetatem fuerint necessaria, pater subministrare tenetur, Ord. lib. 4. tit. 99. in princ. : *a mãe será obrigada a criar o filho até idade de tres annos de leite sómente, e o pai lhe fará a outra despesa necessaria para a sua criação. Porem, se a mãe for de qualidade, que com razão não deva criar seu filho aos peitos, o pai será obrigado a o mandar criar á sua custa no tempo de tres annos, assi de leite, como de qualquer outra despesa necessaria para sua criação.*

Alimentorum nomine vel maxime venit lactis instillatio. Vere ergo officium suum deserere mater videtur, quae vel commoditatis suae, vel formae servandae causa filium alienae mulieri lacte nutriendum, quando ipsa eo abundat, committit, quo pertinent, quae Plutarchus disputat. *de educat. liber. p. 3.*, Gellius *Noct. Attic. XII. 1.*, Pontifex can. 4. Dist. V., et ibi noster Roder. Cugn., Themud. *Decis. 32.*; et hanc in rem egregia sunt, quae medice et politice scripsit Sancius noster literis: *Sobre a educação da mocidade, Colon. 1760 pag. 216.* Vitio tamen vertendum non est matri delicatiori, infirmae, lacte destitutae, si nutrici commendet infantem.

*Spurii a patre quoque alendi; et in subsidium a matre.*

§. XVII. Quae de legitimis diximus, ad illegitimos quoque trahenda sunt; eos enim pater tantum alere



alere debet; mater vero non nisi in subsidium, et lacte solum tribus primis annis: quod non solum de filiis simpliciter naturalibus, sed de ipsis spuriiis, incestuosis, et sacrilegis intelligendum, quos omnes pater naturalis eodem ferme modo alere et educare debet, Ord. lib. 1. tit. 88. §. 11.; et lib. 4. tit. 99. §. 1.

Cum natura differentiam liberorum ignoret; et filii illegitimi dieti, cujuscumque ordinis et conditionis, natura filii sint; sequitur a patre omnes alendos, et honeste educandos esse: et hoc ipsum est, quod Clemens III., vel, ut alii legunt, Coelestinus statuit cap. 5. de eo, qui duxit in matrim. quam polluit per adulter., ubi spurii alii jubentur secundum quod eis suppetunt facultates: quae verba probant spuriiis alimenta deberi non solum naturalia, sed et civilia, cum honesta et civili educatione contineantur, quam parentes filii omnino dare tenentur non miserationis quidem causa, ne scilicet fame pereant, sed jure quodam perfecto: debent enim filios non solum conservare, itaque eis quaecunque ad vitam sunt necessaria, praestare; verum etiam eosdem amplificare, et felices; quantum in eis fuerit, reddere, et ita eos instituere, ut patriae, cui nati sunt, utiles esse aliquando possint. Haec tamen non adeo literaliter adicienda sunt, quasi existimem tam spuriiis, quam legitimis, aequalia alimenta praestanda, et aequae pingua; sed quod a patre pro illius conditione et facultatibus ita alendi et tractandi, ut ei dedecori non sint, nec Republicae oneri. Aegid. ad l. 5. D. de just. et jur. in princ. n. 33., Gam. Decis. 201. n. 4., Themud. Decis. 36. n. 6., Barbos. ad l. 1. p. 4. a n. 64. Haec cum ita sint, naturam proxime sequutus fuit Benedictus XIV. de Synod. Dioeces. lib. XIII. cap. XXIV. n. 21., ubi ait Clericos beneficiatos ad filios suos illegitimos alendos teneri non unius ex bonis patrimonialibus, quam ex redditibus ecclesiasticis. Barbara igitur est, et naturali civilique rationi contraria Authent. Ex complexu C. de incest. et inutilib. nupt.

*Quando mater possit alimenta repetere.*

**§. XVIII.** Mater cum in subsidium tantum filios alere teneatur (§. XV.), consequens est, ut si, vivo patre, vel eo mortuo, eos aluerit, impensas a patris, filive bonis possit recuperare. Non potest autem repetere, quae pietate cogente fecit, vel quae in filium erogatura erat, etiam si a patre suo educaretur, nisi expresse protestata sit se filium ideo alere, ut aut ipsum, aut ejus patrem, tutoresve conveniret; itaque mater, quae filii bona administrat, tutelamve gerit, alimenta, quae filio praestitit sine ulla protestatione, petere potest, quia verosimile est de re ipsius eum aluisse, adeoque non donandi animo, Ord. lib. 4. tit. 99. §§. 3. 4. 5., deducta ex l. 34. de negot. gest., l. 5. §. 14. de agnoscend. et alend. liber.

Quae hic diximus, in primis spectant ad alimenta praeterita, quae a patre mater quidem repetere potest ex cit. Ord. lib. 4. tit. 99. §. 1. ibi.: *será feita á custa do pai,* et ibi: *E se nos ditos tres annos a mãi fizer com o filho alguma despesa, que o pai he obrigado fazer, poderá em todo caso cobrar-a, e haver-a do pai.* Huic igitur Ordinationi contrariae sunt Portucalensis Senatus sententiae ann. 1592. et 1602. apud Barbos. ad eand. n. 26., adeoque nullius momenti.

*Ha non debentur filiis majoribus divitibus:*

**§. XIX.** Non teneantur autem parentes filios locupletes, vel majores, quisuis operis sibi sufficere possunt, de propriis bonis alere, l. 5. §. 7. de agnosc. et alend. liber., Ord. lib. 1. tit. 88. §. 10. in fin. ibi: *até serem de idade, em que possão merecer soldada.* Filius tamen ejus conditionis, qui non possit sine dedecore, et salva illius dignitate, operas suas alii locare, a patre omnino alendus est, Perez. ad tit. C. de alend. liber. n. 8.

*Neque ingratis.*

§. XX. Filiis ingratis, de patre male meritis, qui propterea ab eo exheredari possunt, alimenta non debentur; quod de lautioribus, et civilibus pro parentis conditione intelligendum; nam naturalia filiorum crimen, utut gravissimum, penitus tollere, et abrogare non potest. Ob crimen autem parentum filii alimentis, eisdem jure naturae debitis, nulla lege privari possunt.

Vulgaris opinio est filiis a parentibus alimenta deneganda eisdem causis, quibus ab eis jure exheredari possunt, quae recensentur Ord. lib. 4. tit. 88. §. 3., Epiman. 72., Alphons. 99., eaque vera est, et jura sequentisque rationi consentanea, si de alimentis tantum civilibus intelligatur: neque alimentorum causa omnino est cum legitima successione causa confundenda. Nam alimenta his tantum filiis, vivo patre, debentur, qui non habent unde se alant, et pro eorum qualitate et aetate: legitima non nisi post mortem patris, et eadem semper sine differentia aetatis, qualitatis et divitiarum, Valasc. de partit. cap. XVIII. n. 40. Confiscatio autem honorum in criminibus capitalibus, veluti haeresis et laesae majestatis, Ord. lib. 5. tit. 1. in fin. princ., et tit. 6. §. 9. statuta, intelligenda est, salvis semper alimentis filio jura naturae debitis, ut suo loco dicemus (Inst. Jur. Crim. Tit. I. §. XVII., Tit. II. §§. IX. X. Not., et Tit. III. §§. II. IV. Not.).

*Actio ad liberos agnoscendos.*

§. XXI. Haec itaque vera omnino sunt, si pater filium a se genitum fateatur; quod si neget, ab eodem, vel a matre ad partum agnoscendum cogi in judicio potest, et ad eum alendum, Ord. lib. 3. tit. 9. §. 4. (Inst. Lib. IV. Tit. VI. §§. VII. et XXIII. h. t.).

Senatusconsultum *Plancianum de liberis agnoscendis* post divortium susceptis ad Romanorum divortia, privata auctoritate facta, referendum tantum est; adeoque hodie

nullius usus. Idem dicendum de alio Senatusconsulto Hadriani tempore de partu agnoscendo, constante matrimonio, edito, l. 3. §. 1. D. *de agnosc. et alend. lib.*; casus enim vix datur, in quo possit dubitari de legitimitate filii ex justis nuptiis nati: ad filios autem extra matrimonium recte illius sententia et dispositio producitur. Quare femina, quae ex illegitima, et legibus improbata conjunctione filium habuit, de eo agnoscendo et alendo cum patre jure agit: agnitio autem secum necessario trahit alendi obligationem, l. 1. §. 14., l. 4. *de agnosc. et alend. lib.*

*Et quos agnoscere pater teneatur.*

§. XXII. Filios autem parentes agnoscere tenentur, quos ex illis natos esse constat; quam in rem valent sequentes, et similes praesumptiones: I.) Concubitus probatio: II.) frequens cum matre consuetudo: III.) absentia adfectata: IV.) fuga parentis, quippe eum suspectum reddit: V.) si pro illius filio omnium voce, et a vicinis habitus sit: VI.) vel a patre agnitus, institutus, vel nutrici traditus, vel testamento, vel alia publica, privatave scriptura ab eo nominatus: vel VII.) ex nomine, cognomineve gentilitio; et aliis denique argumentis et probationibus, quas longe et fastidiose suo more prosequitur Peg. *de majorat.* cap. 9. a n. 446., Phoeb. *Decis.* 76. Nn. 6. 7. 8., ceteri.

De filiationis probatione multa passim traduntur a nostris alienisque scriptoribus notissimis locis, quae hic transcribere non vacat. Illud tantum moneo, quod, ut alimenta filio a iudice decernantur, sufficiunt qualescumque conjecturae, et juris praesumptiones, quae certe, si de illius successione, et aliis juribus quaestio esset, non sufficerent: quod totum speciali alimentorum causae tribuendum est, quae recte favorabilis dicitur Ord. lib. 4. tit. 78. §. 3.

*Actio de alimentis.*

§. XXIII. Alimenta jure sanguinis, et a lege debita (§. XXI. h. t.) officio judicis petuntur secularis, non ecclesiastici (Inst. Jur. Publ. Tit. V. §. XLV. Not.); temporalis enim haec causa est, et inultum favorabilis; adeoque nec compensationem admittit, Ord. lib. 4. tit. 78. §. 3., nec ordinem processus ordinarium, nec adpellationem suspensivam, Cabed. P. I. *Decis.* 66., Phoeb. P. I. *Arest.* 98. et II. *Arest.* 72, Peg. *For.* cap. 15. n. 103.

Alimenta, quae ex contractu, vel ex testamento debentur, actione propria et ordinaria ex contractu, vel ex testamento peti debent, non officio judicis. Quocumque autem modo in judicio petantur, causa summaria est, et ad rationem processus summarii tractanda, in quo differt a filiationis causa, in qua id praecise agitur, ut quis liber agnoscat, quae sua natura ordinaria est: si vero in eadem causa, ut plerumque fieri solet, alimentorum quaestio conjugatur, de ea in primis agendum est, et summaria prius cognitione habita, alimenta judicis sententia decernenda sunt, quin hoc ipso praejudicium inferatur filiationis causae, quae quidem, utpote ordinaria, altiore requirit indaginem, Covarr. *Pract. quaest.* cap. 6., ubi ait satis esse ad decernenda alimenta filiationem probari per testes singularem, vel fama vicinorum.

*Et de litis expensis.*

§. XXIV. In eadem causa sunt alimenta, quae *in litem* vocamus; nam sumtus in litem necessarii filio similiter extra ordinem adsignari debent una cum alimentis ad victum necessariis.

Probata utcumque filiationis causa, antequam iudex de ea cognoscat et pronuntiet, alimenta a iudice et litis sumtus decernendi extra ordinem sunt; quod quamvis expresse legibus nostris cautum non inveniatur, in foro jure meritoque receptum est, et fortasse ex verbis et sententia l. 27. §. 3. D. *de inoffic. testam.*, ubi in causa exheredationis, adpellatione ab herede interposita, plu-

*cuit, interim propter inopiam pupilli, alimenta pro modo facultatum decerni, eaque adversarium ei subministrare necesse habere usque ad finem litis. Utraque hæc alimenta iudicis decreto definita non suspenduntur per interpositam adpellationem, maxime si constet filium nihil aliunde habere, quo possit et se alere, et litem prosequi; neque is ad cautionem aliquam præstandam, vel ad idoneos fidejussores, quos non facile inveniet, cogendus est; imo nec ad alimenta percepta restituenda, utut in adpellationis instantia non obtineat. Valasc. Consult. 1., Cabed. P. I. Decis. 66., Covarr. Pract. quaest. cap. 6.*

*Parentibus et collateralibus alimenta debentur.*

§. XXV. Debentur etiam a filiis alimenta parentibus, cum eos non alere nefarium sit; alendi enim officium inter liberos et parentes reciprocum est, nec interest parentes legitimi, an illegitimi sint. Frater quoque fratri germano, vel ab uno tantum latere conjuncto, etiam naturali et illegitimo, alimenta præstare debet (Inst. Lib. III. Tit. IX. §. XXIX.). Transversales inferioris gradus alios transversales alere non tenentur jure sanguinis, vel pietatis miserationisve causa; tenentur tamen qua heredes, et successores illius, qui eisdem alimenta præstare debebat. Cessant autem hæc alimenta, quemadmodum filiorum, ob insignem parentis fratrisve ingratitude; quod de civilibus tantum intelligendum est, ut jam supra monuimus (§. XX. h. t.). Debentur etiam parentibus et fratribus alimenta in litem officio judicis similiter assignanda: et denique circa alimentorum præstationem videnda omnino solennis Olisiponensis Senatus Deliberatio habita 9. April. 1772., quam Josephus I. confirmavit Diplom. 29. Aug. 1776., l. 5. §. 1. cum seq. *de agnosc. et alend. liber.*, l. 5. C. *de patr. potest.*, l. 2. C. *de alend. lib.*, Grot. *de jur. bell. ac pac.* lib. II. cap. VII. §. V., Guerreir. *de mun. jud. orphan.* lib. 5. cap. 15., Themud. *Decis.* 35., ceteri.

*Agnatorum jura.*

§. XXVI. Agnati, cognative, quia sub generali familiae nomine veniunt, l. 195. §. 2. *de verbar. significat.*, familiae multis juribus fruuntur, quae suis locis commodius dicemus: et hinc est, quod ad consanguineos ex officio adcusandos, vel defendendos admittantur, Ord. lib. 5. tit. 124. §. 9., quod eorum tutores sint legitimi, Ord. lib. 4. tit. 102. §. 5., et quod in eorum bona, ut alia jura omittam, succedant, Ord. lib. 4. tit. 90. 94. in princ. et 96.

## TITULUS VII.

*De mariti in uxorem potestate.**Potestas mariti in uxorem.*

§. I. **M**arito potestas quaedam competit in uxoris personam, quae consensu suo, adeoque jure naturali se eidem subjecit, itemque in illius bona et actiones; quae potestas adprobatur Ord. lib. 4. tit. 66. in princ. verbis *sob seu poder*, et passim.

Hanc mariti in uxorem potestatem jura omnia approbant. Romuli instituto uxor particeps sacrorum honorumque habebatur, et non secus ac filiafamilias in manu ac potestate mariti erat, non tutela, cui jure Romano non subjiuntur puberes, qui, quaeve se sua sponte defendere possunt, l. 1. *de tutel.* Maritalis autem tutela placuit Germanis, Gallis, et aliis nationibus. Beyer. *Dissert. De hodierna tutor. ac curator. differ.*, Heinecc. *Exercit. XXV. De marito tutore et curator. uxor. legit.* Legibus tamen Wisigothorum, quibus olim viximus, lib. IV. tit. 2. l. 15. constitutum erat, *virum uxorem suam habere in potestate*: tutelae igitur maritalis vestigium neque in nostris legibus, neque in Wisigothicis invenitur.

*In quo consistat.*

§. II. Maritalis autem haec potestas multum ab imperio et potestate herili distat; non enim consistit in jure uxores aliis vendendi, commodandi, et multo minus in jure vitae et necis; sed in facultate uxorum actiones dirigendi, easdem defendendi, et immodestas modice castigandi, Ord. lib. 5. tit. 36. §. 1. (Inst. Lib. I. Tit. III. §. V.).

Jus coercendi uxores parum morigeras ubique in Lusitania receptum est: at magis inter plebeios, quam honestiores, et inter illos saepe abit in saevitiam, ob quam quotidie fere fatigantur judices, maxime ecclesiastici, et matrimonia tam male conciliata non raro quoad torum et convictum aliquamdiu dirimantur.

*Ejusdem effectus non nulli.*

§. III. Cum marito in uxoris corpus et personam potestas quaedam competat, inde est, quod eam possit non solum castigare, Ord. lib. 5. tit. 36. §. 1., sed etiam privato carcere includere, argumento Ordinationis lib. 5. tit. 95. §. 4.; de adulterio adcusare, Ord. eod. lib. tit. 25. §. 3., Nov. Const. 26. Septembr. 1769.; in adulterio deprehensam occidere, Ord. lib. 5. tit. 38. in princ., quod parenti jure nostro non conceditur; et inde etiam est, quod uxor non solum de bonis communibus, sed de propriis etiam mariti bonis sustentari decenter debeat, Ord. lib. 4. tit. 103. §. 1., et quod denique uxor in judicio non admittatur sine consensu mariti, Ord. lib. 3. tit. 47.

Uxor sine consensu et auctoritate mariti ne super bonis quidem mobilibus in judicio admittitur: contra vero maritus. Excipiuntur duo casus, qui firmant regulam in contrarium: I. pro immobilium alienatione revocanda sine illius consensu facta, Ord. lib. 4. tit. 48. §.



2. II. et pro revocandis iis, quae maritus concubinae dedit, Ord. tit. 66. eod. lib.

### *Administratio mariti restricta.*

§. IV. Et quia in uxoris quoque actiones et bona jus habet, inde etiam est, quod eam possit et debeat dirigere in publicis privatisque negotiis, eandemque in iudicio vel maxime defendere, et rem universam familiarem domi forisque administrare; haec tamen administratio non adeo libera est, ut de bonis omnibus tam mobilibus, quam immobilibus, possit disponere, uxore non consentiente, Ord. lib. 4. titt. 48. 60. 64. 66.

Uxor non in dominio et tutela mariti, sed in potestate est, eique, tamquam familiae capiti et principi, in tantum subjecta, quantum postulare videtur natura societatis conjugalis, cui leges nostrae ferme omnes sunt adcommodatae: et cum eisdem legibus socia sit, non ancilla, inde est, quod vir, ea repugnante, res immobiles alienare non possit, Ord. lib. 4. tit. 48., nec mobiles majoris momenti, tit. 64., neque pro aliis fidejuberet, tit. 60. eod. Excipitur fidejussio pro debito publico, quae omnia bona mobilia indiscriminatim adficit, quamvis, uxore non consentiente, sit facta, ex dicta Ordinatione, quam bene explicat Barb. ad l. 1. D. *Solut. matrim.* 3. p. Nn. 60. et 61.

### *De Reginae marito.*

§. V. Huic etiam maritali potestati subjiocitur Regina nupta Principi, cui nihil in illius Regno imperii est, uxoris tamen potestati et civili imperio aequae ac reliqui subditi, salva mariti praerogativa, subjectus est; verum haec magis Regni legibus *Fundamentalibus*, et publicis antenuptialibus pactionibus, quam jure naturali, vel civili privato definienda sunt.

Regina, quae privato Principi nubere cogitur, majestatem non communicat: itaque marito imperat, et sola in civili societate imperium habet; in conjugali autem marito subdita est. Plura de Reginae marito habet Jo. Philipp. Palthenius speciali hae de re dissertatione, ceteri, quae transcribere nihil vacat. In Portugallia Comitibus Lamecensibus Reginae maritus nec Regis nomine utitur, nisi postquam habuerit de Regina filium varonem; et quando fuerit in congregatione maritus Reginae, ibi in manu manca, et maritus non ponet in capite Corona Regni.

*Uxor in maritum jura.*

§. VI. Uxor quoque in mariti corpus jus habet, non potestatem, et ad illius familiam spectat. Et inde est, quod tori conjugalis fidem maritus aequae servare teneatur, Ord. lib. 5. tit. 28.: nam, ut bene ait Lactant. *Divin. Inst.* lib. VI. cap. XXIII., *exemplo continentiae docenda est uxor, ut se caste gerat. Iniquum est enim, ut id exigas, quod praestare ipse non possis.* Ab eodem uxor recte alimenta petit, Ord. lib. 4. tit. 103. §. 1.; de illius dignitate participat; illius forum et domicilium sequitur; et eisdem ferme honoris titulis et privilegiis utitur, Ord. lib. 1. tit. 91. §. 7., lib. 2. tit. 59. §. 15., lib. 3. tit. 86. §. 23.; beneficio restitutionis gaudet ex persona mariti, quocum eadem persona reputatur, Ord. lib. 3. tit. 42. §. 4., *Reinos. Observat.* 30. n. 17.; perfectum eum marito convictum habet, et societatem, communionemque bonorum, Ord. lib. 4. tit. 46., quorum possessionem retinet, eo mortuo, tit. 95. eod.; et tandem ad instar illius cognati habetur, eique bene potest ab intestato succedere, Ord. eod. lib. tit. 94., *Emman.* 69., *Alphons.* 95.

Inter jura, quae uxori competunt, illud non minimum est, quod dignitatem mariti sequatur. Conjugia enim cum individua vitae consuetudinem, ac divini

humanique juris communionem contineant, l. 1. de rit. nupt., natura sua aequalia sunt, quævis inter disparis conditionis personas contrahantur: praevalet tamen patrisfamilias conditio, qui numerum officioque Reipublicæ sustinet, adeoque uxor et liberi illius forum et domicilium sequuntur, ejusque honoris, dignitatis, et reliquorum in civitate juriæ participes fiunt. Plura hinc consequantur. Nam primum plebeia, nobili nupta, titulo et insignibus mariti utitur: nobilis similiter, quæ plebeio nupsit, mariti conditionem sequitur, non paternam; quod intelligendum videtur, si multum a mariti conditione distaverit. Eadem nobilitate gaudent filii ex inaequali matrimonio nati, et parenti omnino succedunt, etiam in Regalibus, in eisque filiis ex posteriori illustri susceptis praeferuntur. Reinos. *Observ.* 3., Cabod. P. I. *Decis.* 98. et 213. n. 16., Tiraquel. *de nobilit.* tom. I. cap. 18., Stranch. *de jur. Public.* lib. I. tit. 32. §. 3., Perez. ad tit. C. de dignitat., Henric. Cov. *Dissert. de lege Morganatica* Sect. III. §. 2. cum seq., et ad Grot. *de jur. bell. ac pacis* lib. II. cap. V, §. 8.

### De Regis uxore.

§. VII. Regis etiam uxor de mariti dignitate participat, et jure meritoque Reginae titulo ulitur; imperio autem et majestate non gaudet; itaque Regis tam maritali, quam civili potestati omnino subdita est. Multis tamen honoribus et privilegiis, ut par est, fruitur; sed legibus imperii vivere debet, a quibus nunquam fuit soluta.

Augusta neque legibus naturalibus, neque lege imperii, sed civilibus tantum ex privilegio soluta erat, et ita recte Ulpianum in l. 31. de leg. intelligit Jacob. Gpthofred. *Orat. de majestate Principis Romani legibus soluta* §. 3. *Oper. Min.* pag. 298. Apud nos ipsas etiam civilibus legibus, et juri constituto subjecta est; pluribus tamen privilegiis gaudet: nam præter honorificentissimum Reginae titulum jurisdictionem civilem et criminalem amplissimam exercet in oppidis donatis, de quo diximus Tit. III. §. LV. Illius bona veluti *Reguenga* habentur, eisdem semper juri bus fruuntur; et eodem modo in Curia Patrimonii Reginae administrantur; *Reginn.* 11.

Octobr. 1656. Easdem incurrunt poenas, qui gratiis et privilegiis a Summis Pontificibus Regi, Reginaeve concessis obstare praesumserint, Ord. lib. 2. tit. 15., et qui Regis, Reginaeve mortem procuraverint, Ord. lib. 5. tit. 6. §. 1. Eodem majestatis titulo publice et privatim coluntur, Extravag. 16. Septembr. 1597., 29. Jan. 1739. Collect. I. ad Ord. lib. 5. tit. 92. Nn. 3. et 4. Eodem sub umbraculo cum Rege in Consilio, ad sinistram tamen, intersunt, cui non semel interfuere sub Joanne IV., Alphonso VI., Petro II., Aloysia Regina et Maria Francisca: Petrus autem II. dexteram semper Reginis dedit, Sous. *Hist. Geneal.* tom. VII. lib. VII. p. 731. In judicium non nisi literis, quas *de Camera* dicimus, impetratis vocantur; Ord. lib. 3. tit. 1. §. ult., Extravag. Emman. 31. Decembr. 1502. apud Leon. 3. p. tit. 1. l. 1., Cabed. P. I. *Decis.* 179. Immunitatem Civilis Concilii munerum oppidanis suis concedunt, Ord. lib. 2. tit. 45. §. 37. Eadem denique in Reginae et Regis obitu lugubria de more persolvuntur, Extravag. 24. Maii 1749. cap. 17., excepta funebri scutorum sectione, quae caerimonia Regi tantum, vel Reginae, qui, quaeve summa rerum potitur, solvitur; et ideo fuit ommissa in funere Petri III. Infantis, Regis dicti, quia Reginae Fidelissimae nupserat.

---

## TITULUS VIII.

### *De communione bonorum inter conjuges.*

#### *Bonorum communio inter conjuges unde derivatur:*

§. I. **C**UM matrimonium societas quaedam sit, et conjuges bonorum, jurium, et fortunarum omnium socii dicantur; dubitare potest nemo communionem bonorum inter conjuges ex natura et indole societatis conjugalis derivari, vel saltem eidem multam consentaneam esse; de qua quidem cum multa, eaque praeclara legibus nostris sint constituta, digna profecto haec res est, quae speciali titulo tractetur.

Societas conjugalis (quod non nullis recte placet) secum necessario non trahit communionem bonorum, cum sobolis procreandae, non bonorum communicandorum gratia sit inita! eidem tamen haec communitio omnino convenire videtur, eamque vel maxime desiderat arctissima inter conjuges vitae consuetudo.

*Jure Romano locum non habet.*

§. II. Bonorum hanc communionem Romulus, naturam societatis sequutus, et agnovit, et firmavit inter conjuges, Dionys. Halicarn. lib. II. *Antiquit. Rom.* his verbis: *Lex autem haec erat: mulierem nuptam, quae ex sacris legibus in manum mariti convenisset, cum eo omnium bonorum et sacrorum participem esse.* Plutarchi. in *Praecept. connubial.* lib. XX., Baldnin. ad Leg. Romul. Cap. XIII. Haec tamen non diu stetit; nam in solennibus nuptiis per *confarreationem*, *coëmitionem*, et *usum*, cum uxor in manum viri conveniret, filiafamilias, et sua heres efficeretur, et omnia marito acquireret, Ulp. in *Fragm.* tit. IX., tit. XI. §. 13., et tit. XIX. §. 18. bonorum certe communitio in tam inaequali societate locum habere non poterat, neque tandem postea habuit, corruptis in dies Romanorum moribus, et nuptiarum demum solennibus abolitis, nisi id expresse cautum esset, l. 57. §. 1. *Solut. matrim.*, Tacit. IV. *Annal.* Cap. XVI.

Bonorum haec communitio nec etiam jure Canonico locum habet; nam in cap. 2. *de donat. inter vir. et uxor.* ea non fuit generaliter ab Urbano III. statuta, quod non nullis visum est; sed Pontifex suo rescripto se adcommodavit particulari Lexoviensis dioeceseos consuetudini, in qua publicis legibus bona inter conjuges dividebantur, ut bene notat Gonzal. ad cit. cap. n. 6.

*Ex jure nostro nascitur :*

§. III, Jure autem nostro bona communicantur inter conjuges, nisi contrarium inter eos actum sit, et communicantur, his etiam ignorantibus, virtute et potestate legis, et ex generali Regni consuetudine, Ord. lib. 4. tit. 46. in princ., et tit. 95., Emman. tit. 7., et lib. 2. tit. 47. §. 1.

Communio bonorum ex matrimonio simpliciter, et sine ulla adjunctione contracto hodie resultat, et hæc est Regni consuetudo, quæ quidem, regnante Alphonso V., in aliquibus tantum oppidis obtinebat, in eisque tantum ab eodem adprobata, uti ex illius Ordinatione constat lib. 4. tit. 12. §. 5.: posterioribus tamen Ordinationibus cæcis generaliter recepta fuit, et ubique obtinet, et quidem in omnibus bonis, sive jam possessis, sive acquirendis; universalis enim hodie hæc communio est, et comprehendit ea omnia bona, quæ alienari possunt. Apud Wisigothos bonorum communio, seu societas particularis erat, et ad quæstus tantum pertinebat; quare quæ vel jure hereditario ad alterum conjugem pervenerant, vel quæ alterutri fortunæ beneficio obtigerant, non erant utriusque communia, sed ad cujusque heredes transmittebantur, lib. 4. tit. 2. l. 16. Hanc vero (ut hoc obiter notem) bonorum communionem, quam leges nostræ præbent, politici non nulli contrariam esse existimant commercii utilitati: itaque publice interesse credunt, quod inter magnos saltem negotiatores locum non habeat. Sed hæc alii videant. Pluribus autem hæc communiō differt a societate omnium bonorum, quæ ordine suo recenset noster Valasc. *de partit.* cap. 5. n. 8.

*Et ex vero matrimonio, et consummato.*

§. IV, Hæc vero bonorum communio tum deum locum obtinet, quando verum et legitimum matrimonium fuit contractum, illudque postea perfectum et consummatum copula conjugali; duo enim hæc leges nostræ conjunctim requirunt, Ord. lib. 4. tit. 46. §. 1., Emman. lib. 2. tit. 47. §. 1.

Quia vero legibus nostris copula conjugalis requiritur, consequens est: 1) non sufficere coitum illicitum ante matrimonium; consummationem quippe non dicitur, neque perfectum ex coitu antecedenti, sed ex secuto: 2) non communicari bona, etiam si uxor in domum mariti deducta sit, si conjuges communem lectum non habuerint, ipsaque uxoratur prius, quam a marito fuisset cognita. Idem 3) dicendum de matrimonio cum infirma contracto, quae statim e vivis excessit: vel 4) de ea uxore, quae maritum semper fugit, eique nunquam sui copiam fecit, vel in torum nuptialem recepit: itaque lucra nuptialia non adquirentur, nisi conjuges concubuerint. Paulo aliter *Com. Decis. 124.*, Valasc. *Consult. 137.* n. 8., Covarr. *de sponsalib.* p. 1. cap. 4, n. 23.

*Non habet locum in putativo.*

§. V. Et cum matrimonium verum requiratur ex Ordinationibus citatis, sequitur communionem non resultare ex matrimonio putativo, quod a principio nullum fuit, quantumvis bona fide contractum. Hoc enim casu res novis pactionibus dirimenda est; communicantur tamen lucra, constante matrimonio, adquisita, si conjugis utriusque bona fides praecessit. Aliud visum fuit nostro Ant. Gam. *Decis. 290.*, et aliis.

*Communicantur bona adquisita, et acquirenda, constante matrimonio:*

§. VI. De bonorum hac communione cum quaerimus, seire nihil interest conjuges majores sint viginti quinque annis, vel minores, pauperes, an divites, nobiles, an ignobiles: semper enim communio omnium bonorum resultat etiam postea acquirendorum, quocumque titulo, lucrativo, vel oneroso, constante matrimonio, sicut habita; quod tamen intelligendum tantum est de matrimonio simpliciter contracto ad Regni consuetudinem, non

per dotem et arrhas. Valasc. *de part.* cap. 5. Nn. g.  
14.

*Et eo etiam soluto.*

§. VII. Eadem quoque communio eodem modo resultat in bonis acquisitis post solutum matrimonium propter saevitias, vel adulterium; jus enim nostrum communionem bonorum generaliter statuit, et cum nullum tempus excipiat, vel distinguat, illud nos sine lege distinguere haud debemus: hoc autem intelligendum est, quamdiu durat vinculum matrimonii; itaque, eo jure dissoluto, cessat communio. Eo etiam durante, ad communionem inducendam nihil interesse arbitror, an matrimonium uxoris, maritum culpa sit solutum; hac enim poena non adficitur conjux, qui divortio causam dedit.

Dubitari solet, an acquisita divortio sequente communicentur? Negat Covarr. *de sponsalib.* 2. p. cap. 7. §. 1. Nm 6. 7. : quia, inquit, *Leges de communione bonorum intelligendae sunt ita, ut locum habeant, postquam vir et uxor simul coeperunt cohabitare, et tempore, quo res adquiruntur, adhuc cohabitant.* Idem ibidem ait, bona soluto jam matrimonio, acquisita ab eo conjuge, qui divortio causam dedit, utrique communia in poenam fieri; secus si ab innocente, cui in totum acquiri debent, cessante cohabitatione. In eadem opinione inter alios fuit Senator Gama *Decis.* 357. Ego vero existimo, quod cum legis potestate communio ex vero legitimoque matrimonio resultet, statim atque eidem adcessit copula conjugalis, eaque comprehendat omnia bona praesentia et futura, iam acquisita, quam acquirenda, eandem communionem durare, etiam soluto matrimonio: vel quia illius vinculum non est solutum, et durat adhuc et perseverat post separationem; vel quia, illius causa cessante, conjuges ad eandem communionem redire tenentur: neque divortio causam dantes hac poena adfici debent, et communione privari, cum lege inflicta non sit. Nec excipio causam adulterii; quamvis enim uxor de eo convicta, et ultimo damnata supplicio, dotalia bona, et quaevis alia



alia amittat, marito, liberis non exstantibus, applicanda, Ord. lib. 5. tit. 25. §. 6., et tit. 38. §. 2., haec poena non separationi, seu divortio fuit imposita, sed adulterio.

*Nisi contrarium pactum sit.*

§. VIII. Societas tamen, seu communio bonorum, ut jam monuimus (§. III.), locum non habet, si conjuges contrarium inter se paciscantur, Ord. lib. 4. tit. 46. in princ. verbis: *Todos os casamentos . . . se entendem serem feitos per Carta d'ameidade: salvo quando entre as partes outra cousa for acordada e contractada; porque então se guardará o que entre elles for contractado.*

*Vel matrimonium per dotem celebratum.*

§. IX. Neque etiam locum habet, quando matrimonium fuit contractum per dotem et arrhas, et in formula juris communis, Ord. lib. 4. tit. 47. in princ. verbis: *Quando alguns casão não pelo costume e lei do Regno, per que o marido e mulher são meeiros, mas per contracto de dote e arras.*

*Adquisita hoc casu non communicantur; bene tamen fructus.*

§. X. Quando vero conjuges communionem pacto excludunt, vel, nullo pacto adjecto, simpliciter matrimonium contrahunt per dotem et arrhas, ab eadem communionem tacite recedere videntur; eaque jam locum non habet non solum in bonis, quae ipsorum erant tempore matrimonii, ex citata Ordinatione, verum etiam in acquisitis postea, eo constante. Lucra tamen et fructus ex eisdem provenientes communicantur.

Alvarus Valasc. *Cons.* 103. n. 7. , Gam. *Decis.* 314. n. 4. existimant bona post matrimonium quaesita communicari, vel quia excepta non fuerunt, vel quia hanc communionem postulare videtur natura societatis conjugalis. Ea vero cum nihil ad bonorum communionem pertineat (§. I. hoc tit.), sed ad concubitum tantum, individuumque vitae consuetudinem; in ea ego hodie opinione sum, communia non esse inter conjuges ea quoque bona, quae, matrimonio constante, adquiruntur, sed alterutri omnino adjudicanda; et haec est dispositio juris Romani ll. 8. 11. *C. de pact. convent.*, cui se conformare videntur conjuges, qui per dotem et arrhas, et ad illius formam nuptias contraxerunt; et ita nobiscum sentiunt Barb. ad l. 1. *D. solut. matrim.* p. 1. n. 34. et p. 4. n. 100., Perer. *Decis.* 53. Sed vero bonorum proprietates quamvis non communicentur, sed ejus maneat, qui eam quovis titulo adquisivit, fructus tamen et lucra ex eadem percepta communicantur, eaque maritus, lege permittente, capit jure maritali, quae propterea debet in communis societatis usus convertere; illorum enim in solidum dominus non est, sed administrator legitimus, et fructuarius. Perer. *supr.* n. 8., Barb. p. 1. n. 36., Valasc. *de partit.* cap. 6. n. 37., Schilter. *Exercit.* XXXVI. ad Pand. §. 78.

*In secundis quoque nuptiis bona communicantur.*

§. XI. In secundis quoque nuptiis bona communicantur inter conjuges, filiis etiam exstantibus prioris matrimonii; quod, ut jam non semel diximus, intelligendum est de matrimonio simpliciter contracto ad Regni consuetudinem.

Ordinationes Regiae, quae communionem statuunt inter conjuges, non excipiunt secundas nuptias: in eis itaque locum habet, etiam liberis exstantibus prioris matrimonii, qui quidem legitima, quam a parente praemortuo habuerunt, contenti esse debent, eaque eisdem tradenda, si majores, vel illorum tutoribus, si minores sint, vel patris demum legitimae administrationi relinquenda, Ord. lib. 1. tit. 88. §. 6. Filii ergo neque secundis nuptiis obstare possunt, neque communioni bonorum a lege statuta, sive jam

quaesitorum, sive, secundo matrimonio constante, adquirendorum: omnia autem bona, parente communi mortuo, tandem aliquando inter liberos communes dividenda sunt. Excipiuntur paterna, maternave bona, in quae pater, materve filio successit, quae secundo matrimonio non communicantur, et servari debent filiis prioris matrimonii, Ord. lib. 4. tit. 91. §§. 2. 3. 4.: haec autem exceptio, quae speciali ratione nititur, de qua suo loco (Inst. Lib. III. Tit. VIII. §. XV.), probat regulam de bonis communicandis tam in primis, quam in secundis nuptiis, Novell. Const. 9. Septembr. 1769. §§. 27. 28. 29. prohibita fuit communio bonorum, exstantibus liberis prioris matrimonii; jus tamen antiquum reductum fuit, et novum praefata Constitutione inductum abrogatum Augustae nostrae Decret. 17. Jul. 1778. Reinos, *Observat.* 43.

*Et quid de muliere quinquagenaria.*

§. XII. Idem fere dicimus de muliere quinquagenaria, quae secundo nupsit; nam eadem aequae communio ex hoc secundo matrimonio resultat, non exstantibus liberis, et, iis exstantibus, in bonis tantum adventitiis post secundas nuptias acquisitis. Ea verò bona, quae mater jam habebat tempore secundarum nuptiarum, vel quae postea ab adscendentibus, descendantibusve quovis titulo adquisivit, non communicantur, neque de eis disponere potest inter vivos, vel mortis causa, tertia excepta, quae in legitimam non computatur, Ord. lib. 4. tit. 105., Eniman. tit. 75. §. ult.

Non odio matrimonii, sed favore filiorum nituntur citatae Ordinationes: quae in casu, quo communioni locus non est, intelligendae quoque sunt de bonis mariti, qui quinquagenariam duxit, et de ipsa quoque tertia bonorum, de qua quidem ntor libere disponere potest: quam nimirum facultatem non haberet, si cum marito communis foret. Quia vero praefata Ordinatio de femina quinquagenaria, quae, liberis exstantibus, secundo nupsit, loquitur; sequitur 1) ejus dispositionem locum non habere in viro quinquagenario; 2) ne-

que in femina quinquagenaria, liberis non exstantibus, etiamsi 3) parentes existent: neque 4) in bonis postea acquisitis, quae ab adscendentibus, descendantibusve non sunt profecta; quae omnia, ni fallor, optime deducuntur ex Ord. versis: *Quando alguma mulher casar, sendo de circoenta annos, ou duhi para cima, tendo filhoz, ou outros descendentes . . . não poderá alhear, per titulo algum que seja, em sua vida, nem ao tempo de sua morte as duas parte dos bens, que tinha ao tempo, que concertou de se casar, nem as duas partes dos bens, que despois de ser casada houve per qualquer titulo de seus ascendentes, ou descendentes; e sómente poderá dispôr da terça dos ditos bens á sua vontade.* Quae quidem verba non solum ea, quae diximus, mirifice probant, sed clare etiam demonstrant et firmant regulam de bonis communicandis in secundis nuptiis, etiam liberis exstantibus; quia solum communionem negant in quinquagenaria secundo nubente, qui casus specialis est. Gam. *Decis.* 320., Cabed. p. 1. *Decis.* 114., Phoeb. p. 1. *Decis.* 93., Aegid. ad l. *Filiae* 100. *de cond. et demonstrat.* p. 3. n. 75.

### *Quibus in bonis communicatio cesset.*

§. XIII. Quaedam tamen bona sunt, quae communicari prohibentur, veluti majoratus, emphyteutica, et Regiae Coronae, Ord. lib. 4. tit. 95. §. 1.: meliorationes autem, et expensae extraordinariae his in bonis factae, quibus meliora reddita sunt, communicantur; itemque aestimatio, aut pretium emphyteusis, constante matrimonio, emtae, Ord. lib. 4. tit. 95. §. 1. vers. *salvo*, et tit. 97. §. 24. eod., Valasc. *de partit.* cap. 6. n. 18., et *Consult.* 116. nn. 14. 15.

### *Non communicatur aes alienum.*

§. XIV. Quando vero aes alienum uxoris maritum communicetur, difficile est definire. Et primum cum bona non intelligantur, nisi eo deducto, quando matrimonium ad Regni consuetudinem fu it

contractum, certum est non communicari aes alienum antiquum conflatum ante matrimonium; itaque ad illius solutionem is tantum tenetur, qui illud contraxit, de propriis, non de conjugis bonis: communicatur autem aes alienum novum factum post matrimonium; quia ad societatis totius commodum factum esse videtur. In matrimonio per dotem aes alienum suum semper auctorem sequitur, et nunquam communicatur, sive ante matrimonium, sive eo jam sequuto contrahatur. Et haec summa regula est, deducta ex Ord. lib. 4. tit. 95. §. 4., Emman. tit. 7. §. 5., de qua videndi Vatas. *de part.* cap. 23. et *Consult.* 103. a n. 33., *Gam Decis.* 177. 186. 200., *Gabr. Per. Decis.* 50. et 86., *Cabed. P. I. Decis.* 131., *Barb. in l. Si constante 24. D. solut. matrim.* a n. 47., *Boehmer. Dissert. De aeris alieni inter conjuges communione ex jure Hamb.*, in qua praeclara multa habentur, quae legibus nostris et moribus conveniunt.

*Possessio uxoris post viri mortem.*

§. XV. Ex bonorum hac communione plures consequuntur effectus; praecipuus autem is est, quod uxor, quamvis vere non possideat, vivo mortuove marito, tamen post ejus mortem jure nostro pro possessore habeatur, et in bonorum possessione maneat, seu, ut loquitur dicta Ord. tit. 95. in princ., *em posse, e cabeça de casal*, quam nimirum, si ab ea fuerit dejecta; potest possessoriis remediis recuperare. Mortuo igitur alterutro conjugis, possessio continuatur usque ad subsequentem divisionem, et interim superstes bona sibi cum defuncti liberis communia possidet et administrat; qua tandem posita, pars dimidia bonorum eidem adsignatur.

Quod vero jure nostro, constante matrimonio, bonorum possessio penes maritum tantum sit, ex dicta Ordinatione bene colligitur verbis: *o marido por morte da mulher continúa a posse velha*; neque enim citatae Ordinationis remedio opus esset, si uxor bona pro sua parte, vel cum marito, et in communi possideret. Haec autem possessio cum mere civilis sit, ministerio legis introducta, eos dumtaxat effectus operatur, qui eadem Ordinatione continentur, eaque solum de eo matrimonio intelligenda, ex quo rerum bonorumque communio resultat; quod expresse decisum exstat §. 3. ejusd. Ord. ibi: *E o que dito he, não haverá lugar nos casamentos feitos por cartas de arras*. Valasc. *de part. cap. 6. nn. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 34. 35.*

*Et quibus in bonis locum habeat.*

§. XVI. Civilis haec uxoris possessio cessat omnino, communione cessante, ex qua ipsa resultat. Quare locum non habet in bonis majoratus, emphyteuticis, et Regiae Coronae, quia non communicantur; ea tamen, quamvis communia non sint, a conjuge superstite retineri possunt ratione impensarum et meliorationum, vel quando ei sunt, domino consentiente, obligata, ex cit. Ord. lib. 4. tit. 95. §. 1. vers. *salvo*.

Communio solum ad bona alienabilia spectat, qualia non sunt majoratus, cetera, quae alienari prohibentur: fructus tamen ex hujusmodi bonis percepti communes sunt. Hoffm. *Dissert. de commun. bonor. conjug.* Haec autem bona, quamvis in communione non sint, retineri quidem possunt ratione impensarum; ab illorum tamen possessione conjux superstes removendus est, eaque statim legitimo successorum tradenda restituendaque sunt, si cautionem ei sufficientem praestiterit de impensarum meliorationumque valore dando, quandocumque certas eas esse et liquidas adparuerit; et haec est praxis, de qua testatur Valasc. *de part. cap. 6. n. 23.*, et *de jur. emphyt. quaest. 25. n. 23.*, Phoeb. p. 2. *arrest. 11.*

*Non publicantur bona uxoris ex delicto conjugis.*

§. XVII. In civili hac bonorum possessione manet conjux superstes (Lusitane dicimus *estar em posse, e cabeça de casal*), ab eaque privari non potest ob defuncti conjugis crimen; et cum poena suos tantum debeat tenere auctores, ob illius delictum, cujus particeps non fuit, bona sua non amittit, eaque propterea publicari prohibentur, Ord. lib. 4. tit. 46. §. ult., et lib. 5. tit. 6. §. 20., Cabed. P. I. *Decis.* 183. n. 10. et II. *Decis.* 82. n. 15. (Inst. Jur. Crim. Tit. I. §. XXII.).

Uxor nullo jure tenetur ex delicto mariti, vel vice versa; cui consequens est: 1) ut conjux, qui ex delicto mulctam incurrit, eam de propriis tantum bonis solvere debeat: 2) eidem solum imputari quae alea v. g. amisit, vel ex facto quovis illicito: 3) aes alienum, quod ejus vitiis alendis, non communis societatis bono fuit conflatum, et id genus alia, quae quidem non de communibus bonis, sed de sua tantum parte sunt deducenda; adeoque injuria in sortem conjugis innocentis imputantur. In criminibus enim nulla datur societas, nisi probetur socium eorum participem esse, qui aequo solum animo ferre debet damnum, quod casu, et ratione societatis accidit, non alterius culpa, vel delicto, ex citatis Ordinationibus, quibus adjungenda Ord. lib. 4. tit. 64., Valasc. *de part.* cap. 24., Cabed. p. 1. arést. 20.

*Communione alii effectus in bonis immobilibus:*

§. XVIII. Ex eadem communione bonorum necessario consequitur, ut neuter conjux possit sine alterius consensu res immobiles alienare; et haec summa regula est. Et inde fit I.) non valere donationes, permutationes, venditionesve immobilium sola mariti voluntate sine expresso uxoris consensu, de quo per scripturam publicam debet constare, Ord. lib. 4. tit. 48. in princ., Emman. 6., Alphons. 11., II.) alienationem nullam esse, quocumque modo

matrimonium contractum dicatur, ead. Ord.: III.) uxorem eam posse revocare, et res alienatas repetere, auctoritate prius a marito, vel, eo repugnante, a iudice petita, §. 2. ejusd. Ord., et ult. Ord. lib. 3. tit. 47.: IV.) ut super eisdem rebus vir sine uxore, et contra, in iudicio non audiatur, etiam in possessorio, Ord. lib. 3. tit. 47. in princ.; speciale enim est, quod ad vias reparandas, et in pristinum statum reducendas vir, uxore non audita, a iudice compelli possit, Ord. lib. 1. tit. 66. §. 11.: V.) ut ad ipsam quoque alienationem necessariam, et ad ipsius rei iudicatae executionem conjuges utrique audiri debeant, Ord. lib. 3. tit. 86. §§. 27; et 28. in fin.: et VI.) ad adpellationem quamcumque judicalem prosequendam, Ord. lib. 1. tit. 79. §. 22., et lib. 3. tit. 70. §. 4.

#### *Et mobilibus.*

§. XIX.. Haec de immobilibus. Mobilia potest maritus, invita uxore, alienare; alienato autem si immodica, et grave inde praejudicium sequatur, suam tantum portionem, non uxoris dimidium adficit, Ord. lib. 4. tit. 64.; contra vero uxor ne pro sua quidem parte mobilia alienat, quia sine marito contrahere non potest, Ord. lib. 4. tit. 66., et in iudicio neque agere, neque conveniri, Ord. lib. 3. tit. 47., Cabed. P. I. *Decis.* 106., Phoeb. *Decis.* 98. et 180. n. 12. Haec autem jura et similia derivantur etiam ex maritali in uxorem potestate, de qua titulo antecedenti.



## TITULUS IX.

### De jure dotium.

#### *Varia pacta dotalia.*

§. I. **N**uptiis adjungi saepius solent *dos*, *donatio propter nuptias*, *arrhae*, *dotalitium*, *sponsalitia largitas*, et varia pacta dotalia, quorum frequentissima *dos* est, de qua primo loco agendum; sed prius distinguenda inter se bona *dotalia*, *paraphernalia*, et *receptitia*.

*Quae dotalia, paraphernalia, et receptitia bona*

§. II. *Dotalia* bona ea dicuntur, quae expresse in dotem sunt data, et a reliquis segregata speciali dotis nexui fuerunt supposita: cetera, quae uxor in mariti domum secum abduxit, et illius administrationi subjecit, vel quae demum, stante matrimonio, quocumque titulo adquisivit, *paraphernalia* dicuntur: *receptitia*, quae uxor sibimet ipsi servavit, et quorum scilicet dominium et administrationem ipsa tantum habet, non maritus. Bonorum itaque dotalium dominium naturale est penes uxorem, civile penes maritum: in paraphernalibus maritus administrationem tantum habet, non dominium: in receptitiis nec dominium, nec administrationem.

Distinctio haec bonorum vel jure Romano, vel usu forensi recepta est; ea vero solum locum habet in matrimonio per dotem contracto: nam si simpliciter sine ulla pactione contrahatur, bona jam non dotalia, vel paraphernalia, sed conjugum propria et communia indiscriminatum dicuntur; pendet ergo ex pactionibus autenuptialibus, quae generaliter adprobantur Ord. lib. 4. tit.

46. in princ. verbis : *Salvo quando entre as partes outra cousa for acordada e contractada, porque então se guardará o que entre elles for contractado.* Pactio de receptitiis bonis vix in usu est, sed facta tenet ex dicta Ord. In paraphernalibus maritus administrationem, non usumfructum, vel simile jus aliud, quemadmodum in dotalibus, habet; tota tamen haec res ex paciscentium voluntate dependet. In summa monendum, ea fere omnia, quae de dote et pactis dotalibus jure Romano constituta sunt, in foro nostro regnare, paucis quibusdam exceptis, quae suis locis more nostro adnotabimus.

*Dos quid.*

§. III. *Dotem* eam nos pecuniam dicimus, quae viro pro muliere expressa conventionione datur ad ferenda onera matrimonii. Pecuniae nomine veniunt res omnes, quae usui esse possunt. Haec bona per pacta dotalia determinari solent, in quibus necesse non est, quod dotis titulus speciatim nominetur, et sufficiunt quaevis verba, quae substantiam et rationem dotis certo declarent; in dubio enim dos constituta non censetur.

Bona mulieris in dubio paraphernalia censenda esse, jure meritoque tradit Menoch. lib. 3. *de praesumt.* 7. : contra vero alii pro dote illata omnia indistincte adiciunt. Schilt. *Exercit.* XXXVI. ad Pand. §. 77. nullius usus esse ait distinctionem inter paraphernalia bona et dotalia; sed apud nos usu est recepta, et jam ab eo tempore, quo jus Romanum auditoria nostra penetravit, illiusque mentionem facit Barb. p. 3. ad l. 1. *D. solut. matrimon.* n. 31., et passim Scriptores nostri: nec vero haec quaestio otiosa est, sed plures habet effectus, veram utilitatem et emolumentum continentes (§§. XV. XIX. Not. hoc tit.).

*Profectitia, et advertitia.*

§. IV. Quae a patre dos constituitur, *profectitia*, quae à matre, vel extraneo, *advertitia* appellatur, l. 5. in princ. et §§. 9. 11. *de jur. dot.* Haec

tamen juris Romani distinctio tolerari potest, quamvis nullius ferme usus sit, vel quia filii per nuptias patria potestate liberantur, Ord. lib. 1. tit. 88. §. 6., vel quia matrimonio morte soluto, dos, licet profectitia, non ad constituentem, uti jure Romano l. 6. *de jur. dot.*, sed ad uxorem, ejusve liberos spectat.

Quod Pomponius ait dicta l. 6.: *Jure succursum est patri, ut filia amissa, solatii loco cederet, si redderetur ei dos ab ipso profecta, ne et filiae amissae, et pecuniae damnum sentiret*, hodie locum non habet; nam dos, mortuo marito, ad uxorem, non ad patrem, a quo fuit profecta, et, uxore mortua, ad illius filios, vel alios heredes pertinet: dos tamen ipsa conferenda est, Ord. lib. 4. tit. 97. in princ. Adventitia non confertur, Valasc. *de partit.* cap. 12. a n. 20., et cap. 13. nn. 13. 14., Per. *[Decis.* 28. n. 3.

*Tenetur pater filiam dotare :*

§. V. Cum ergo ad patris officium pertineat filiis, filiabusve in omnem eventum prospicere, is tenetur pro sua legitima progenie dotem constituere, l. ult. C. *de dot. promiss.*, et cogi a judice potest filiam in matrimonium collocare, et dotare, l. 19. *de rit. nupt.*, Barb. ad l. 1. D. *solut. matrim.* P. 4. n. 1. et seq., etiam divitem; officium enim paternum filiae divitiis solvi haud potest. Barb. supr. n. 23. Aliter Vinn. *Select. jur. quaest.* lib. II. cap. 14.

*Etiam illegitimam.*

§. VI. Ad filias etiam illegitimas et spurias officium hoc paternum extendi debet; itaque pater easdem quoque et alere, et dotare tenetur, si inopes sint. Bene autem notat Barb. loc. cit. n. 56. vers. *Quare: Quod filia naturalis non meretur tantam dotem, quantam filia legitima.*

Non semper validum est argumentum de successione testamentaria, vel legitima ad dotis causam, vel filiorum alimenta; nam successio a lege dumtaxat civili pendet, qua privantur quicumque jure filii non sunt, vel agnati, cognative; alimenta vero et dos a natura debentur, et a jure sanguinis, officioque paterno proficiscuntur: hae autem naturae aequitatisque rationes aequae parenti naturali simul et legitimo, vel naturali tantum conveniunt; utriusque enim natura idem officium est.

*Item mater:*

§. VII. Mater jure Romano non nisi ex magna causa et in subsidium dotem filiae dare cogitur, l. 14. C. *de jur. dot.* Verum apud nos cum inter conjuges bonorum omnium communio resultet, Ord. lib. 4. tit. 46., mater non demum in subsidium, sed aequae principaliter ac pater filiam dotare tenetur de communibus bonis. Mortuo igitur patre, et bonorum divisione instituta, mater ab onere dotandi immunis est, et filia sua portione contenta esse debet. Barb. l. 1. *solut. matrim.* p. 4. nn. 89.90.

*Et frater.*

§. VIII. Frater autem solum in subsidium de propriis bonis sororem inopem dotare tenetur, pro modo scilicet alimentorum, non pro dignitate sua, vel facultatum suarum ratione, l. *Cum plures* 12. §. *Cum tutor* 3. *de administrat. et pericul. tutor.*, Barb. supr. a n. 125., Perer. *Desis.* 28. n. 3., Themud. *Decis.* 35. n. 6.

*Non tenetur filius matrem dotare.*

§. IX. Filii tamen non tenentur matrem ad secundas nuptias convolantem dotare; quamvis enim inter parentes et liberos eadem sit alimentorum ratio, non idcirco producenda semper est ad

dotis causam, praesertim in secundis nuptiis, quas jus nullo favore prosequitur, l. 22. C. *de administrat. tutor.*, Stryk. ad tit. *de jur. dot.* §. 6.

*Dos quomodo probetur.*

§. X. Dos non nisi expressa conventionem constituitur, quae utique probari debet, alioquin bona non dotalia, sed paraphernalia erunt (§. III. hoc tit.); ea vero inter extraneos constituta, si summam lege definitam excedat, probari non potest per testes, scripturamve privatam, sed ad publica debet instrumenta referri, Ord. lib. 3. tit. 59. in princ.; secus inter consanguineos, ead. Ord. §§. 11. 12.

*Et quibus in rebus constituatur.*

§. XI. In dotem ea omnia dantur, quae in commercio sunt, et usui marito esse possunt; recte ergo constituitur in bonis mobilibus, immobilibus, quin et litigiosis, Ord. lib. 4. tit. 10. §. 11., l. ult. §. 1. in fin. C. *de litig.* Non possunt tamen in dotem dari bona Regiae Coronae, Rege incognito, Ord. lib. 2. tit. 35. §. 18., neque emphyteutica, incio domino, Ord. lib. 4. tit. 38. in princ., *Gama Decis.* 244., neque majoratus contra legem institutionis.

*Illius quantitas.*

§. XII. Dotis quantitas antiquissimis temporibus tenuis erat (Histor. Jur. Civ. Lusit. Cap. I. §. 1X.). Sub Gothorum in universa Hispania dominatione non poterat decimam bonorum excedere, lib. 3. tit. 1. l. 5. Hodie, dote ab extraneo constituta, nulla lege illius quantitas definita exstat; a parentibus vero si constituatur, non potest filiae

legitimam, et tertiam parentis excedere, Ord. lib. 4. tit. 97. §. 3.

Quod filiabus nubentibus in tanta majorum nostrorum paupertate dabatur, levioris quidem pretii erat. Postea, gliscentibus opibus, dotes satis luculentae erant, et initio fere in auro et argento rudi, pecunia numerata, et pretiosa suppellectili consistebant; ultimo tandem bona immobilia, feudalia, Regalia in dotem dari coeperunt. Nuptiae autem cum magno adparatu et pompa inter nobiles praesertim celebrari olim consueverunt: hinc introductae sunt *collectae*, seu precariae exactiones, Lusitane *pedidos*, a subditis praestandae, cum illorum filii equestribus armis cingerentur, vel filiae nubere, Ord. lib. 2. tit. 26. §. 4., Barb. ad l. 1. D. *solut. matrim.* p. 4. n. 14. in fin.

### *Illustrium dotes.*

§. XIII. Feminarum illustrium dotes, salva legitima, non poterant excedere summam decem supra duo millia numorum (id est, *doze mil cruzados*), ex Joannis IV. Diplom. 14. Aug. 1645. apud Ord. lib. 4. tit. 47. Collect. I. N. 1. Josephi I. Nov. Const. 17. Aug. 1761. feminae illustres, quarum parentes centena tria millia annua lucrantur (*tres contos de reis*), legitima parentum privantur, etiam in ipsis bonis allodialibus, et dotis nomine non aliud capere possunt, quam novam suppellectilem linteam, ad valorem quatuor millium numorum aestimatam (*quatro mil cruzados*). Hodie Augustae Fidelissimae Decreto 17. Jul. 1778. dicta Novella abrogata, feminis illustribus legitima in omnem eventum restituitur, et illarum dotes ad Patriarum legum praescriptum sine ulla distinctione valent, et sustinentur, si non fuerint inofficiosae, id est, si quae in dotem dantur, earum legitimam et tertiam parentis honorum non excedant, Ord. lib. 4. tit. 97. §. 3., Valasc. *Consult.* 188. Eodem Decreto

donatio a sponso, ejusve parente sponsae semel facta valet ad summam usque octo millium numorum, quae minor quidem erat Joannis V. Pragmat. 24. Maii 1749. cap. 16.

*Mariti jus in fundo dotali :*

§. XIV. Jus mariti pro rerum diversitate diversum est. Nam primum fundum dotalem neque alienare, neque obligare, oppignerareve potest, etiam consentiente uxore; adeoque locum hodie, et jam dudum apud nos habet Justiniana constitutio in l. ult. §. 15. C. *de rei uxor. act.*, et in princ. Inst. *quib. alien. licet, vel non* (Inst. Lib. IV. Tit. VI. §. XII.).

De usu et auctoritate legis Juliae dictaeque Justinianae constitutionis, quibus fuit prohibitum res dotales immobiles obligare et alienare, etiam de consensu uxoris, dubitare vix licet: quare Ordd. lib. 4. tit. 48. et 60., quae per argumentum, quod vocant a contrario sensu, contrarium statuere videntur, intelligi debent non de bonis proprie dotalibus, sed de paraphernalibus, vel de adquisitis constante matrimonio, vel communibus. Valasc. *Cons.* 150. Et adeo inutilis est alienatio, obligatiove fundi dotalis, ut ne pro fisco quidem facta valeat; Phoeb. p. 2. arest. 10. Principis tamen rescripto dotalia bona cum aliis possunt permutari, §. 40. Regim. Palat. Curiae.

*In paraphernalibus bonis :*

§. XV. Paraphernalia autem bona de uxoris consensu alienare potest, et obligare ex dicta Ord. lib. 4. tit. 48. et 60., neque uxor contra alienationem de illius voluntate factam aliqua exceptione juvvari potest; contra vero juvatur exceptione *Velletiani* adversus obligationem, fidejussionemve, ea licet consentiente factam, seorsum, vel una cum

marito, et ita intelligenda est cit. Ord. tit. *Ca. Cama Decis.* 31.

In paraphernalibus locum non habet lex Julia de fundo dotali non alienando, obligandove, uxore etiam consentiente: itaque haec bona de illius consensu bene potest maritus alienare, quin et uxor ipsa, marito inscio et invito; illius enim tantum sunt, l. 6. *C. de revocand. donat.*, l. 35. *C. de donat.*, *Cyriac. controv. for.* 29. n. 30.; quod intelligendum, si maritus in hujusmodi bonis usumfructum non habeat, vel jus aliud huic simile, quo casu illius consensus requiritur.

### *Communibus*

§. XVI. Bona communia immobilia de uxoris expresso consensu, de quo per scripturam publicam constet, maritus alienare, et obligare potest, Ord. lib. 4. tit. 48. in princ.; uxore autem inscia et ignorante, non valet alienatio ne pro parte quidem mariti, et ab eodem quoque in totum revocari potest ex dicta Ord. §. 3. De uxore nullus dubitat.

Cum haec immobilium alienatio nulla prorsus sit, uxor de mariti consensu, vel, eo repugnante, de iudicis licentia eam potest revocare; maritus tamen sine uxore non potest revocare, et nullam dicere alienationem, quam sua sponte fecit, Ord. lib. 4. tit. 48. §. 3; et haec differentia inter utrumque conjugem eo vel maxime notanda est, quia juri Romano adversatur, quo inspecto, marito ne cum uxore quidem permittitur rem, quam ipse tantum vendidit, vindicare; obstat enim exceptio rei venditae et traditae, et regula vulgaris, quod quem de evictione tenet actio, hunc agentem repellit exceptio (tit. VIII. §. XVIII.).

### *Et mobilibus.*

§. XVII. Mobilia, pretiosa licet, maritus, qui in communiione vivit, recte sine uxore alienat; potest



potest tamen uxor donationem pro sua parte revocare, soluto matrimonio, Ord. lib. 4. tit. 64., Emman. tit. 6. §. ult., l. 68. D. *pro soc.* De illius consensu alienare potest mobilia quaecumque etiam dotalia, nam lex Julia de immobilibus tantum loquitur. Res minus pretiosas, et parvi momenti suo tantum arbitrio et voluntate alienat: neque uxori unquam fas est res hujusmodi quovis modo alienatas, constante solutove matrimonio, revocare. Haec, et non nulla alia marito tamquam familiae capiti et principi conceduntur, quae propterea uxori ex citatis Ordinationibus denegantur, quia mariti dumtaxat, non uxoris mentionem faciunt (tit. VIII. §. XIX.).

Haec est praerogativa mariti. Uxor ne mobilia quidem parvi momenti alienare potest, etiam eleemosynae causa, neque contractus quoscumque celebrare sine marito, eo licet absente, nisi de iudicis licentia, neque bona communia, vel dotalia donare, vel administrare, constante matrimonio, Ord. lib. 4. tit. 64., Cabed. P. I. *Decis.* 106., Phoeb. *Decis.* 98. et 180., Barb. ad l. 1. *solut. matrim.* p. 1. a n. 38. In Castella etiam uxor sine licentia mariti contrahere non potest, prout expresse decisum estat l. 55. *Tauri*, l. 2. tit. 3. lib. 5. *Recopil.*; et hoc quidem multo antea constitutum moribus erat, l. fin. tit. 11. lib. 1., et l. 3. tit. 20. lib. 3. *Fori*, Covarr. *de sponsalib.* p. 2. cap. 7. §. 1. n. 1.

### *Quomodo uxor obligatur ex contractu mariti.*

§. XVIII. Uxor obligatur ex contractu mariti sine illius consensu gesto, et de lucro damnoque participat, si modo ita comparatus sit, ut possit sua natura damnum, lucrumve adferre. Et hinc est quod, si maritus sine uxore redditus annuos, sive publicos, sive privatos conduxerit, et eo nomine bona obligaverit, uxor hac obligatione teneatur, et lucrum, vel damnum inde resultans sentiat; non tenetur tamen obligatione fidejussoria mariti, quia

semper noxia est, Ord. lib. 4. tit. 60. in princ. et vers. *E' isso mesmo*, Emanan. tit. 13., Alphons. tit. 16., Barb. ad l. 1. D. *solut. matrim.* p. 3. n. 62.

### *Dotis privilegia praecipua.*

§. XIX. Inter dotis privilegia illud praecipuum est, quod illius repetendae causa omnia bona mariti tacitae hypothecae nexui sint supposita, et quod in ejus repetitionem omnibus creditoribus, anterioribus licet et chirographariis, tacitam, expressamve hypothecam habentibus, praeratur, Diplom. 17. Aug. 1764. §. 7. verbis: *E' se conservaráo na referula posse com os privilegios de preferencia, e com todos os mais, que por Direito se acháo estabelecidos a favor dos bens dotaes*: Edicto 20. Jun. 1774. §. 40.: *Excepção em setimo lugar o dote, quando consistir em fazendas, e se der estimado ao marido; para preferir a respeito delle a mulher a outros quaesquer credores anteriores, ou posteriores do mesmo marido, posto que seja geral, ou especialmente hypothecarios.*

Pomponii sententia in l. 1. D. *solut. matrim.*: *Dotium causa semper et ubique praecipua est: nam et publice interst dotis indieribus conservari, cum dotatas esse feminas ad subolem procreandam, replendamque liberis civitatem maxime sit necessarium, Haec autem quamvis ita se habeant, non adeo extendenda dotis privilegia sunt, ut jus tertio quaesitum possint auferre; quinimo et multi serid existimant e Republica esse, quod illorum usus ad Spartanorum exemplum vel omnino supprimatur, vel saltem arctioribus limitibus coangustetur; sed haec alii videant: quod ad nos adinet, in Ordinationibus Regiis, quibus nimirum, de dotium privilegiis ne verbum quidem, quod sciam, invenitur; ea autem in foro, prout a jure Romano constituta sunt, jam dudum, et ab illius receptione, servantur, et hodie citatis Novellis expresse inveniuntur adprobata. Tacitae hypo-*

thecae privilegium invenire licet l. 12. §. 1. C. *qui potior. in pignor.*, l. unic. §. 1. C. *de rei uzor. act.*, quod eisdem legibus uxoris quoque heredibus competit. Privilegium praelationis constat ex eisdem juribus; haec tamen non extraneis heredibus, sed uxori tantum, vel ejus liberis competit, l. unic. C. *de privileg. dot.*, Novell. gr. cap. 1. Paraphernalia bona, vel propter nuptias donata, privilegio tantum hypothecae, non praelationis utantur, l. 29. C. *de jur. dot.* Nullo vero privilegio, ne hypothecae quidem, uxor gaudet in bonis mariti ratione alimentorum, quae videm a lege debentur, vel adquiretorum, constante matrimonio, cum citatis Novellis concessum non sit, nec possit sine lege produci et extendi ad casus etiam similes. Barbbs. *solut. matrimon.* l. 1. p. 3. nn. 27. 28. 31.

### *Dotis insinuatio.*

§. XX. Dotis tamen datio, quemadmodum reliquae donationes, insinuati debet, nec valet ultra summam praescriptam Ord. lib. 4. tit. 62., Emman. tit. 54., Alphons. 68. eod., Novell. 25. Jan. 1775.; quae tamen de dote tantum *adventitia* sunt intelligendae; nam *profectitia* nulla insinuatione indigere videtur.

Leges Romanae de insinuandis donationibus pertinebant magis ad donationes *simplices*, quae ex mera liberalitate fiunt, quam ad *relatas*, quae certum finem causamque habent, et magis ad promissionem de donando, quam ad res ipsas jam donatas et traditas, Thómas. in Not. ad Inst. tit. *de donat.*, et ad eas maxime, quae occulte et privatim fiebant, l. 25. C. *de donat.*, Schiltér *Exercu.* XLIII ad Pandect. §. 6. Insinuare hoc jure idem erat atque donationem publice profiteri, eamque in publicas tabulas referre, vel apud acta coram iudice domicilii, vel rei sitae, l. 3. Cod. Theod. *de donat.*, l. 25. Cod. Just. *eod.*, vel alio quocumque, cum hic actus ad *voluntariam jurisdictionem* referatur. Lutterbach. *Compend. jur.* ad tit. *de donat.*, et ad l. 32. C. *eod.* Donationes igitur omnes Constantinus indiscriminatim insinuandas esse decrevit ll. 1. 3. Cod.

Theod. *de donat.* Theodosius cum Honorio remisit necessitatem insinuationis in donationibus ante nuptias intra ducentos solidos, l. 8. Cod. Theod. *de sponsalib.* Idem insinuationem, hoc est, scripturam judicialem necessariam non esse declaravit, quando donatio idoneis testibus, vel aliis idoneis documentis comprobatur, l. 29. C. *de donat.* Justinianus, quod Theodosius constituerat in donationibus ante nuptias intra ducentos solidos, ad donationes omnes extendit intra trecentos, l. 34. C. *de donat.*, et demum intra quingentos, l. 36. §. 3. *eod.*, §. 2. Inst. *de donat.*, exceptis quibusdam donationibus, quae nulla insinuatione indigu, quas inter dotales potissimum numerantur, l. ult. C. *de jur. dot.*, Novell. 127. cap. 2. Et haec satis jure Romano. Nobis insinuatio idem est atque confirmatio a Rege, vel a Palatii Curiae Senatoribus petita; et concedi debet, si constet donatoris et vicinorum testimonio donationem non vi esse, dolo, metuve extortam, Ord. lib. 4. tit. 62. §. 1. Et necessaria est in donationibus, publica licet scriptura firmatis, et judicialibus, seu apud acta; eaque petenda non a quocumque iudice, sed a Rege tantum, vel Regis Senatoribus: quae aliter se habent jure Romano, a quo insinuationis vocabulum nos hodie, uti alia multa, retinemus, sed alio plane sensu. Hanc in rem Ord. Alphons. lib. 4. tit. 68. ibi: *Segundo Direito commum e geralmente usado, toda doaçom, que passa contra de quinhentas dobras, ou coroas d'ouro, deve ser insinuada, que quer tanto dizer, como cousa aprovada pela Justiça da terra; et infra: E peroque os Direitos estabelecessem que esta insinuaçom fosse feita pelos Juizes das terras, a usança geral destes Regnos e estilo da Corte foi, e he usado per tam longuo tempo, que a memoria dos homens nom he em contrario, que taes doações sejam per nós confirmadas; et ibi: mandaremoslhe assy dar nossa carta de confirmaçom.* Jam vero ex hac Ordinatione, et similibus in Codice Emmanuelino et Philippino, et ex forensis nostrae jurisprudentiae historia in re, de qua agimus, haec in summa notanda: I.) Wisigothorum, quibus olim viximus, legibus res per scripturam donatas, vel traditas nulla insinuatione indigere, lib. V. tit. 2. l. 6: II.) ea, quae Jacobus Gothofredus, et alii tradunt de usu Theodosiani Codicis in Occidente, ad remotissima tempora referenda ante Wisigothos, vel eisdem in Hispania dominantibus: III.) a saeculo XII. non jns Theodosianum, sed Justinianeuum in Lusitania obtinuisse: IV.)

verbo *Direito commum* in citata Ordinatione Alphonsina intelligi Justinianum; vel quia hoc tempore illud tantum in foro regnabat; vel quia mentio specialis *quingentorum solidorum* clare manifesteque refertur ad Justinianeam constitutionem: V.) ipsum tantum Justiniani jus de insinuandis donationibus, non Constantini, vel Theodosii, et illius exceptiones eadem Alphonsina Ordinatione, et sequentibus fuisse adprobatum, ea tantum differentia habita, quod insinuationem, quae jure Romano a quocumque judice fieri potest, a Rege tantum jure nostro donatarius peteret: VI.) dotis dationem, quae Justiniani constitutione ab insinuationis lege fuit exempta, eadem exemptione potiri Alphonsina, et sequentibus Ordinationibus, quae Justiniani legem de insinuandis donationibus, et illius exceptiones generaliter adprobarunt: VII.) confirmationem Regiam donationis, quam citatae Ordinationes requirunt, loco insinuationis judicialis juris Romani moribus nostris introductam fuisse non tam profusionis evitandae gratia, quam aerarii locupletandi ex redditibus, quos dicimus *Novos Direitos*, pro confirmatione solvendis: VIII.) in foro nostro jam a Romani juris in universum receptione adprobatum fuisse Justinianum, quod dotales donationes ab insinuationis demum necessitate liberavit, Gama *Decis.* 120. et 213., Pinel. l. 1. C. de bon. matern. p. 3. n. 62. vers. *infertur*, Barbos. ad l. 1. D. solut. matrim. p. 1. n. 17. et p. 7. n. 42., Cabed. p. 1. *Decis.* 135. n. 6.; et horum opinio in vero Ordinationis lib. 4. tit. 62. sensu eruendo magni quidem facienda, cum illius praecipui Auctores fuerint: neque ii profecto dotis causam a generali insinuationis lege contra dictam Ordinationem exciperent, si illius alia mens fuisset: IX.) Jure Romano et Patrio sine insinuatione olim valere donationes, quae causam continent praesertim onerosam, qualis est dotis datio, quia ex mera liberalitate non proficiscuntur, adeoque non sunt verae donationes. Denique notandum, quod cum pater eodem jure filiam dotare teneatur (§. V. hoc tit.), dos non jam mera liberalitas est, sed juris vinculo necessitateque constringitur. Haec cum ita sint, citatae Ordinationes. et Novell. 25. Jan. 1775., quae omnes donationes, Regiis exceptis, insinuationis necessitati subjiciunt, intelligendae videntur de voluntariis nullo jure cogente factis, adeoque de dote *adventitia*; nam *profecititia* necessaria est, et fit lege ipsa jubente. Absurdum autem est eandem Novellam ad anteriores donationes producere atque extendere, quarum mentionem nullam

facit, neque ea dici potest lex vere *declaratoria*. Quæ vero eadem historice referuntur, non omni procul dubio sunt. (Vid Dom. Suppl. Consult., *Assento*, 21. Jul. 1797.)

*Constante matrimonio, aliquando dos peti potest.*

§. XXI. Quia vero dos marito datur ad sustinenda onera matrimonii, inde est; quod, eo constante, repeti non possit, nisi ob inopiam mariti; nam, ut bene ait Ulp. l. *Si constante* 24. D. *sol. matrim.*: *exinde dotis exactio competit, ex quo evidentissime adparuerit mariti facultates ad dotis exactionem non sufficere*: cujus sententia in foro probatur, teste Phoeb. *Decis.* 151., Barbos. ead. l. *Si constante, solut. matrim.* a n. 32.

*Eo morte soluto, ad quem spectet.*

§. XXII. Ad uxorem autem omnino revertitur dos, soluto matrimonio. Quare, mortuo marito, solvi uxori debet, ipsaque illius liberam tum demum administrationem habet, l. 2. D. *solut. matrim.* Mortua uxore, dos *profectitia* patri non redditur, uti jure Romano, l. 6. *de jur. dot.*, neque apud maritum manet pro matrimonii oneribus sustinendis, sed ad filios spectat; cujus tamen ususfructus patri competit, quamdiu minores fuerint, et in ejus potestate, Ord. lib. 1. tit. 88. §. 6. In defectum liberorum, reliqui uxoris heredes succedunt, eisque dotis repetitio competit. Similiter dos *adventitia*, mortuo marito, ad uxorem, et, ea mortua, ad illius heredes pertinet, non ad extraneum, qui dotem constituit; qui enim semel donavit dominium, perpetuo transferre censetur, nisi rem donatam aliquando sibi reddi pactus sit, l. 24. C. *de jur. dot.* Idem de bonis paraphernalibus dicendum. Quando vero bona inter conjuges communicantur, cer-

tum est, quod, alterutro mortuo, dimidium bonorum ad conjugem superstitem, et alterum dimidium ad mortui filios, vel alios heredes pertineat, Ord. lib. 4. tit. 46. 47. 95. et 96.

Restituit autem maritus dotem, vel illius valorem, si aestimata sit; sed non restituit fructus perceptos, qui pro oneribus matrimonii mariti lucro sunt, l. 20. C. de jur. dot. Fructus pendentes ultimi anni dividuntur inter maritum et heredes uxoris pro rata temporis, quo mulier in matrimonio fuit, l. 7. §. 1. et seq. D. solut. matrim., Barb. ad l. 8. D. eod. p. 1. n. 28.

*Et quid, si ob adulterium, aliamve causam.*

§. XXIII. Soluta alia de causa, viventibus conjugibus, matrimonio, eo scilicet modo, quo jure solvi potest, ob adulterium videlicet uxoris, marito dotalia bona in defectum liberorum applicantur, Ord. lib. 5. tit. 25. §. 6., Novell. 117. cap. 8., cap. 4. X. de donat. inter vir. et uxor. Quod tamen intelligendum est, si maritus uxorem criminaliter accusaverit, eaque fuerit ad mortem naturalem condemnata; nam, ea absoluta, vel mitiore poena damnata, ipsius bona non lucratur, dict. Ord. §. 6. et 7.; sua vero bona uxor retinet, soluto matrimonio ob saevitias, eisdem licet occasionem dederit, ut jam supra monuimus Tit. VIII. §. VII.

*Impensae in rem dotalem deducendae.*

§. XXIV. Impensae in rem dotalem factae necessariae, vel utiles non modo actione ordinaria peti possunt, sed earum causa retentio marito conceditur, Ord. lib. 4. tit. 54 §. 1., tit. 95. §. 1., et tit. 96. §. 1. Jure Romano pro necessariis tantum jus retentionis indultum est, non item pro

utilibus ; sed earum nomine , dote prius restituta actio vel *mandati*, vel *negotiorum gestorum* competit , l. unic. §. 5. C. *de rei uxor. act.* , Barb. ad rubr. *solut. matrim.* p. 3. n. 21.

Quaestio haec frustra movetur inter conjuges , qui in communiione vivunt ; nam impensae in rem communem factae , et pro indiviso habitatae deduci non possunt , et dominis sociisque lucro damnoque cedunt , Groeneweg. *de legib. abrogat.* ad tit. *de impens. in rem dotul. fact.*

### *Quae pacta in dote valeant.*

§. XXV. Dote quaecumque pactum adjectum valet , Ord. lib. 4. tit. 46. in princ. , nisi sit bonis moribus , dotisve naturae contrarium , Ord. lib. 4. tit. 70. §. 3. Tale ergo habetur pactum de non adcusanda uxore ob adulterium , vel ob res amotas , vel donatas ; de non reddenda unquam dote ; de dotis fructibus non percipiendis , vel perceptis restituendis , cet. Valet tamen pactum , ut maritus , mortua uxore , liberis non exstantibus , dotem universam lucretur , vel illius partem , liberis exstantibus ; namque hoc pactum , vel aliud simile neque bonis moribus , neque dotis naturae adversatur , et generaliter adprobatur cit. Ord. lib. 4. tit. 46. in princ.

Pactiones dotales communibus conventionum legibus gubernantur ; quare neque scripturam publicam requirunt , nisi summam excedant praescriptam Ord. lib. 3. tit. 59. , neque insinuationem (§. XX. hoc tit.). Plura autem dotalia pacta improbantur legibus et moribus , de quibus Scriptores ad tit. *de pact. dotalib.* : quale inter alia est pactum de conservanda perpetua viduitate sub poena amittendae dotis ; opponitur enim et matrimonii libertati , et civium procreationi , Brunnem. ad l. 2. *de pact. dotalib.* Inutile etiam est pactum , seu renuntiatio futurae successionis , quod in nuptiis nobilium praesertim adponi solet , quando



scilicet femina promittit se dote adcepta contentam esse, et legitimae renuntiat, Deoret. 17. Jul. 1778., Strykius in tract. *de succession. ab intest.* Dissert. VIII. cap. 10. Valet tamen pactum de non repetendis expensis necessariis in rem dotalem factis, quia causam dotis non deteriozem, sed meliorem facit; secus jure Romano, l. 5. *de pact. dotalib.*, et ibidem Groeneweg. Pactum de non adcusanda uxore ob res amotas inutile ideo est, quia peccandi occasionem praebet; sed vero hic notandum, furtum non committere conjuges, qui in communiione vivunt, quia rei propriae non committitur (Inst. Jur. Crim. Tit. VI. §. XV.); adeoque actionis *rerum amotarum* exiguus apud nos usus est, maxime ob difficiliorem divortiorum licentiam. Quod vero conjuges rem ab alterutro ablatam citra poenam et infamiam repetere debeant, id juris gentium, non civilis est, l. 25. *D. de act. rer. amotar.*, Ramos *praelect. ad eamd.* §. 12. apud Meerm. tom. 7. p. 211.

*Donationes propter nuptias in usu non sunt.*

§. XXVI. Sequuntur donationes propter nuptias (§. I. h. tit.). Jure Romano haec donatio nihil aliud erat, quam contraria dos mariti, et parum a mulieris dote differebat, §. 3. Inst. *de donat.* Namque inter alia hoc jure poterat maritus, dote constituta, ad donationem hanc compelli, et parentes eodem jure tenebantur non modo dotem, verum etiam donationem propter nuptias pro sua dare progenie, l. ult. *C. de dot. promiss.*, et dos ipsa si augmentum reciperet, augenda quoque erat donatio propter nuptias, Novell. 97. capp. 1. 2., aequalitas enim omnino servanda erat in dote, et donatione antenuptiali, Authent. *Aequalitas C. de pact. convent.* Quae quidem cum neque aliarum gentium moribus, neque nostris convenient, bene Cujacius lib. V. *Observat.* cap. 4. ait has donationes ex usu penitus esse sublatas.

Vocabula haec *dos*, *dotalitium*, *donatio propter nuptias*, *sponsalium*, saepius confundunt non modo vete-

res, quod pluribus exemplis demonstravit Ludewig. *Dissert. de dot. marit.*, verum et recentiores non nunquam; nos vero ea, ut par est, distinguimus hoc ea sequentibus Sphis. Dos, quae hodie, et jam dudum de uxore tantum dicitur, antiquissimis temporibus et medio aevo de marito tantum dicebatur; quavis enim apud Germanos, Francos, Hispanos, ceteros, uxor ad mariti domum itura non, nulla pro conditione sua ex paternis bonis adtulisset, haec dona non erant vera dos, sed lucra, et munera nuptialia, Heinecc. *Elem. Jur. Germ.* lib. I. tit. XI. §. 242.; dotem enim his temporibus non uxor marito, sed maritus uxori offerebat. Apud Wisigothos, maritus certe dotem solus dabat, quam non ultra decimam bonorum partem constituere sponsae poterat, l. 5. lib. 3. tit. 1.: id vero, quod quisque constituerat, in dominium uxoris transibat, et huic fas erat de eo pro libito disponere, praeterquam si superstites haberet liberos, vel nepotes, quibus dodrantem saltem relinquere tenebatur, l. 2. lib. 4. tit. 5. Hos tamen antiquos mores turbavit jus Romanum, quod dotem uxori, et donationem propter nuptias viro constituit, quae nihil aliud erat, quam contracta dos mariti, doti omnino similis, et mulieris pro illius securitate constituta, itaque hoc jure sine dote uxoris non poterat subsistere; eadem constituta, vel aucta, necessario in eadem quantitate constituenda erat et augenda, et pater ad eandem quoque constituendam poterat compelli: quae omnia et singula nunquam apud nos in sensu juris Romani recepta sunt. Valasc. *de poverit.* cap. 13. n. 42. et *Cons.* 2. nn. 11. 12. 13., Portug. *de donat.* lib. 1. praesud. 2. §. 6. n. 2., Barb. l. *Si cum dotam* 22. §. *Transgrediamur* 12. D. *solut. matrim.* n. 30.

### *Neque arrhae juris Romani.*

§. XXVII. Idem dicendum de arrhis sponsalitiis, quae in sensu juris Romani nostris legibus et moribus incognitae sunt. Valasc. *Consult.* 2. n. 2.

*Arrha*, vel *arrhabo*, vox Hebraea, vel potius Punica, notat firmum, ac infragile, et pro pignore a Plauto (*Mil. Glor.* IV. 1. 11.) adcipitur. Ea vero adhibetur in quocumque contractu, praesertim sponsalitiis, vel tamquam symbolum illius, vel tamquam pignus; cujus effectus est, ut,

matrimonio sequuto, ad dantem redire debeat; ea vero non sequuto sponsi, sponsaeve culpa, is, eave arrhas adceptas reddit in duplum, li. 3. et ult. C. de sponsalib. et arrh. sponsalit. Hae vero juris communis arrhae in usu non sunt. Cusarr. de sponsalib. p. 2. cap. 3. §. 7. ubi 7. 8. 9., Valasc. supr.

*Recipi tamen pacto possunt, et in usum revocari,*

§. XXVIII. Expresse tamen contrahentes arrhas dare et adcipere possunt in signum et argumentum contrahendi matrimonii, et eas nimirum in emtionis et venditionis contractu adprobat Ord. lib. 4. tit. 2. §. 1., Emman. tit. 24. §. 1., Alphons. tit. 36.; et in sponsalibus ea omnia pacta generaliter adprobantur, quae expresse non sunt prohibita, Ord. eod. lib. tit. 46. in princ., Emman. tit. 7., Valasc. Cons. 135.

Quamvis apud nos in usu non sint arrhae in sensu juris Romani, hoc est, in pignus datae et adceptae contrahendi matrimonii; nihil tamen obstat, quod contrahentes easdem non solum dare, in quo fere omnes conveniunt, sed et promittere possint, Valascus Cons. 2. n. 1. in ea est opinione, in sponsalibus neque poenam promissam valere, neque arrhas, maturiori licet consilio dentur, cum non minus ex his matrimonii libertas adstringatur. Sed jam supra tit. V. §. III. in Not. cum Reg. diximus, poenam adjectam neque legi Divinae, neque Hebraeisticas, naturae negotii adversari; neque in jure nostro usquam constitutum reperitur, quod non possint sponsus, sponsaeve similes arrhas inter se percipi, vel dare, et adceptare ea lege, ut, sequuto matrimonio, ad dantem redeant, et quod easdem amittat is, eave, per quem steterit, quominus matrimonium sequeretur.

*Nostrae arrhae quales sint, et quomodo constituentur.*

§. XXIX. Nobis arrha dicitur certa ea quantitas, quam in contractu dotali sponsus sponsae dat,

vel promittit virgini, vel viduae; nullam enim differentiam hac in parte leges nostrae, vel mores faciunt. Valasc. *Cons.* 2. n. 4. Haec autem promissio, datiove ut valeat, 1) certa esse debet; nam promissio incertae quantitatis, quam Ord. lib. 4. tit. 47. vocat *de camera cerrada*, inutilis prorsus est: 2) non possunt arrhae tertiam dotis muliebris partem excedere, et quod ultra promittitur, vel traditur, non valet, ead. Ord. in princ.: 3) neque propterea constitui, uxore indotata, cum ad illius rationem sint constituendae ex dicta Ord.: 4) neque deberi, dote tantum promissa, quia vera dos non est, nisi tradatur, Ord. cit. verbis: *da terça parte do que a mulher trouxer em seu dote*; Cabed. P. I. *Decis.* 177., Gama *Decis.* 370. n. 2.: 5) neque promitti, vel dari, constante jam matrimonio, ex dicta Ord., et simili Emman. Cod. tit. 9. §. ult. verbis: *mas poderá cada um em o contracto dotal*; quae arrhas tantum ante matrimonium constitutas adprobare videntur, Valasc. *Cons.* 4. a n. 2., Portug. *de donat* lib. I. Praelud. 2. §. 6. nn. 13. 14.: 6) neque quidquam arrharum nomine ultra tertiam muliebris dotis partem dari, sponsi licet diversae aetatis, conditionis et ordinis sint; hanc enim distinctionem non solum non agnoscit, sed expresse improbat eadem Ordinatio verbis: *Mandamos que pessoa alguma, de qualquer stado e condiçãõ que seja*: Valasc. supr. n. ult. in fin., Portug. n. 16.

Haec, et similia optime deducuntur ex verbis et sententia cit. Ord. lib. 4. tit. 47., Emman. 9. §. ult. Arrhae igitur in Castella et Portugallia ad maritum tantum referuntur, et utrobique certae et fixae esse debent; nam l. 1. tit. 2. lib. 3 For. Regal., hodie l. 1. lib. V. Nov Recopilat. tit. *De los dotes, y arrhas*, non possunt excedere decimam bonorum, quae sponsus habet tempore donationis sponsalitiaë; nostris autem legibus tertiam partem bonorum non sponsi easdem constituentis, sed dotis mulieris ex saepius cit. Ord., Covarr. *de sponsalib.* p. 2. cap. 3. §. 7. a n. 8.

*Liberis extantibus, ultra tertiam bonorum constitutae non valent.*

§. XXX. Maritus, qui liberos habuerit legitimos ex priore uxore susceptos, vel tales illegitimos, qui ei jure debeant succedere, non potest arrharum nomine legitimam filiorum sponsae promittere, vel tradere, vel aliud quidquam eidem dare praeter tertiam bonorum, de qua libere disporre potest, tempore contractus dotalis computandam, Ord. lib. 4. tit. 47. §. 1., Roman. 9. §. ult., quae ad patrem, matrem, et reliquos adscendentes producenda est, cum eisdem aequae ac descendentibus legitima debeatur. Perer. *Decis.* 100., Portug. *de donat.* lib. 1. Praelud. 2. §. 6. nu. 38. 39.]

*Cujus in dominio sint, et ad quem spectent, uxore mortua, vel marito.*

§. XXXI. Jam vero nostrae arrhae, sponsae datae et traditae, in ejus pleno perpetuoque dominio non sunt, nam, ea praemortua, ad maritum, a quo sunt profectae, revertuntur; mortuo autem marito, apud eandem una cum dote manent, sed ad illius tantum vitam: itaque post ejus mortem bona arrharum nomine data ad mariti heredes pertinent, is autem pro arrhis promissis ab uxore dumtaxat, non ab illius heredibus potest conveniri; et hoc jure utimur. Benedict. Aegid. in l. 5. D. *de just. et jur.* P. I. cap. XI. n. 89.

Uxor arrhas non lucratur, nisi marito supervivat; et haec clausula, quae in contractu dotali a tabellionibus adponi consuevit, in mores tandem abiit: adeoque semper intelligenda, quamvis non adponatur, Aegid. *supr.* Mortua igitur uxore, arrhae cum non ad illius, sed ad mariti heredes pertineant, magis in illis verus ususfructus ad ejus vitam, quam verum dominium constitutum videtur. Pacto tamen, quod legem dat contractui, plena

propriae uxori dari potest, et auctoritas de eis disponendi tam inter vivos, quam per testamentum, idem Aegid., Heinecc. *Element. Jur. Ger.* lib. I. tit. IV. §. 249 in Not. In Castella arrhae non ad mariti, sed ad uxoris heredes quoscumque spectant ex l. 51. *Tauri*.

*In quibus nostrae arrhae differunt à dote.*

§. XXXII. In multis autem nostrae arrhae differunt à dote, à iuris Romani arrhis, et à donationibus propter nuptias, quae per indicem veluti indicare placet. A dote igitur differunt: 1) quia non dantur ad matrimonii onera sustinenda, quemadmodum dos: 2) quia ex mera voluntate, non juris necessitate constituntur: 3) quia mulieris administrationi non subiciuntur, constante matrimonio: 4) quia, etiam marito praemortuo, uxor mera usufructuaria est, non domina: 5) quia fructus illarum, etiam stante matrimonio, nullos lucratur: 6) quia pro arrhis promissis ipsa tantum, non illius heredes agere possunt, ceteris, quae ex dictis sua sponte fiunt.

*Et ab arrhis juris Romani.*

§. XXXIII. Differunt etiam ab arrhis juris Romani: 1) quia haec ab alterutro conjugè dari possunt, nostrae à sponso solum: 2) illo jure dari solum possunt, non promitti, Covarr. *de sponsalib.* p. 2. cap. 3. §. 7. in. 7. 8.; nostro et dari, et promitti, Ord. lib. 4. tit. 47. in princ.: 3) arrhae Romanae in omni summa et quantitate valent, nostrae non item ex dict. Ord.: 4) sequito matrimonio, illae statim ad dantem revertuntur, cum non nisi matrimonii contrahendi, et magis firmandi gratia sint constitutae; nostrae emplemento uxoris cedunt, eaque, viro praemortuo, illarum fructus omnino lucratur.

*Et a donationibus propter nuptias.*

§. XXXIV. A donationibus propter nuptias differunt: 1) quia donationes omnino dati respondent, et eidem aequales esse debent; arrhae nostrae non item: 2) quia dotis naturam donationes antenuptiales ingrediuntur, adeoque dantur ad sustinenda onera matrimonii, et in dotis pignus et securitatem, Vinn. ad §. 3. Inst. *de donat.* n. 4.; arrhae nullis oneribus subjiciuntur, neque hypothecae, pignorisve nexui, ne ratione quidem dotis, Valasc. *Cons.* 2. n. 9.; 3) arrhas nostras nec sponsus sponsae, nec pater filio dare tenetur, quod secus est in donationibus propter nuptias. Alias differentias tradunt Valasc. et Covarr. loc. citt.

*Dotulitium quid.*

§. XXXV. Dotulitium, cujus mentio fit in cap. 15. X. *de for. compet.*, cap. 4. *de donat. inter vir. et uxor.*, can. 10. *Caus.* XXXVI. *quest.* II., nobis dotale pactum est, quo certa bona, fructus et redditus sponsae adsignantur, ut inde se commodius possit post mortem mariti in viduitatis statu sustentare. Hanc pactionem Lusitane hodie dicimus *apanagios, alimentos, alfinetos*, et arrhas generaliter, *Nov. Coust.* 17. Aug. 1761., 4. Febr. 1765.

Pactio haec *dotulitia* certam quoque pecuniae summam comprehendit, quae uxori, etiam constante matrimonio, singulis mensibus solvenda est, quam aridius, sicut *alfoates*, dicimus, quasi hoc nomine contineri videantur quaecumque ad nobilis feminae ornatum sunt necessaria. Continet igitur dotulitium et munera sponsae tradita in solenni dotalis instrumenti die, et pensiones menstruas, uxori constante matrimonio solvendas, et fructus redditusve, quos in statu viduitatis habere debet. Munera hodie excedere non possunt summam octo millium annorum, *Decret.* 17. Jul. 1778. (§. XIII. h. t.). Pensionis menstruae quantitas lege de-

finita non est, et tota ex sponsi arbitrio liberalitateque pendet; certa vero quantitas viduae alendae a lege adsignatur, quamdiu in hoc statu permanserit, et consistit in decima parte reddituum omnium bonorum allodialium, Regiae Coronae, vel majoratus, in quibus et tacitae hypothecae, et praedationis retentionisque jus habet ex dicta Novell. 17. Aug. 1761. §. 7. Haec vero omnia constituta tantum inveniuntur in eorum nobilium nuptiis, qui ex bonis majoratus, et Regiae Coronae tria centena millia quotannis lucrantur. Quare nobiles alterius ordinis possunt quaecumque munera et quovis tempore semel et iterum sponsae suae dare, et redditus quoscumque eidem adsignare in tempus viduitatis; iis autem non adsignatis, non poterit vidua arrharum nomine decimam reddituum petere, cum praefata Novella feminis dumtaxat illustrum, de quibus loquitur, concessa sit; itaque illius, et similibus dotalitium vel specialibus pactionibus, vel generalibus et communibus legibus, id est, Ord. lib. 4. tit. 47., gubernandum est. Illud tandem, antequam hinc recedam, notandum, quod vox *apanagios* peregrina omnino est, et primum dicta Novell. 17. Aug. 1761. civitate donata, id est, introducta, et legibus moribusque nostris utcumque adcommodata: illius originem, et juridicam significationem inter alios ostendit Henr. Coec. speciali Disput. 73., quam inscripsit: *De successione apanagii*.

*Et in quo differat a nostris, et juris Romani arrhis, et donationibus propter nuptias.*

§ XXXVI. Differt dotalitium ab arrhis juris Romani, quia 1) non datur in pignus et symbolum contrahendi matrimonii, quemadmodum arrhae, l. 56. C. de *Episcop. et Cleric.*, sed in viduitatis solatium: 2) quia, soluto demum matrimonio, incipit deberi: 3) quia plura continet, quam donatio arrharum, ea scilicet, quae ad uxoris viduaeve ornamentum et sustentationem, constante solutove matrimonio, spectant, cet. His vero arrhis multum adsimulantur munera nuptialia, quae dotalitio nostro, ut superius diximus, continentur,  
cum



cum illa similiter ad dantem, a quo sunt profecta, nuptiis non sequitis, statim revertantur. A nostris quoque arrhis, quas probat et statuit Ord. lib. 4. tit. 47., in multis etiam dotalitium differt. Nam 1) pactum dotalitium amplius est, quam donatio arrharum: 2) ad nobilem tantum sponsas refertur: 3) et ad sponsas indotatas, et eas praesertim; adeoque 4) illius quantitas non ad dotis rationem, quae nulla est, sed ex sponsi patrimonio ad legis modum aestimatur. Et haec satis indicare sufficiat. In quo autem dotalitium a donatione propter nuptias differat, pluribus ostendit Boehmer. in *Jus Eccles. Protest. ad tit. de donat. inter vir. et uxor.* §. XLi et seq.

*Sponsalitia largitas an repeti possit.*

§. XXXVII. Reliquae inter sponsos donationes, quae ad superius dictas dotalis pactiones haud commode referri possunt, sub generali nomine veniunt *sponsalitia largitatis*. Illius ea jure Romano natura erat, ut repeti olim non posset, etiam non sequito matrimonio, nisi haec expressa conditione adjecta. Verum Constantinus in l. 15. C. *de donat. ante nupt.* statuit quascumque donationes inter sponsum et sponsam sub conditione futurarum nuptiarum factas intelligi; itaque repetitioni locum esse, nuptiis non sequitis absque culpa donantis. Ego vero, hodie hanc repetitionem facile non concederem, nisi in magnis nuptiis muneribus sponsalitiis. Reliqua, quae idem Constantinus in l. 16. *eod.* tradit de donatis repetendis vel non, quando osculum, vel copula intervenit, legibus nostris et moribus non probantur. In Castella lex 52. *Tauri* speciatim rem hanc decidit, et ferme ad Romani juris rationem. Anton. Gom. *ibid.*

## TITULUS X.

*De donationibus inter virum et uxorem.*

*Non valent donationes inter virum et uxorem jure Romano, et quare.*

§. I. **J**ure Romano non valent donationes inter virum et uxorem, non quod improbum sit locupletiolem fieri conjugem per conjugem, sed *ne mutuato amore invicem spoliarentur*, eisdem *non temperantes*, quae Ulpiani et Proculi ratio est in ll. 1. et 31. §. 7. *de donat. inter vir et uxor.*

Moribus inter Romanos receptum erat, ne valerent, id est, nullius momenti essent, quae inter virum et uxorem donationis causa gererentur, l. 3. §§. 10. 11. *eod.* Aliquid tamen progressu temporis ab hoc jure laxatum fuit; nam Antonini Caracallae. Oratione donatio ipso jure valet, et res ejus fit, cui fuit donata; fas tamen est eum, qui donavit, poenitere, l. 32. §§. 1. 2. *eod.* Eodem jure valent donationes, quae vel donatorem pauperiorem, vel donatarium locupletiolem non reddunt, vel quae donatoris morte sunt confirmatae, l. 5. §§. 8. 16., l. 32. §. 3. *de donat. inter vir. et uxor.* Omitto alias a regula exceptiones.

*Hoc jus non omnes gentes receperunt.*

§. II. Hoc autem jus, cum rationibus mere civilibus nitatur, non omnes gentes receperunt. Apud Wisigothos solum prohibita sunt donationes intra primum conjugii annum, l. 5 tit. 1. lib. III.: *Certe si jam vir uxorem habens, transacto scilicet anno, pro dilectione, vel merito conjugalis obsequii ei aliquid donare elegerit, licentiam incunctanter habebit. Nam non aliter infra anni circumulum maritus in uxorem, seu mulier in maritum,*

*excepta dote , ut praedictum est , aliam donationem conscribere poterint , nisi gravati infirmitate periculum sibi mortis imminere perspexerint ; et l. ult. tit. 2. lib. V. : Maritus si uxori suae aliquid donaverit , de hoc , quod ipsa habere voluerit , scripturam manus suae subscriptione , vel signo confirmet : ita ut duo , aut tres testes ingenui subscriptores , vel signa facientes adcedant , et sic voluntas ipsius habeat firmitatem. Similis et de uxoris voluntate , quae in maritum conferre voluerit , donationis haec forma servetur. Apud Francos , Germanos , ceteros , jus quoque Romanum non omnino fuit receptum , uti ex professo inter alios demonstrant Schilt. Exercit. XXXVI. ad Pandect. , Stryk. ad tit. de donat. inter vir. et uxor.*

*Quando apud nos fuit receptum.*

§. III. Apud nos jus Romanum hac in parte receptum tandem fuit , et primum adprobatum ab Alphonso V. suo Cod. lib. 4. tit. 14. , ab eoque in Emmanuelinum translatum tit. 9. , et in Philippinum , quo utimur , tit. 65. eod. lib. Namque antiquis Regni legibus et moribus validae erant donationes inter virum et uxorem.

Nulla , quam sciam , antiqua Regni lex exstat , quae donationes has prohibeat. Ad mores quod adinet , Alphonso Codice cit. tit. 14. lib. 4. scriptum legimus : *Costumê foy dantigamente usado em estes Regnos , e èscripto em a nossa Chancellaria em tempo d'ElRey Dom Affonso o Terceiro em esta fórma , que se segue : Costumê he , que se o marido daa em sua vida a sua molher alguma herdade , depois da morte do marido aduga (hoc est , adducat) a molher essa herdade a partiçom com os filhos do marido , ou dambos. Jam vero haec verba cum solum mentionem speciatim faciant de donatione uxori a marito facta , non e contrario , et de donatione , liberis exstantibus , sequitur et uxorem in omni casu marito posse donare , et maritum uxori , propriis vel communibus*

..

liberis non exstantibus : quinimo , iis etiam exstantibus valida est donatio in vita donatoris , partitioni tamen et collationi subjecta ; itaque post illius mortem dumtaxat infirmenda erit , et rescindenda tamquam inofficiosa , si legitimam filiorum tollere , vel diminueri videatur ; quod tum demum constare potest , partitione bonorum et collatione instituta. Haec autem quamvis ita se haberent Alphonsus. V. praefatam consuetudinem et antiquos mores interpretatus , eosdem juri Romano adcommodavit , illudque in universum recepit ; quod postea sine ulla rerum discrepantia sequuti fuerunt Emmanuel et Philippus citat. Ordd.

*Quae hodie possunt conjuges inter se donare.*

§. IV. Hodie igitur jure nostro probantur et regula de prohibitis donationibus inter conjuges , et illius exceptiones : itaque solum prohibentur : 1) donationes , non reliqui contractus , nisi in fraudem legis initi : 2) inter conjuges , non inter spon- sos : 3) constante , non soluto matrimonio : 4) inter vivos , non mortis causa : 5) quae donatorem pau- periorem , et donatarium ditiozem reddunt : 6) do- nationes alicujus momenti , et extraordinariae ; se- cus , si in xeniis , et muneribus consistant , quae in diebus natalitiis et solennibus dari solent , ceteris , quae jure Romano , et praefata Ord. lib. 4. tit. 65. §. 3. adprobantur generaliter et recipiuntur.

Notanda sunt verba hujus Ordinationis : *E se no caso acima dito fosse a doação feita em tal modo , que logo em vida de ambos valesse per Direito , assi como quando o que faz a doação , não é por ella feito mais pobre , ou a quem he feita , não he por ella feito mais rico , ou em qualquer outro caso , em que tanto que a doação he feita per o marido á mulher , ou per ella a elle , logo he per Direito valiosa.* Namque ex his manifeste comprobantur exceptiones superius relatae , et similes e jure Romano petitaе , quas omnes refert supervacaneum est , nec insti- tuti nostri ratio patitur.

*Nativitate liberorum quando donatio revocetur.*

§. V. Donatio, quam conjux conjugi fecit, superventu liberorum, qui postea ex utroque nati fuerunt, ipso jure revocatur, Ord. lib. 4. tit. 65. in princ., l. 8. C. *de revocand. donat.*; quamvis enim Ord. lib. 4. tit. 63. definitae sint donationis revocandae causae, quas inter nativitas filiorum non recensetur, speciale tamen est, quod, liberis postea susceptis, eorum nativitate non quaelibet et a quolibet facta donatio, sed inter conjuges tantum revocetur. Hoc autem jure non gaudent liberi quicumque donatoris, vel quocumque tempore habiti, sed liberi dumtaxat naturales et legitimi ex conjuge donatore suscepti, et post factam demum donationem nati, ex dict. Ord. lib. 4. tit. 65. in princ. verbis: *se o que a fez, não tinha a esse tempo filho algum, e depois lhe veio a nascer de entre ambos*; quae hoc modo: et ad literam intelligenda videtur. Barb. P. I. l. 2. nn. 165. et 166. D. *solut. matrim.*, Phoeb. *Decis.* 86., Vinn. lib. II. *Quaest. Select.* cap. 32.

*De donatione concubinae facta.*

§. VI. Quia vero donationes inter conjuges ea potissimum de causa prohibentur, ne mutuato amore invicem spoliarentur, eisdem non temperantes, quod non minus in vera uxore, quam in concubina timetur, fas non est donationem concubinae factam ratam esse: *ne melior sit conditio eorum, qui deliquerunt*, ut in simili loquitur Ulp. in l. 3. §. 1. *e donat. dinter vir. et uxor.* Quare quae Ord. lib. 4. tit. 66., Emman. 8., Alphons. 13. constituta sunt circa donationes a marito concubinae factas, ab uxore, vel ejus heredibus intra certum tempus revocandas, producenda videntur,

et generaliter intelligenda in omni et quacumque donatione, quam quis concubinae fecit, vel legato, et hoc vel maxime, quod eidem reliquit, praesertim inter nobiles et clericos. Gam. *Decis.* 226. (Inst. Lib. IV. Tit. IV. §. XI.).

*Usus tituli.*

§. VII. Illud vero admonere supervacaneum est, hunc scilicet titulum nullum usum habere inter conjuges, qui in communiione vivunt; ii enim cum bonorum omnium pro indiviso domini, et socii sint, res inter eos donata statim communicatur.

---

## TITULUS XI.

### De tutelis.

*Tutela cujus sit juris.*

§. I. **B**ENE Justinianus in §. 6. Inst. *de Atil. tut.* ait: *Impuberes in tutela esse, naturali juri conveniens est: ut is, qui perfectae aetatis non sit, alterius tutela regatur; namque tutela vel ex jure familiae, et patriae potestatis, vel ex civitatis jure, officioque Magistratus derivatur; adeoque recte ad jus naturale refertur. Alii aliter. Videsis Crot. de jur. bell. ac pac. lib. II. cap. XXII. §. XII., Cocc. Dissert. Prooem. XII. lib. III. cap. IV. Sect. VII., Ott. ad dict. §. 6. Inst. de Atil. tut.*

*Quomodo definienda, et quae illius species.*

§. II. Tutela est *vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per aetatem se ipse defendere nequit*; eaque jure nostro et Romano vel est *testamentaria*, vel *legitima*, vel *dativa*, Ord. lib. 4. tit. 102. De singulis hic agendum, sed prius de *testamentaria*, cujus semper praecipua ratio habenda est, §. 1. ejusd. Ord.

Verba *tutela, curatela, tutor, curator*, quibus hodie utimur, peregrina sunt, eaque olim significabantur vocabulis *guarda, guardador*, Ord. Alphons. lib. 4. tit. 82.: *Disserom os Sabedores, que em tres maneyras podem ser estabelecidos os Guardadores, que se chamam em direito Titores e curadores dos moços, que ficam Orfãos. A primeira he, quando o Padre estabeleceo Guardador a seu filho em seu testamento, a que chamam em latin Tutor Testamentarius, eto. Eadem significatione adciuntur Partitarum legibus tit. 16. in princ., et ll. 1. et 2. partit. 6.: Que cosa es guardar, a que dizen en latin tutela . . . quando el padre establece guardador a su fijo en su testamento, a que llaman en latin tutor testamentarius.*

*Qui sub tutela sint.*

§. III. Ante omnia animadvertendum sub tutela tantum esse pupillos, id est, impuberes patre orbatos; nam puberes, id est, minores ad annum usque vicesimum quintum, non sub tutela sunt; sed sub *curatela*, Ord. lib. 4. tit. 104. §. 6.

Hodie nos tutores et curatores cum Romanis distinguimus; nam olim, uti diximus (§. II.), omnes promiscue significabantur verbo *guardador*. Graeci propria quoque vocabula non habebant, quae tutelam a *curatela* separarent. Sam. Petit. *ad legg. Attic.* hoc tit. Idem de Germaniae et Galliae populis testatur Beyer. *Dissert. De different. tutor. et curator. jur. Germanic.*, ubi antiquos differentiam inter minores et impuberes ignorasse tradit:

eam tamen e jure Romano jam dudum nostrae leges receperunt ; eodem enim modo pubertatis , minorenitatis , et legitimae perfectaeque aetatis annos definiunt , Ord. lib. 3. tit. 42. §. ult. , et lib. 4. tit. 104. §. 6. (Tit. XII. §§. I. II. h. l.).

• *Tutor vivo patre.*

§. IV: Aliquando tamen et extra ordinem fieri potest, ut filio impuberi, vivo patre, tutor detur, videlicet si in longinquas is regiones profectus sit, in furoremve inciderit, vel ad secundas nuptias convolaverit ; et huc spectant l. 1. in Cod. Wisigoth. lib. 4. tit. 3. , et quae habet Schilt. *Exercit. XXXVII. ad Pand. §. XXII. , Reinos. Observat. 30. ; non nulla nos diximus tit. V. §. XXIV. hoc lib. , Ord. lib. 1. tit. 88. §. 6. : E se o pai for torvado do entendimento , ou doente de tal enfermidade , que não possa reger , ou administrar os bens de seus filhos , não lhe serão entregues . . . . mas ser-lhes-ha dado tutor , ou curador.*

*Tutela pactitia.*

§. V. Ad parentis certe officium spectat filio in omni et quocumque eventu providere, et idoneum ei tutorem procurare, qui, eo mortuo, illius curam habeant. Jure ergo naturali potest pater, imo debet tutorem filio dare pactis, non testamento ; hoc enim jure incognita est dispositio, quae non nisi post mortem effectum habet, et valere incipit.

• Dicitur *tutela pactitia*, quando quis a patre rogatus promisit se tutelam liberorum ejus suscepturam, §. 9. *Inst. de excusat. tutor.*, l. 15. §. 1. *D. eod.*, l. 29. *de testament. tut.* ; quae quidem admitti potest, et tutor hoc modo datus legitimis praefertur, Stryk. ad tit. *de tutel.* §. 14. ; magni enim semper faciendum est judicium patris, qui optimum pro liberis consilium capere credenda est. Hujus autem tutelae quamvis leges nostras



mentionem non faciant, ea juris nostri analogiae non minus consentanea est, quam pacta successoria, et testamenta conjugum in eadem charta se mutuo instituentium, de quibus Gama *Decis.* 231., Valasc. *Consult.* 7., Pinheir. *de testament.* disp. 2. sect. 4. §. 5., et disp. 6. sect. 3. §. 3.

*Tutor testamento a patre datus:*

§. VI. Omnium autem maxime frequentatur *tutela testamentaria*. Possunt ergo pater, mater, vel extraneus filiis suis impuberibus, vel alienis testamento tutorem dare, quamvis non eodem modo ac jure. A patre, vel, eo mortuo, ab avo paterno filiis, vel nepotibus datus statim tutor cum effectu est sine ulla satisfactione et inquisitione, si filii, nepotesve in illius potestate fuerint tempore mortis, Ord. lib. 4. tit. 102. §. 1., Alphons. tit. 82. seq. eod., Emman. lib. 1. tit. 67. §. 20.

Decreto tamen indiget, seu confirmatione Magistratus, quae sine inquisitione in illius personam et mores intelligi vix potest; ejus autem necessitas significatur verbis Ord. lib. 4. tit. 102. §. 1.: *E saberá outrosi, se deixou por tutor, ou curador pessoa, que per Direito o pôde ser; et paulo infra: em quanto o fizer bem, e como deve, a proveito do orfão, ou menor.* Eidem autem res pupillares tradi debent per inventarium judicialiter confectum, Ord. cit. in princ. Illud vero frustra quaeritur, an, filio exheredato, vel emancipato, pater tutorem dare possit, cum exhereditatio haec et emancipatio vix in pupillum cadant.

*A matre, vel extraneo.*

§. VII. A matre vero, vel patre filio naturali datus, vel ab extraneo, qui pupillum instituit, confirmatione indiget, quae, ut diximus, inquisitionem aliquam in tutoris personam necessario semper importat, Ord. lib. 4. tit. 102. §. 2., Emman. lib. 1. tit. 67. §. 21. Ea autem major esse dedet, et scrupulosior in personam tutoris ab extraneo, quam



a parentibus dati, praesumentibus legibus parentes optimum pro liberis capere solere consilium, nec ullis commendaturos pupillos suos, quam quorum fidem atque industriam exploratam perspectamque haberent.

Qui tutores jure Romano confirmatione indigeant, satis constat ex tit. *de confirmando tutore*. Hoc autem certum est tutorem non posse administrationem bonorum suscipere, quin prius pupilli bona aestimentur, eique iudicis decreto per inventarium legitime confectum tradantur, Ord. lib. 4. tit. 102. in princ. : *fará entregar . . . por inventario feito pelo scrivão de seu carrego*. Et hoc sensu omnes tutores confirmatione indigent et inquisitione. Si tamen pater non jure dederit, vel mater, non tam scrupulosa inquisitio necessaria est, *sed simpliciter Magistratus eum confirmat; si autem alius quis dederit, tunc inquirat personam, si apta sit, ut bene ait Modest. l. 1. §. 2. D. de confirm. tutor*. Quare hodie re ipsa idem prorsus est decretum iudicis, et confirmatio tutelae, quae non a majoribus Magistratibus, neque pro tribunali, uti jure Romano; ll. 2. 4. 7. *de confirm. tutor.*, sed a iudice ordinario, quem penes inventarium conficitur, vel orphanorum petenda est: neque etiam hodie quidquam interest, pater, an mater dederit, testamento, in codicillis, verbis directis, an obliquis, quia omnes eo, quem diximus, modo confirmandi sunt; et ita intelligenda cit. Ord. lib. 4. tit. 102. §§. 1. et 2.

*Qui testamento tutores dari possunt.*

§. VIII. Minores viginti quinque annis, furiosi, prodigi, inimici, pauperes, servi, Religiosi, feminae testamento tutores dari non possunt, Ord. lib. 4. tit. 102. §§. 1. et 3. in fin., Emman. lib. 1. tit. 67. §. 20., ceteri, qui tempore mortis, vel conditi testamenti jure, vel facto non possunt statim res pupilli administrare, vel illius personae bene commodeque prospicere; quos inter adnumerandus filiusfamilias, vel quia alieni juris est, adeoque res pupillares non potest pro eo ac debet curare,

vel quia ad munus et officium publicum, quale tutela dicitur, admittendus non est, Ord. lib. 1. tit. 94. Pupilli tamen creditores, si frugi sint, et certum illorum debitum, et nullum inde periculum pupillo timeatur, tutores dari possunt. Paulo aliter Justinianus Novell. 72. cap. 1.

Jure Romano furiosus et minor tutor testamento datus, tunc tutor est, cum compos mentis, aut major viginti quinque annis factus fuerit, §. 2. Inst. *qui testam. tut. dar. poss.* : itaque datio subsistebat favore testamenti, et propter latissimam illam potestatem patribus concessam, l. 10. §. 3. *de testam. tut.* Et interim dabatur curator, vel tutor *Atilianus*, qui testamentarii vices suppleret, neque locus erat legitimo; obstabat enim juris civilis regula, quae locum legitimae tutelae nunquam facit, quamdiu spes est testamentariae, l. 11. *de testam. tut.* Sed jure nostro datio inutilis est ex dicta Ord. lib. 4. tit. 102. §. 1.: *se deixou por tutor, ou curador pessoa, que per Direito o pde ser, que não seja menor, . . . ou saudeu* : neque conditio aliqua subintelligenda est, quae eam utilem quandocumque reddat, cum nullibi scripta inveniatur, et a principio non valeat. Locus igitur fit hoc casu tutori legitimo, non dativo, isque a tutela, quam bene utiliterque gessit, removeri non debet, quamvis minor v. g. testamento datus ad legitimam aetatem perveniat. Regula enim juris civilis, quae dicitur locum non esse tutelae legitimae, quamdiu spes est testamentariae, mera subtilitate nititur, et fundamentum habet in latissima illa potestate legandi super pecunia, tutelae rei suae, quae hodie legibus nostris et moribus multum coangustata est. Dicendum ergo est, quod, tutela cum onus sit, illud prius subire debent cognati, qui pupillo ab intestato succedunt, quam extranei, qui nullam spem succedendi habent: et haec regula potior est, et antiquior, quam illa juris civilis Romani. Thomaz. in Not. ad tit. Inst. *qui testam. tutor.*

*De tutela sub conditione, ex die, vel ad diem data.*

§. IX. Datio similiter tutoris ex die, vel ad diem, vel sub conditione impossibili, casuali, vel

**mixta non valet, cum nullam pupillo utilitatem adferat; itaque iudex ex officio eam rejicere debet, et legitimum tutorem nominare, Thomas. l. cit.; conditio enim impossibilis ab homine non sanæ mentis adposita videtur; casualis autem, vel mixta vel ideo rejicienda, quia fas non est pupilli tutelam e dubio eventu pendere: possibilis, quæ in tutoris potestate sit, admitti quidem potest. Aliter jure Romano, §. 3. Inst. qui testam. tutor.**

### *Tutela legitima.*

§. X. Testamentariae tutelae succedit *legitima*, ita dicta, quia a lege defertur. Haec jure Romano erat I.) agnatorum: II.) patronorum: III.) parentum: IV.) fiduciaria, quæ diversis titulis in Justiniani Institutionibus explicantur, qui hodie nullum usum habent. Nam agnatorum cognatorumque differentia nulla est tam in hereditate, quam in tutela, eamque Imperator ipse sustulit Novell. 118. cap. 5. De patronorum tutela, servitute explosa, quaeri vix potest; itemque parentum, cum jam non liberum eis sit filium impubere emancipare: frater autem, patre mortuo, fratris impuberis non fiduciarius, sed legitimus tutor est. Itaque jure nostro tutela legitima vel ad matrem et aviam, vel ad impuberis propinquos tantum defertur.

### *Matri, vel aviae primum defertur.*

§. XI. Et primum quidem matri, et aviae volenti, si ea nimirum honeste vivit, et apud iudicem promiserit se pupilli personam et bona pro eo ac debet esse administraturam, si secundis nuptiis; et *Velleiano* renuntiaverit, ceteraque adimplerit, quæ distincte et scrupulose continentur

Ord. lib. 4. tit. 102. §. 3., Emman. 67. §. 22., deducta ex Novell. 118. cap. 5., Auth. *Matri, et aviae C. quando mul. tutel. offic. fungi pot.*, Cald. ad l. *Si curatorem* 3. verbo *sine curatore* n. 107. C. *de in integr. restit. minor.*

Matri tamen impuberis filii tutela non a iudice orphanorum, sed a Rege defertur, id est, a Palatii Senatoribus, si is plusquam sexaginta millia numorum in bonis habeat, Ord. lib. 1. tit. 62. §. 37. in fin.: *E isto se entenderá, quando a fazenda não passar de sessenta mil reis, porque passando da dita quantia, o hão de requerer a nós.*

### *Deinde propinquis.*

§. XII. Mater si impuberis filii tutelam suscipere nolit (cogenda enim non est, Ord. lib. 4. tit. 102. §. 3.: *e quizerem*), tutela ad proximos propinquos sine differentia agnatorum, cognatorumve defertur, §. 5. dict. Ord., iique ad eam suscipiendam omnino cogi possunt. Si eodem gradu propinqui inveniantur, iudex habiliorum eligit, et talis locupletior, ceteris paribus, habetur, eod. §. 5.: *E em quanto o juiz achar parente do orfão abonado para ser tutor, não constringerá o que não for abonado, ainda que seja parente mais chegado em gráo.* Qui a tutela legitima se excusant, pupillo ante pubertatem mortuo non succedunt, §. 6. cit. Ord.

Agnatus igitur cognato in eodem gradu non praefertur, nisi locupletior fuerit, et tutelae gerendae habilior, Ord. lib. 4. tit. 102. §. 5. vers.: *E se tever*; et vers.: *E em quanto.* Neque contrarium statuere videtur Ord. lib. 1. tit. 88. §. 13. verbis: *E havendo dous em igual gráo, preceederá o da parte do pai, que for mais abastado; vel quia locupletioresem semper praeferre jubet ibi, mais abastado, vel quia tantum in casu speciali, de quo loquitur, intelligenda est.*

*Tutor dativus.*

§. XIII. In defectum tutoris testamentarii, vel legitimi succedit *dativus*, seu *Atilianus*, quem iudex ex officio intra mensem dare tenetur (§. VIII. Not.), Ord. lib. 4. tit. 102. in princ. et §. 7., Emman. lib. 1. tit. 67. §§. 17. 27., Alphons. lib. 4. tit. 85. Non debet tamen extraneum nominare, quamdiu propinqui exstiterint, qui tutoris officium possint pro eo ac oportet implere ex dict. Ord. §. 5. in fin.: *Em quanto for achado parente do orfão idoneo e pertencente para ser seu tutor, não seja constrangido a isso algum estsanho.* Datio haec tutoris pertinet ad iudicem domicilii, non rei sitae, qui ab eo rogatus debet curatorem bonis dare, Ord. cit. §. 8., et lib. 1. tit. 88. §. 24., et lib. 3. tit. 11. §. 3., l. *Pupillo 27. de tutor. et curat. dat.*

*De satisfactione tutorum.*

§. XIV. Tutores testamentarii a patre, matreve dati ab omni satisfactione immunes sunt ex dicta Ord. lib. 4. tit. 102. §. 1. in fin. et §. 2. Mater et avia, quando tutelae officio fungitur, cautionem fidejussoriam praestat, si bona immobilia non habet, quae pupilli facultatibus respondeant, §. 3. Alii tutores legitimi utramque cautionem juratoriam et fidejussoriam praestant; ab hac tamen liberantur, si vel locupletes multum sint, vel adeo pauperes, ut fidejussores invenire non possint, quo casu sufficit juratoria, §. 5. Dativus ad nullam cautionem tenetur, et satis est ejus fidem a iudice probari: neque in §. 7. cit. Ord., quo de Atiliano tutore agitur, alicujus satisfactionis, cautionisve mentio fit; adeoque succedit regula princ. Inst. *de satisf. tutor.*, quae bona ratione nititur.

Quamvis non omnes tutores satisfacere cogantur, omnes tamen confirmatione indigent, et aliquam inquisitionem desiderant, quae in eo versatur, an tutor frugi sit et locuples, ut jam supra monuimus (§. VII.). Quare prohibentur omnes res pupillares administrare sine iudicis decreto, cui praecedere debet inventarium ab eodem solenniter confectum, Ord. lib. 4. tit. 102. in princ. ibi: *fará entregar . . . per inventario*, et lib. 1. tit. 88. §§. 4. 5.

*De officio, auctoritate, et administratione tutoris.*

§. XV. Officium tutoris, quantumcumque illud est, quod certe maximum est, duobus his continetur, *auctoritate* et *administratione*. Tutoris officium idem fere ac patris, in cujus locum successit, et Magistratus, vel Principis, a quo fuit datus, vel confirmatus, qui civium omnium, et praesertim pupillorum, minorumve maximus et supremus tutor est, Heinecc. Dissert. *de suprem. Princ. et Magistrat. tut.* §§. XIV. XV. *Auctoritas* tutoris idem est atque adprobatio, seu confirmatio illius actus, quem pupillus infante major solus gessit, ad eamque habendam sufficit qualiscumque consensus, sive expressus, sive tacitus, sive in ipso negotio, sive eo jam perfecto, sine ulla solennitate interpositus per epistolam, vel internuntium. Aliter jure Romano toto tit. Inst. *de auctorit. tutor.*, et in Pand. *de auctorit. et consens. tutor. et curat.* *Administratio* pupilli bona respicit, et personam, et hanc potissimum. Debet igitur tutor pupillum liberaliter, pro modo tamen facultatum, educare, vel in officio paterno exercere, et defendere ab omni injuria vel maxime in judicio, Ord. lib. 1. tit. 88. §§. 10. 13. 15. 16. 18., et lib. 3. tit. 41. §. 8.; res pupillares tamquam bonus paterfamilias administrare, et hanc in rem ea omnia facere, quae bene sapienterque cauta inveniuntur cit. Ord. lib. 1. tit. 88. §. 22. et seq. Haec cum ita sint, sequitur et pupillum nihil fere agere posse sine tutore; et

hunc sine pupillo omnia recte agere, et ipsam quoque hereditatem posse adire, et similes alios actus jure Romano sollemniores gerere, Thomas. in Not. ad Inst. lib. I. tit. XXI. In rebus magni momenti, veluti sponsalibus, procuratoribus judicialibus, vel extrajudicialibus constituendis, Beneficiis nominandis et praesentandis pupillus septennio major, cum judicio aliquo praeditus sit, una cum tutore audiri debet, Stryk. ad Pand. lib. XXVI. tit. VIII. §. V. Quia vero tutoras vice Magistratus funguntur, inde etiam est, quod sine illius consensu et decreto vix aliquid alicujus momenti agere possint. Quamvis enim apud Romanos decreto tantum Magistratus opus esset, si res immobiles pupilli, vel pretiosiores essent alienandae, tit. *de reb. eor., qui sub tut.*; tamen apud nos tutores in vendendis aliis rebus, pecuniis fenori locandis, vel debitibus obsignandis, pupillis alterius servitio mancipandis, vel in matrimonium collocandis, vel adceptandis solutionibus, et similibus consensus, auctoritas et decretum Magistratus pupillaris necessarium est ex cit. Ord.; illud autem non requiritur in earum rerum alienatione, quae servando servari non possunt, neque in solutione ejus debiti, quod statis temporibus omnino exsolvendum est, videlicet in annuis redditibus, censibus, usuris, ceteris, quae nullam causae cognitionem desiderant.

Principes nostri non solum qua Imperantes pupillorum curam habent, sed speciali tutorum titulo, quo maxime gloriantur. Bene hanc in rem Joannes I. lege Scalabi data 22. Maii aer. 1441. (in Cod. Alphons. lib. 4. tit. 88. §. 2.) ait: *e Nós polo Estado, que nos Deos deu, temos da guarda desses orfãos grande encargo, porque humanas cousas, que emcomendadas sam ao Rey na sua terra assyhe manter, e guardar e defender esses orfãos; porém consirando Nós todas estas cousas, e querendo tolher o mal, que se seguio atau ora, etc.*



*De periculo tutoris , rationibus ab eo reddendis ,  
et ubi conveniri debeat.*

§. XVI. Tutor autem omnino de damno tenetur , quod culpa , vel negligentia sua pupillo dedit , Ord. lib. 3. tit. 41. §. 3. : *e haver emenda do damno , que por culpa , ou negligencia de seu tutor , ou curador receber ;* Cald. ad l. *Si curatorem* 3. verbo *sine curatore* nn. 6. 7. ; isque propterea conveniri potest vel in loco domicilii , vel apud judicem , a quo fuit tutor datus , Ord. lib. 3. tit. 11. §. 3. , et administrationis suae rationes reddere debet non modo finita demum tutela , uti jure Romano , l. 4. in princ. , l. 9. §. 4. D. *de tutel. et rat. distrah.* , sed singulis annis , Clement. *Quia contingit* 2. §. 1. *de Religios. Domib.*

Obligantur ex tutela tutores , fidejussores , et Magistratus ; ex tutela autem actio non nisi ea finita competit jure Romano ex dictis legibus. Aliud visum est Pontifici , Clementin. *Quia contingit* 2. §. 1. *de Religios. Domib.* , ubi tutores et administratores rationes quotannis reddere jubentur. Idem ad antiqui juris rationem constitutum fuit a Carolo V. Imperatore Reform. Polit. ann. 1548. tit. 2. §. 2. , et Rudolfo II. Ord. 1577. ; et hoc jus hodie apud omnes fere gentes servatur , quod , cum utilius sit pupillo , ad nostram civitatem trahendum est. Schilt. *Exercit. ad Pand. XXXVII.* §. 174. , Stryk. ad tit. *de tut. et rat. distrah.* §. 5.

*De tutoris fidejussoribus , et Magistratibus conveniendis.*

§. XVII. Fidejussores quoque tutoris de damno , ejus culpa , vel negligentia dato , tenentur , Ord. lib. 4. tit. 102. §. 5. ibi : *dará fiador abonado , que por elle se obrigue ;* singulis annis , uti hodie tutores , et non demum finita tutela , Stryk. ad Pand. lib. XXVII. tit. III. §. 7. , et tit. VII. §. 1. , et  
II.

conveniri possunt non a pupillo, sed a contutoribus, vel curatoribus datis, l. 9. §. 6. *de tut. et rat. distrab.*, vel officio judicis pupillaris, apud quem rationes reddendae sunt, Schilt. loc. cit. Magistratus etiam judicio tutelae in subsidium tandem conveniuntur, Ord. lib. 1. tit. 88. §§. 3. in fin. 7. 16. 18. 24. ibi: *E faça de tal maneira, que por sua culpa e negligencia os bens dos orfãos não recebão damno, porque todo o damno e perdu, que receberem, pagará per seus bens*; et lib. 3. tit. 41. §. 3. in fin.: *ou do juiz, que tal tutor, ou curador deu*. Nominatores et adfirmatores, de quibus in Pand. tit. *de fidejussorib. et nominatorib.* agitur, jura nostra et mores ignorant.

*Excusationes tutorum.*

§. XVIII. Tutela munus publicum est, quod omnes cives obire tenentur, nisi legitimam excusationem habeant. Ab omni tutela, etiam testamentaria et legitima, excusant liberi quinque superstites, vel bello amissi, Ord. lib. 4. tit. 104. in princ., Emman. lib. 1. tit. 67. §. 31. et seq., Alphons. lib. 4. tit. 88. Excusantur etiam Senatores, Praetores, Auditores, Decuriones, et illorum adparitores, §. 1.; rerum fiscalium administratores, §. 2.; majores septuaginta, et minores viginti quinque annis, §. 3.; gravi morbo adfecti, infirmitate durante, §. 4.; Nobiles, Equites, Doctores, §. 5. Hae excusationes ex jure Romano deductae ab omni tutela liberant; reliquae, quae speciali privilegio competunt, a dativa tantum tutela excusant ex dicta Ord. in princ. Eaedem, et similes excusationes in foro receptae vel voluntariae dicuntur, quia scilicet favorem tantum tutoris respiciunt, veluti numerus liberorum, vel necessariae Reipublicae, et pupillorum favore introductae, quae tu-

torem etiam volentem excusant, videlicet aetas pupillaris, Patriciatus, Militiae et Doctoratus dignitas, cet.

Joannes I. lege Scalabi data 22. Maii aer. 1441. privilegia omnia, quibus excusatio a tutelae munere concessa erat, revocavit. Alphonsus V. eandem interpretatus sua Ordinatione lib. 4. tit. 88. §. 4. differentiam constituit inter privilegia, juris Romani corpore inserta, et extravagantia, veluti vassalli, sagittarii, id est, *Bêsteiro*, et similia, quae non jure communi, sed speciali lege competunt; et tandem statuit, quod priora, quae ibidem recenset, ab omni tutela excusationem darent, posteriora a dativa tantum: et ex hac Ordinatione deducta postea fuit et transcripta Emman. et Philipp. loc. citt.

### *Quomodo tutela finiatur:*

§. XIX. Anni pubertatis cum jure nostro definiti sint, tutela finitur 1) in masculis anno XIV.; in feminis XII., Ord. lib. 4. tit. 104. §. 6.: 2) morte tutoris, vel pupilli: 3) conditione a testatore adjecta (§. IX. hoc tit.): 4) biennio elapso, non enim diutius tutor extraneus tutelam sustinere cogitur, Ord. lib. 4. tit. 102. §. 9.: 5) capitis deminutione, 6) relegatione, et quacumque status mutatione: quacum tutelae munus commode consistere non possit: et haec satis, neque omnes referre modos, quibus tutela finitur, necesse est.

### *De suspectis tutoribus.*

§. XX. Huc etiam pertinet remotio suspecti tutoris, qui tutelam non ex fide gerit, et officio suo deest dolo, culpa, vel negligentia, propterea removendus, Ord. lib. 4. tit. 102. §. 1.: *em quanto o fizer bem, e como deve a proveito do orfão, ou menor, e não fizer cousa, por que deva ser tirado da dita tutoria.* Adcusatio de suspectis tuto-

ribus tam publica, quam privata, hodie in usum non est, et iudex tutorem remove solet vel officio suo, vel ad alterius denuntiationem, inquisitione instituta.

### *Tutela illustrium.*

§. XXI. Illustribus personis ex quolibet ordine, etiam inferiori, tutores jure Romano constitui possunt, l. 1. C. de tutorib. vel curatorib. illustr. vel clarissimar. personar., l. 7. §. 6. vers. Sed si C. de curat. furios. Et hoc jure utimur; nulla enim lege cautum est, ut nobilis tutor aequae nobilitatis sit; debet tamen nominari persona optimae atque integrae opinionis, dict. §. 6., et tutor ex quolibet ordine, modo idoneus sit, dict. l. 1., et ita postulare videtur utilitas pupilli. Idem in Germania, ubi jus feudale altiores radices egit, servatur, uti contra Schilterum demonstrat Strykius ad Pand. tit. de tutel. §. XIX., Coccejus de tutor. illustr. cap. IV. §. 4.

### *De Regis impuberis tutela.*

§. XXII. Regis impuberis tutela confertur tutori, vel tutoribus testamentariis, a defuncto Rege testamento, vel scriptura datis; iis deficientibus, Matri Reginae viduae; et ultimo tandem quinque de senioribus viris ad secretiora Regni consilia admissis. Infans autem, Regis mortui frater, si adsit, solus ferme summa rerum potitur; quamvis enim dictos quinque Status Consiliarios audire debeat, decisio ad eum dumtaxat spectat, paucis quibusdam majoris momenti exceptis, relatis Comitiorum lege 23. Novembr. 1674. apud Ord. lib. 4. tit. 102. Collect. I. N. 1., et Sous. tom. V. Probat. ad lib. VII. Hist. Geneal. N. 83. pag. 93.

Comitiorum hæc lex, a Petro II. Regni Gubernatore ad populi roagationem lata, *Fundamentalis* dicitur, an jure, alii videant, cum lex ipsa non Populum universum, sed Petrum auctorem habeat, qui tunc temporis Regni administrationem Alphonsi VI. Regis fratris nomine tenebat: ut sit, præfata lex in ipso jure Romano fundamentum habet: nam primo admittit tutores testamentarios, eosque omnibus anteponit; vocat deinde Reginam viduam, quamdiu ad secundas nuptias non convolaverit, eique solum, omnibus agnatis posthabitis, tutelam defert legitimam, quam decimo quarto anno finiri declarat; quæ omnia a jure Romano mutuata sunt. In eo autem ab eodem jure, et ab antiquis Regni moribus differt, quod certos tutores dativos tandem nominat, videlicet quinque viros *Status* Consiliarios antiquiores. Jam vero Reges nostri in Principis impuberis tutela danda ad jus Romanum non semel provocabant; tanta nimirum illius auctoritas erat, ut in publicis privatisque negotiis valeret. Joannes III. ann. 1557. Catharinam Reginam Principi Sebastiano, nepoti communi, reatricem testamento nominavit, eique Regni regimen commisit ad annum usque vicesimum, quod notandum est, his verbis apud Sous. tom. III. *Probat.* ad lib. IV. N. 135. pag. 22.: *E como pellas ordenações destes Reynos, e por direito commum o avó, que tem seu neto em poder, depois de ter fallecido seu filho pay do dito neto, pode em seu Testamento dar tutor e curador ao tal neto: pellos quæes respeitos cu por este meu Testamento ordeno e mando; que se ao tempo, em que nosso Senhor houver por bem de me levar para si, o dito Principe meu neto for menor de idade de vinte annos compridos, que a Raynha sua avó seja sua tutora e curadora, e a dou por tutora e curadora do dito Principe athe a dita idade dos vinte annos . . . . Declaro, ordæno, e mando que em todo o dito tempo, que o Principe meu neto não for de vinte annos compridos, a Raynha sua avó seja Governador dos ditos Reynos e Senhorios, e os governe . . . assy e tam inteiramente, como o dito Principe o fizera no tal tempo, se fora mayor dos ditos vinte annos.* Tutelæ veluti pactitiæ et testamentariæ exemplum, e jure quoque Romano petitum, nobis reliquit Oduardus Rex, qui principi Alphonso Petrum et Henricum Infantes curatores nominavit literis 6. Novembr. ann. 1433. apud Sous. tom. I. *Probat.* ad lib. III. N. 15. pag. 418., quas eisdem In-

fantibus custodiendas et servandas tradidit. Idem a priori hac voluntate recedens testamento impuberi Regi Eleonoram conjugem tutricem dedit, eique tantum, Infantibus exclusis, summam rerum gerendarum demandavit contra illorum expectationem, et populi votum, et hinc dissidia, perturbationes, et Comitia seditiosa orta sunt, quae deplorant et referunt inter alios Pin. *Chron. Oduardi* cap. XLIV. et *Alphonsi V.* cap. III. et seq., Leo *Chron.* cap. VI., *Far. Europ. Port.* tom. II. P. III. cap. III. Eodem jure jam multo quidem antea primi Lusitaniae Reges utebantur. Nam Alphonsus II. testamento suo ann. 1221. apud Sous. tom. I. *Probat.* ad lib. I. N. 19. p. 34. Infantis successoris tutelam, et Regni regimen, quamdiu is perfectae aetatis non esset, Regno universo, seu potius *Vassallis*, id est, Nobilibus tribuere videtur his verbis: *Et si in tempore mortis meae filius meus, et filia, qui vel quae debuerit habere Regnum, non habuerit roboram, sit ipse, vel ipsa, et Regnum in potestate vassallorum meorum quousque habeat roboram.* Similia leguntur testamento Sancii II. Haec autem tutela (quod hic adnotare placet) ab Alphonso et Sancio data *Vassallis* non competit jure proprio, sed virtute testamenti, et Regiae testamentariae nominationis: quod licet controversum sit, jure Publico universali inspecto, apud nos procul omni dubio est, cum nulla scripta lege, vel moribus Principis impuberis, et Regni [tutela ac regimen vel Populo universo, vel *Vassallis* tantum, id est, Nobilibus competat, reliquis civibus exclusis. Neque contrarium probant adlegationes, consilia, scripta, et ipsa denique Comitia apud *Turres Novas* ann. 1438. habita: quae enim difficillimis his temporibus in tantis, et tam magnis civilibus factionibus gesta sunt, pro jure haberi non debent, neque in exemplum trahenda. Et haec satis. Ad nostram igitur Comitiorum legem ann. 1674., quae hodie solum auctoritatem habet, revertentes, certum est: I.) Principis impuberis tutelam non vicesimo, uti Joannes III. statuit, sed pubertatis, id est, decimo quarto aetatis anno finiri: II.) Regem de Principis impuberis tutela pro arbitrio posse disponere, eamque uni, vel pluribus tutoribus testamento, vel scriptura committere: III.) et de curatela quoque puberis Regis, mente capti, vel alio legitimo impedimento laborantis, quod cum Regni regimini inhabilem reddit: IV.) tutore a patre dato deficiente, tutelam legitimam Reginae Matri deferri: V.)

Reginam tutricem et tutorem testamentarium pupilli et Regni tutelam atque regimen, et liberam administrationem habere nullis limitibus praefata lege circumscriptam; tutoris enim auctoritas et officium idem ac Regis, et utrumque in tuendo legitimo jure Regni pariter ac civium, et in potestate ea omnia faciendi, quae ad felicitatem Reipublicae pertinent, consistit: VI.) Quinque Consiliarios Viros praedicta lege tutores tandem datos regimen quidem Regni habere; sed non tam liberam administrationem habent, quam Regina Mater, vel tutor testamentarius: itaque publica bona non possunt alienare, cetera, quae privati tutores sine iudicis decreto facere prohibentur: VII.) Infantem defuncti Regis fratrem Principis, et Regni tutelam una cum eisdem quinque Viris tenere, et eorum consilio in rebus omnibus gerendis uti debere, illorum tamen votum *consultivum* esse, non *decisivum*: majoris autem momenti negotia, videlicet si de bello ac pace, de matrimonio Regis, vel de publicis bonis in totum, aut in magnam partem alienandis deliberandum foret, pluralitate suffragiorum decidi. Haec omnia ex saepius memorata Comitiorum lege facile unusquisque animadvertere potest: quae autem de Principis tutore generaliter a Juris Publici scriptoribus disputari solent, huc non pertinent: videsis tamen nostrum Cald. Perer. ad l. *Si curatorem* 3. C. *de in integr. restit.* verbo *sine curatore* a n. 118., Grot. *de jur. bell. ac pac.* lib. I. cap. III. §. V., Henric. Cocc. *Disput. LXXXIV. de tutel. illustr.*

---

---

## TITULUS XII.

### De curationibus.

#### *Curator quis.*

§. I. **C**urator in differentiam tutoris is dicitur, qui non pupilli, sed minoris, prodigi, furiosi curam habet, qui nimirum eorum personam tuetur, et bona administrat. Antiqui mores et leges ne hanc quidem differentiam, et diversa tutorum et curatorum nomina agnoverunt (§§. I. II. tit. XI.).

*Tutoris hodie et curatoris differentia nulla est.*

§. II. Tutores inter et curatores Romani Iureconsulti differentias multas constituerunt, quas refert Modestin. l. 20. *de tutorib. et curator.*, et Cujac. l. XVII. *Observat. cap. VII.* Illarum summa haec est: 1) quod impuberes inviti tutorem accipiant, non curatorem, minores non nisi in certis quibusdam causis, veluti in litem, §. 2. *Inst. de curat.*, ad liberandum tutorem, l. 7. *C. qui pet. tutor.*, vel debitorem, l. 7. §. 2. *de minorib.:* 2) quod tutor personae, curator bonis primario detur: 3) quod curatores non dentur legitimi, sicuti legitimi tutores dantur, cum possint minores agnatos proximos testamento praeterire, et successione privare: 4) quod auctoritas tutoris, eo tantum praesente, et pure interponi debeat, §. 2. *Inst. de auctorit. tutor.*, curatoris consensus quomodo-cumque. Haec tamen omnia hodie nullius ferme usus sunt, nam eadem est tutoris atque curatoris



potestas et auctoritas tam in rebus, quam in persona pupilli, minorisve, idem utriusque officium, nisi quod tutorem nominemus eum, qui pupillum; curatorem, qui minorem defendit; et quod tutela pubertate, curatio aetate legitima, id est, vicesimo quinto anno finiatur.

Omnes hae differentiae hodie nihil valent. Nam minores, etiam inviti, curatores adciunt, Ord. lib. 4. tit. 102. in princ. ibi: *O Juiz dos orfãos terá cuidado de dar tutores e curadores a todos os orfãos e menores.* Potestas deinde tutoris ac curatoris aequalis est, et idem prorsus auctoritas atque consensus significat: neque dubito, quod recte possint tutores, vel curatores dari unus, aut plures ad omnia, vel ad certa bona; utilitas namque pupilli summa regula est, neque multum de verbis curandum. Hodie quoque agnati minorum legitimi curatores sunt, quia ab intestato eisdem succedunt; et denique tutor aequae ac curator recte testamento relinquitur, Ord. lib. 4. tit. 102. §. 1. ibi: *deixou em seu testamento tutor, ou curador.*

### *Curatio testamentaria.*

§. III. Curatio itaque, quemadmodum tutela, vel testamentaria est, vel legitima, vel dativa. Testamentariae ratio prius habenda est, et illius expressa mentio fit Ord. lib. 4. tit. 102. §. 1., eaque similiter vel a patre, matre, vel extraneo testamento relinquitur. Quae igitur superius de tutoribus testamentariis diximus (Tit. XI.), de curatoribus dicta volumus, eadem Ord. lib. 4. tit. 102. §§. 1. 2., et tit. 104. §. 6.

### *Legitima et dativa.*

§. IV. Curatio legitima matri, vel aviae, vel propinquis gradu proximioribus defertur, Ord. lib. 4. tit. 102. §. 5.: *E se o orfão, ou menor não tiver*

*tutor, ou curador dado em testamento, nem mãe, ou avó, que seja sua tutora, ou curadora . . . o parente mais chegado . . . será constrangido, que seja seu tutor, ou curador. Dativa adprobatur eadem Ord. §. 7. ibi: E não se achando parente . . . o juiz obrigará hum homem bom . . . para ser tutor, e curador.*

*Minorum.*

§. V. Et primo quidem jure nostro minoribus viginti quinque annis curator debet dari, Ord. lib. 4. tit. 102. in princ. ibi: *curadores a todos os orfãos, e menores; tit. 103. in princ. ibi: Porque além dos curadores, que hão de ser dados aos menores; et tit. 104. §. ult. ibi.: E porque além destes tutores, que são dados aos orfãos, em quanto não chegão á idade de quatorze annos, se são varões, ou até doze, se são femeas, depois que passão da dita idade, e não chegão a vinte cinco annos, lhe são dados curadores.*

Soli furiosi ex lege XII. Tabb. in curatione erant legitima: postea ex lege Laetoria minores, dicta et probata causa, curatorem adiciebant: demum Marcus Antoninus constituit, ut omnes adulti curatorem haberent, non redditis causis. Capitolinus ejus vita cap. X. Verum debebant curatorem petere, neque enim eis invitis obtrudebatur. Jure autem nostro minoribus, velint nolint, curator necessarie dandus est ex Ordinationibus superioris relatis. Et hoc jure jam diu utimur a tempore Alphonsi IV., qui primus constituit, ut minoribus invitis curatores darentur contra antiquos mores, et Regni consuetudinem, quam ipse ad populi petitionem in Comitibus Scalabi habitis revocavit, et jus Romanum reduxit, Ord. Alphons. lib. 4. tit. 93.

*Quibus minoribus curator non datur.*

§. VI. Minoribus viginti quinque annis; si fuerint a parente emancipati, vel nupserint, vel aetatis veniam a Palatii Curia impetraverint, curator non datur; non enim aliter emancipatio, matrimonium, aut aetatis venia conceditur, nisi firmo iudicio valeant, Ord. lib. 1. tit. 88. §. 6.: *quando forem emancipados, ou casarem; et §. 27.: E defendemos ao Juiz dos orfãos, que não mande entregar os bens a nenhum orfão, salvo se houver vinte cinco annos perfectos, ou for casado por sua auctoridade depois de haver dezoito annos, ou levar carta de suprimento de idade, passada pelos Desembargadores do Paço.* Et hoc modo Alphonsus V. praefatam Alphonsi IV. legem fuit interpretatus suo Codice dicto lib. 4. tit. 93.

*Curatio furiosi.*

§. VII. Furiosis et mente captis curator datur, Ord. lib. 4. tit. 103., Emman. lib. 1. tit. 67. §. 37. et seq., Alphons. lib. 4. tit. 86. Furiosus hac Ordinatione significatur verbo *sandeu*, quasi ab *insania* dictus, et curationi etiam subest furoris intermissione, quamvis hoc tempore possit bona sua administrare, §. 3. ejusd. Ord. Mente capti significantur verbo *desasisados e desmemoriados*. Eodem quoque veniunt muti et surdi, et generaliter omnes, qui ob perpetuum morbum, vel aliam causam rebus suis superesse non possunt: caute tamen a furioso et mente capto distinguendi insanus, qui mediocritatem officiorum servat, homines simplices, et caecus, quibus curator dandus non est. Bene ergo Philippus Imperator in R. 3. C. *qui dar. tutor.* respondet: *Luminibus captum curatorem haberi debere falso tibi persuasum est.*

*Et cui deferatur.*

§. VII. Tam furiosi, quam mente capti, et aliorum curatio legitima est, et utriusque eadem vis ac potestas, et nihili omnino facienda, quae Romani juris interpretes, Fab., Bachov., Amaya, ceteri, hac de re disputant, maximo enim conatu maximas nugas agunt. Defertur itaque haec curatio primum parenti; deinde avo paterno, vel materno; postea filio legitimae aetatis; horum in defectum fratri, et reliquis consanguineis. Si furiosus matrimonio junctus sit, illius curatio uxori volenti, honeste si vivat, primo loco defertur, Ord. lib. 4. tit. 103. in princ. et §§. 1. 2. 4. et 5., Emman. lib. 1. tit. 67. §. 37. et seq., Alphons. lib. 4. tit. 86.

*De curatore prodigi:*

§. IX. Prodigio, cum parum a furioso distet, curator a iudice datur, inquisitione prius habita, et eo citato, Ord. lib. 4. tit. 103. §. 6. ibi: *por inquirição*. Prodigus autem habetur, qui bona avita dilacerat, aes alienum conflat, liberosque suos ad egestatem perducit, et ita nimirum a Lucretio describitur lib. IV. vers. 1116., Juven. Sat. VI. vers. 362., et in formula interdictionis apud Paul. lib. III. Sent. tit. IV. §. 7. hoc modo: *Quando tibi (vel tua, ut Cujacius legit) bona paterna, avitaque nequitia tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis: ob eam rem tibi ea re, commercioque interdico; itemque apud Regiam Ordinationem lib. 4. tit. 103. §. 6. verbis: desordenadamente gasta, e destrue sua fazenda*. Caveat igitur iudex, ne hominem valde munificum et liberalem, vel vitiosum cum prodigo et eversore confundat: nam largitas virtus quidem est ingenuo homine dignissima; vitia autem non hac poena, sed longe alia puniuntur, Cald.

Perer. ad l. *Si curatorem* 3. verbo *non absimilis* C. *de in integr. restit.* n. 14. Similiter curatorem non habet, neque administratione privatur, qui in ludo omnem pecuniam suam effudit, sed exsilio pro modo delicti adfcitur, Ord. lib. 5. tit. 66. §. 7.; prodigus quippe non est, qui in expensis, licet immoderatis, certum finem sibi proponit. Curatio haec prodigi et furiosi eodem modo, et eisdem personis defertur.

*Et viduae prodigae.*

§. X. Vidua prodiga bonorum administratione a iudice privatur, qui tamen statim debet rem totam ad Regem referre, Ord. lib. 4. tit. 107. in princ., Emman tit. 10. eod. Senatoris autem, Patricii, vel Equitis viduae, Rege inconsulto, commercio rerum suarum interdicere non debet, §. 1. Itaque utramque Ordinationem lib. 4. tit. 103. §. 6., et tit. 107. in princ. et §. 1. ego quidem de prodigo intelligo, et titulus 107. de vidua prodiga specialis est, cui non statim, Rege inscio, curator dandus; et ita nimirum constitutum fuit in honorem ipsius et mariti, *ibid.*: *por honra do marido, e da sua linhagem, fação-nol-o logo a saber antes d'outra cousa, para mandarmos o que for direito sem escandalo de sua geração.*

Citatae Ordinationes deductae fuerunt ex Alphonsi IV. lege Scalabi data 14. Jul. aer. 1381. apud Ord. Alphons. lib. 4. tit. 15., eaeque intelligendae de vidua prodiga, quae nec finem, nec modum, tempusve expensarum habet, Cald. Perer. loc. cit. n. 17. vers. *quamobrem*, et n. 18. in fin. Noster Aegidius ad l. 1. §. 2. a n. 5. P. I. C. *de sacros. Eccles.* contendit praedictis Ordinationibus locum esse non solum in vidua vere prodiga, quae certum finem in expensis immoderatis faciendis sibi non proponit, sed in luxuriosa, intemperante, et vitiis dedita, quamvis prodiga non sit, et in ea etiam, quae

splendide, et laute epipareque epulatur. Hæc autem sententia, præterquam quod sacro proprietatis juri omnino adversetur, cum locum non habeat in muliere nupta, in nuptave, vel viro, multo minus habere debet in vidua, quæ majori favore digna est ob ipsius maritiquæ honorem ex dictis Ordinationibus.

*Ad litem:*

§. XI. Minoribus, tutorem licet vel curatorem habeant, specialis in litem curator dandus est, sive actoris, sive rei partes agant, Ord. lib. 3. tit. 41. §. 9. ibi: *E sendo o feito tratado sem lhe ser dado curador á lide na fórma sobredita, serão os actos e sentenças por os ditos actos dadas nehumas*; quod contra Romani juris rationem introductum esse videtur, l. 1. C. *de in lit. dand. tut. vel curat.*

*Et bonis dando.*

§. XII. Absentibus et captivis, si procuratorem idoneum non habeant, curator a Judice Orphanorum, Provisore, vel in Palatii Curia pro illorum conditione et facultatibus datur ex officio, vel ad propinquorum, cujusvisve e populo rogationem, qui bona interim administrat, præstita cautione: verum eo tantum casu dandus, quando de absentis domicilii loco non constat, neque adparet in vivis sit, an mortuus, Ord. lib. 1. tit. 90., et tit. 62. §. 38., Regim. Palat. §. 50., Phoeb. P. I. *Decis.* 42., Thom. Valasc. *Adleg.* 79. a n. 5. Curatio committi iis debet, qui spem futurae successionis habent, et ita utilitas ipsius absentis postulare videtur. Exstat in Digg. lib. XLII. titulus *de curatore bonis dando*, debitoris scilicet obaerati, mortui, vel absentis, ad creditorum petitionem; ast hujusce curatoris, sicut et contradictoris, qui

creditoribus agentibus exceptiones, si quae sint, opponat, leges nostrae mentionem non faciunt.

*De Clerico tutore, curatoreve.*

§. XIII. Denique monendum ea fere omnia, quae hucusque diximus, aequè in Laico et Clerico locum habere. Namque Clericus, cum nostrarum legum beneficio proximis agnatis ab intestato succedat, Ord. lib. 2. tit. 18. §. 5., impuberis, minorisve legitimus tutor, aut curator erit, et illorum hereditate privabitur, si a tutela, vel curatione se excusaverit, Ord. lib. 4. tit. 102. §. 6. Similiter Clerico furioso, vel prodigo curator illius bonis et patrimonio dari debet a saeculari iudice, a quo cogendus etiam ad tutelam impuberis suscipiendam, et ad rationes reddendas, Ord. lib. 3. tit. 11. §. 3. Paulo aliter Cabed. P. I. *Decis.* 80. 81.

Justinianus Clericis tutelae testamentariae, legitimae, et dativae immunitatem concessit l. 52. C. de *Episc. et Cleric.*, Novell. 123. cap. 5.: verum eos tantum Clericos beneficium habere voluit, qui apud sacrosanctas Ecclesias permanent, non divagantes, neque circa divina ministeria desides; cum propter hoc ipsum beneficium eis indulgeamus, ut, aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministeriis inhaereant, §. 1. dict. l. 52. Sed ne haec quidem excusatio legibus nostris probata est: quinimo Ord. Alphons. lib. 3. tit. 15. Clericis tutoribus in tutelae causa privilegium fori denegare videtur, cum illud eadem Ordinatione non habeat Clericus laici discipulus, oeconomus, et testamenti curator, §. 30. ibi: *Se o Creliquo he Escolar discipolo de algum Mestre leiguo, o juiz leiguo o poderá costringer e citur, e ser seu juiz;* et §. 16. ibi: *Se os Creliquos fosse mordomos de leiguos, podem e devem ser citados e costringidos per nós, e per nossos juizes leiguos;* et §. 22. ibi: *Se algum Creliquo fica per testamenteiro d'algum leiguo, em que aja residoo, pode ser citado por esse residoo perante nós, e perante nossos juizes leiguos.*

## TITULUS XIII.

*De personarum aliis divisionibus.**Divisio personarum in majores et minores.*

§. I. SECUNDUM statum naturalem homines vel *majores* sunt, vel *minores*. Horum nomine intelligimus hic non solum *impuberes* et *puberes* omnes usque ad XXV. aetatis annum; verum etiam majores quosdam, veluti furiosos, mente captos, carceribus publicis detentos, viduas, et miseras alias personas, ceteras, quae minorum jure gaudent, Ord. lib. 3. tit. 41.

Hominis *status* vel *civilis* est, videlicet libertatis, civitatis, et familiae, vel *naturalis*; et secundum hunc statum homines vel majores sunt, vel minores; et haec divisio multas alias continet, de quibus infra. Eas autem omnes explicare necesse non est, nec multum quidem interest quo loco subjiciantur, dummodo earum tractandarum certus constet ordo.

*Impuberes qui.*

§. II. Dicuntur impuberes masculi ad XIV. annum, feminae ad XII., Ord. lib. 4. tit. 104. §. 6.; hique ante septennium *infantes* adpellantur, et nullo judicio valent; majores septennio vel pubertati, vel infantiae proximi sunt, et aliquo jam judicio, quamvis non firmo, praediti.

Accursius ad §. 9. Inst. *de inutilib. stipulationib.*; et ad l. 1. *de novat.* pupillaris aetatis tres gradus facit; et cum infans quis sit, vix dubitetur, septennium, quod infantiam sequitur, usque ad pubertatem in duas partes  
aequales



aequales dividit, ut qui consistit intra priorem, *infantiae proximus*, qui intra posteriorem, *pubertati proximus* dicatur; et inde Accursius, et sequaces varios juris effectus deducunt. Ego vero hanc rem arbitrio iudicis relinquo, cum jure definita haud sit.

### *Puberes.*

§. III. Puberes igitur dicuntur masculi ab anno XIV., feminae a XII. usque ad XXV.; adeoque pubertas et legibus nostris, et Romanis non ex habitu corporis, sed ex annis aestimatur, dict. Ord. lib. 4. tit. 104. §. 6., princ. Inst. *Quib. mod. tut. finit.*, eaque dicitur vel minus plena, quae anno XIV. incipit, vel plena XVIII., vel plenissima XXV.; et diversa haec pubertatis aetas ad certos juris effectus et actus necessaria est.

### *Quae gerere possunt minores, vel non.*

§. IV. Ad publica officia, vel Reipublicae munera requiritur pubertas plenissima; ea itaque exercere prohibentur minores XXV. annis, Ord. lib. 1. tit. 94. in princ., quamvis matrimonio sint juncti, vel aetatis veniam impetraverint. Valasc. *Adlegat.* VIII. a n. 11. Hac tamen in re Palam Curia aliquantulum valet dispensare, §. 85. *Unus Regim.* Nec sufficit annus XXV. inceptus ex dicta Ord., quae intelligenda est tam de proprio, quam de alieno officio, quod alterius nomine exercetur. Minores similiter XXV. annis procuratores in iudicio non admittuntur, nisi fuerint Academicis honoribus insigniti, Ord. lib. 1. tit. 48. §§. 3. et 20., Cald. ad leg. *Si curatorem* 3. verb. *hunc contractum C. de in integr. restit. minor.* nn. 36. 39., Aegid. ad leg. *Ex hoc jure* 5. D. de just. et jur. P. II. cap. 10. Extra iudicium satis est pubertas plena, id est, annus XVII. vel XVIII., Ord. lib. 3. tit. 9. §. 5., §. ult.

*Inst. Qui et quib. ex caus. ; sibi enim imputare dominus debet, qui talem constituit procuratorem. Ad testamentum vero sufficit pubertas minus plena, Ord. lib. 4. tit. 81. in princ.*

*De obligatione minorum tam judiciali,*

§. V. Impuberis negotia, et actus omnes judiciales tutor solus sine pupillo recte gerit, itemque extrajudicialia ordinaria, et parvi momenti, quae ad bonorum administrationem spectant; majoris vero momenti pupillus ipse, si, quod agit, intelligat, tutore auctore, facit. Puberis curator una cum minore simul in judicio audiri debet, et vocari, nec non in rebus extrajudicialibus, et contractibus, qui ad universum patrimonium, vel majorem ejus partem pertinent: reliqua, quae non ejusdem ponderis sunt, curator solus administrat; et ita adcienda Ord. lib. 3. tit. 41. §§. 8. et 9., et tit. 29. §. 1. Videsis tit. XI. §. XV. h. lib.

*Quam extrajudiciali.*

§. VI. Minores igitur etiam puberes sine tutore, curatoreve in judicio non obligantur ex dicta Ord. lib. 3. tit. 41. §. 2. ibi: *porque se o feito fosse tratado per elle mesmo sem auctoridade do tutor, ou curador, a sentença dada contra elle será per direito nenhuma.* In contractibus similiter impuberes sine tutore civiliter non obligantur, neque etiam puberes curatorem habentes; et ita nimirum constat non modo ex ipsius tutelae, curationisve natura, verum etiam ex tota serie Ord. lib. 3. tit. 41., et lib. 4. titt. 102. et 103.; cum enim judicio firmo juris censura haud valeant, ideoque tutores et curatores adcipiant, non possunt, nisi eis auctoribus, obligari. Si vero ii, quod agunt,

intelligent, naturaliter quidem obligantur; verum haec obligatio effectus civiles pupillo, minorive noxios non producit.

Nemo est, qui non videat naturaliter obligari eum, qui, quod agit, intelligat; et tamen jure Romano circa minorum obligationem multae quidem in immenso Pandectarum volumine leges exstant, quae inter se pugnare videntur, de quibus inter alios videndi Antonius Augustinus lib. 3. *Emendat.* cap. 5., Jacobus Gothofred. ad l. 3. *de reg. jur.*

### *In delictis quomodo minores obligantur.*

§. VII. In delictis autem minores sine tutore, curatoreve civiliter obligantur, vel quia indigni sunt, quos favore leges prosequantur; vel quia in delictis, quemadmodum in contractibus, industria patris non timetur. Itaque qui XX. aetatis annum excedunt, eadem prorsus poena, qua majores, puniuntur: qui XVII., ordinariae, vel mitiori poenae judicis arbitrio subjiciuntur; minores vero XVII. ordinaria poena nullo modo adfici possunt, Ord. lib. 5. tit. 19. §. 1., tit. 36. §. 1., et tit. 135.

Ord lib. 5. tit. 135., quae hujusce rei sedes est, locum dumtaxat habet in capitalibus minorum delictis: in non capitalibus minores ad juris Romani praescriptum eadem Ordinatione puniri jubentur; quam in rem non nulla pro illius dignitate, et frequentia dicenda promittimus in criminalibus, quas meditamur, Juris Patrii Institutionibus (Tit. I. §§. VI. XXV.): et interim videndi §. 18. *Inst. de obligat. quae ex delict. nascunt.*, l. 23. *de furt.*, l. 13. §. 1. *de dol. mal.*, l. 5. §. 2. in fin. *ad leg. Aquil.*, l. 111. *de reg. jur.*, et *ibid.* Gothofred.

### *De restitutione minorum.*

§. VIII. Quia vero fragile est juventutis iudicium, minoribus laesis restitutio in integrum conceditur. Restituuntur ergo contra sententiam

definitivam, vel interlocutoriam, tutore licet curatoreve agente, latam, Ord. lib. 3. tit. 41. in princ. et §§. 1. 2. 3. 4., Emman. tit. 86., Alphons. 126., adversus aditionem hereditatis, Ord. lib. 4. tit. 87. §. 3., praescriptionem, tit. 79. §. 2., divisiones et partitiones in iudicio familiae eriscundae factas, tit. 96. §. 21. eod., et generaliter adversus omne damnum dolo, culpave admissum. Non debet tamen concedi, nisi probata prius minoris aetate, et laesione, et non nisi semel in eadem causa, et articulo peti potest ex dicta Ord. lib. 3. tit. 41: §. 7., et peti debet vel a rege, vel a iudice ordinario, aut delegato, non ab arbitro, §. 6. cit Ord.; et intra quadriennium a legitima aetate, id est, ad XXIX. usque annum, eod. §. 6. Restitutionis in integrum effectus is est, ut omnia ad pristinam causam reducantur; itaque revocatur quidquid, ea impetrata, fuerit innovatum, §. 4. ejusd. Ord. Si vero dolo malo restitutio fuerit petita, executionem sententiae non impedit, §. 5., deceptis enim, non decipientibus jura subveniunt, Ord. lib. 4. tit. 61. §. 3.

Hic tantum de restitutione, quae minoribus, vel quasi conceditur, obiter actum; namque haec res alio in loco (Inst. Lib. IV. Tit. III. §. XVII.) tractanda videtur. Quae Ord. lib. 3. tit. 41. habentur, omnia fere ex jure Romano sunt decerpta, cujus non semel mentio fit ead. Ord. §. 4. in fin., 7., et passim, et Alphons. tit. 126. §. 3. verbis: *E disseram os Sabedores, que copilaram as Leys Imperiales*. Illud etiam hic admonere non abs re erit, Authenticam *Sacramenta puberum, C. Si adversus vendit. de minorum contractibus jurejurando firmatis non retractandis* apud nos locum non habere, Ord. lib. 4. tit. 73., Emman. 3., Alphons. 6.

*Et quasi minorum.*

§. IX. Pro minoribus hac in causa habentur furiosus, mente captus, Republica, Fiscus, Ec.

clesia, civitates, publicis carceribus detenti, xenodochia, religiosae domus, viduae, et miserae aliae personae, cetera, quibus restitutionis beneficium generaliter conceditur, Ord. lib. 3. tit. 41. §. 4. in fin. et §. 7., et tit. 9. §. 12., Cald. ad leg. *Si curatorem* 3. verbo *minoribus* a n. 60., Phoeb. P. I. *Decis.* 61. n. 9. et II. *Decis.* 147. a princ., quod peti debet intra quadriennium a tempore negotii, vel scientiae, capp. 1. 2. *de restit.* in 6.

### *Majores qui.*

§. X. Qui XXV. annum excedunt, sub majorum nomine veniunt, et ad omnia in Republica munera admittuntur; haec enim aetas jure nostro pro legitima habetur, Ord. lib. 3. tit. 42. §. ult.: speciale tamen est in Judice Orphanorum, quod XXX. anni requirantur, Ord. lib. 1. tit. 88. §. 1., et tit. 94 in fin. princ., et quod arcis Praefectus hac aetate minorem illius Gubernatorem non possit nominare, Ord. lib. 1. tit. 74. §. 4.

### *Et quasi majores.*

§. XI. Annos natus XX., si matrimonio junctus sit, vel veniam aetatis impetraverit, pro majore habetur, Ord. lib. 3. tit. 41. §. 8. in fin.: *E isto se não entenderá no menor, que impetrou de nós graça para ser havido por maior, ou que for casado, sendo de vinte annos; porque estes taes são havidos por maiores.*

Hi minores, cum pro majoribus habeantur, non restituntur in contractibus, neque adversus laesionem judiciale: quia tamen majores vere non sunt, immobilia bona non possunt sine iudice alienare, Ord. lib. 1. tit. 88. §. 28., et lib. 3. tit. 42. §§. 1. 2. 3., nisi Principis rescripto haec facultas speciatim sit concessa, ex

dict. §. 2. *Leges enim annales civiles sunt, et a Principis arbitrio omnino dependent.*

*Alia divisio personarum:*

§. XII. Jam vero majores et minores vel masculi sunt, vel feminae, juvenes, senes, caelibes, nupti, nuptaevae, et uxore, vel marito viduati, viduataevae; iique omnes vel integrae famae, seu existimationis, vel infames. Mitto alias divisiones.

*Et earum jura.*

§. XIII. Feminae ob sexus verecundiam, et fragilitatem aliquando melioris, quam masculi, conditionis sunt; namque in carcerem non nisi ob grave delictum injiciuntur, Ord. lib. 3. tit. 31. §. 4., et lib. 4. tit. 76. §. ult.; per procuratorem alios ad accusare possunt tam in prima, quam in secunda *instantia*, Ord. lib. 5. tit. 124. §. 16.; non tenentur, si pro aliis intercedant, Ord. lib. 4. tit. 61.; et in delictis paulo mitius puniri debent. Caelibes ad officia civitatis non admittuntur, et si eis conferantur, debent intra annum nubere, Ord. lib. 1. tit. 94. §. 1., quem Curia Palatii omnibus officialibus, Judice et Scriba Orphanorum exceptis, poterat in unum, alterumve annum prorogare, illius Reg. §§. 16. et 42., qui hodie abrogati videntur Philippi III. Extravag. 27. April. 1607. Collect. 1. ad Ord. lib. 1. tit. 94. N. 1. Majores LXX. annis et ab omni tutela, Ord. lib. 4. tit. 104. §. 3., et a reliquis oneribus publicis excusantur, Ord. lib. 2. tit. 54., Emmanuel. 24., Alphons. 48. Conjuges inter se eisdem juribus fruuntur, et beneficio aetatis mutuo restituantur, Ord. lib. 3. tit. 42. §. 4. Vidua jure mariti utitur, et eisdem gaudet privilegiis, Ord. lib. 2. tit. 59. §. 15., et sive conveniat, sive conveniatur,

potest in causa Praetorem Curiae, vel judicem, quem vocant *das auções novas* Portucalensis Dominus, vel ordinarium loci eligere, Ord. lib. 3. tit. 5. §. 3., et tit. 12. §. 1., et lib. 2. tit. 45. §. 46., et tit. 59. §. 13., et lib. 1. tit. 8. §. 6. Simile privilegium concessum parente orbatis, et feminis quibuscumque honeste viventibus, et miseris aliis personis, Ord. lib. 3. tit. 5. §§. 3. et 5. Infames ab omnibus in Republica muneribus et honoribus arcentur, Ord. lib. 5. tit. 6. §. 13.; quare non possunt Judicis, Decurionis, Aedilis, ceteraque officia publica obire, Ord. lib. 1. tit. 67. §§. 10. et 14., pro aliis postulare, Ord. eod. lib. tit. 48. §. 25., aliorum tutelam, vel curam gerere, Ord. lib. 4. tit. 102. §. 1., hereditatem ex testamento, vel ab intestato capere, Ord. lib. 5. tit. 6. §. 18.; fratris testamentum inofficiosum dicere, Ord. lib. 4. tit. 90. §. 1., Emman. 74., Alphons. 101., ll. 19., 27, C. *de inoffic. testam.*: illorum autem testimonium vix admittendum, et nullam ferme in judicio fidem facit, Ord. lib. 3. tit. 58. §. 5. Et haec satis instituto nostro.

Infamia poena gravissima est, et non nisi in majoribus delictis, uti suo loco dicemus (Inst. Jur. Crim. Tit. I. §. XVIII. Not.), infligenda: ea autem ex turpibus tantum factis oritur, quae vel hac poena ipso jure notata sunt, unde *infamia juris*; vel honorum dumtaxat, graviumque hominum judicio, unde *infamia facti*; et haec divisio adprobatur Ord. lib. 4. tit. 90. §. 1. verbis *infamia de direito, ou de feito*. Infamiam juris lex sola inurit; illius autem in foro effectus nullus est, nisi judicis sententia declaretur. Et cum solum ex facto turpi et improbo nascatur, sequitur infames non esse lictores, praecones, carnifices, castratores suum, ceteros quodvis vitae genus, ignobile licet et contemptibile, exercentes, quae vulgi opinio est, Heinecc. Exercit. VII. *De levis notae macula*; neque feminas intra annum luctus nubentes, milites praedia conducentes, tutores pupillas ducentes domum, et alios, qui jure Romano infamia notantur, Thomas. Not. ad Pand. tit. *Qui not.*

*infam. ; neque eos, qui hodie luci causa, et mercede conducti in scenam prodeunt, Stryk. Us mod. lib. III. tit. II. §§. 7. 8., Art. X. Societatis Theatralis, Olisiponē institutae 30. Maii ann, 1771., et a Josepho T. approbatae Diplom. 17. Jul. eod. ann. verbis : Qm̄ a diu Arte per se he indifferente, e que nenhuma infamia irroga áquellas pessoas, que a praticão nos Theatros publicos, quando alias por outros principios não a tẽnhão contrahido.*

FINIS

















A. G. Severo

*encadernou*

em Coimbra.

